




1551









Pauli Aeginetæ,

MEDICINAE TOTIVS ENCHIRIDION,

SEPTEM LIBRIS VNIVERSAM RECTÈ medendi rationem complectens, nuncq; denuò multo quàm antea & emendatius, & forma artis huius studiosis commodiore in lucem editum.

ALBANO TORINO VITOdurensi *interprete, ex postrema eius recognitione.*

Accesit rerum & uerborum toto opere memorabilium locupletiss. Index.

Cum Cæs. M. priuilegio ad quinquennium.

BASILEAE.

PAVLVS ÆGINE-
ta de se.

Nos lege, qui magni cupis aurea scripta Galeni,
Tramite difficili non remorante sequi.
Illius æquarunt immensa uolumina uires,
Omnia sed cursu nos breuiore damus.

REVERENDISSIMO in Christo patri ac Domino, D. Sebastiano Sema, Monasterij apud D. Ergauiæ Vrbanum Abbati, omnib. regijs uirtutibus insigni, domino suo summè obseruando, Albanus Torinus S.



A mihi cum amplissima Celsitudine tua lustris ab hinc quinque, quum isthic essem, intercessit familiaritas atque necessitudo: ita me incomparabili comitate, beneuolentia, literarum ac uirtutum tuarum ornamentis, uitæque, qua facilè regnas, integritate deuinxisti, summa ueneratione digniss. Pater, ut tametsi hactenus nunquam mihi contigerit faciem intueri tuã, nullum tamen neque temporis neque loci interuallum, nulla neque priuata neque publica, neque aulica denique ac ducalia (quib. continenter distringor) negocia, unquã tui memoriã potuerint expectorare. Quin alta mente reposta, tua immensa in me officia iugiter permanent. Admonẽt usque me tui, ac ueluti totum ante oculos ponunt, literæ tuæ perelegantes, & carmina mirè pura, docta, arguta, & planè Apollinea, abs te iam olim exarata: in

quibus optimam tui partem animum, ſic expreſſum conſpicor, ut nullus Apelles corporis effigiem repræſentare queat euidẽtius. Vtebar autem eo tempore conſuetudine tua multum. Coniunctiſsimè quippe & amantiſsimè mecum uixeras, & iucundè de omni diſciplinarum genere identidem diſſerebas, eoq; à latere tuo nunquam diſcedebam. Plurima itaq; à te prudenter diſputata, plurima etiã breuiter & commodè dicta memoriæ mandabam: fieriq; ſtudebã tua ſingulari prudentia doctior, utpote quo nemo ea ætate mihi uidebatur nec ſapientior, neq; prudentior. Tuq; uiciſsim meam etiam qualemcunq; exilitatem, ſumma animi uoluptate ſemper uiſus es exoſculari, q; uidebar tibi ad bonas artes præclara ieciſſe fundamenta, utriuſq; literaturæ primordijs haud inſeliciter ea adhuc ætate deguſtatis. Eoq; iã tũ nihil non præclarũ de meo profectu expectabas. Spem ipſe tuam feſellerim, an uicerim, mea monumenta qualiacunq; teſtabũtur. Quorum hic unum auguſtiſsimo nomini tuo, ceu manifeſtarium aliquod gratitudinis ſymbolum, conſecrare uiſum eſt, ut uigiliæ noſtræ gratiam maiorem, ac ſplendoris

non

non parum apud lectorem assequãtur, sub inclyti nominis tui præfatione uelu ti munitę, in publicum editę, & quasi mu tui ueteris nostri amoris redintegratio existant. In quo suscipiendo, si regiũ Artaxerxis animum præstabis, abũde mihi satisfactum existimabo: neque pigebit, maiora sub nominis tui auspicijs (nimirũ fœlicibus) in lucem edere. Spes est quippe haud parua, ita cumprimis candido lectori probatum iri lucubratiunculas nostras, si tu quidem eas animo haud ingrato susceperis, unice studiorum & studiosorum Mecœnas. nullo nãq; alio uer bo nec breuius, nec absolutius, tuũ istud tam singulare in literas ac literatos omnes studium, tuorumq; summam præco niorum comprehẽdam. Qui utiq; unus multa eruditione (ut cætera prætercam) cum miro uitæ candore coniuncta, bonam Abbatum partem lõgè lateq; supe ras. Quam hominũ de te pulcherrimam opinionem, non modò frequentes illi, quos monachis tuæ curæ creditis, docto res hactenus præfecisti, (qui animum eo rundem optimis tum morib. tũ disciplinis imbuant) uiri undecunq; doctissimi satis declararunt: uerùm, quod quidem

lõgè præstãtiss. duco, tui etiã præconij sa-
tis magnam fidẽ facit, quod tu cum pau-
cis Germaniæ Abbatib. (fermè dixerim,
ex omnibus solus) tua sponte caues, ne
bona ecclesijs hinc inde tuis dicata dila-
pidentur: sed quo in longè pientissimũ
usum cõferantur, omnia moliris. nullis
quippe sumptibus parcis, quo minus iu
uenes tui cœnobij, tuæ fidei commissi,
bonis literis cûm sacris tũ prophanis ita
instituantur, ut illorũ aliquis in republi-
ca Christiana ingrauescẽte pastorum pe
nuria usus esse posit. Videmus enim,
proh dolor, hodie statum reipub. Chri-
stianæ, nescio quorum culpa, ita habere,
ut ecclesiæ passim aliquot Parochis de-
stituantur: nisi è monasterijs, tanquam
ex scholis sacris, qui illis uerbum Dei
prædicent, ministri fideles mitterentur.
Proinde Celsitudo tua pro sua singulari
prudentia intelligit, cœnobia olim non
in hoc maximis sumptib. extructa, ut il-
lic saginentur tantum, ueluti in hara por
ci, hominũ corpora: sed magis, ut in his
ad usum reipublicæ Christianæ maximè
utilem foueantur uiri haud uulgari do-
ctrina, æquitate, prudentia, & pietate in-
signes. Sed nolo tuarum laudum enco-
miũ

mium (cui ſcio ꝙ nõ ſufficiam) in epiſto la, ſcriptorũ more conſcribere, qui bonã pręfationis partẽ, laudibus eorum quib. ſuas nuncupant uigilias, occupant: hoc ueræ uirtutis præmium arbitrati, ut eius memoria poſteritati iſthac ratione conſe cretur. Mihi uerò, tametſi citra fucũ laudandi cãpus pateat: quoniam aũt et mea ſimplicitas ab omni blandiloquentię ſpe cie eſt alieniſsima, et tua ſingularis mode ſtia ab omnibus eiuſmodi laudibus uehementer abhorret: his prætermiſsis, de Aegineta pauca quædam adiĳciam.

Paulus Aegineta illuſtris & compendioſiſsimus medicinæ ſcriptor, artis medicæ peculiaria problemata omnia hac Epitome perſtrinxit, in quib. omnes medicinæ partes, quantum compendio fieri potuit, perſpicuè, miro ordine & artificio docentur: unde noſtræ ætatis homines medendi rationem, quam Practicẽ uocant, breui condiſcent. Congeſsit autem ex antiquis excellentibus medicis, tanquam floſculos, in hanc epitomen. Neqꝫ de ſuo quicquã, præterquàm pauca, quę in operibus artis ipſe obſeruauit, & expertus eſt, addidit. quemadmodũ ipſemet in præfatione ſua pulchrè teſta-

tur: ex qua omnia plenius hauries. Aui-
cenna Arabicæ familiæ princeps, hunc
authorem, in his quæ ad curationes, &
præcipuè ad partē chirurgicā spectant,
secutus est. Allegatur à priscis simpli-
citer Pauli nomine. Galeni simia haud
iniuria à quibusdam appellatur. Sunt
qui eum Aetio uetustiorē, aut eius tem-
poris fuisse autument. Nec desunt, qui
scholis eundem nostris accommodatio-
rem, propter compendium, ordinem, &
artificium contendunt. Hunc tam excel
lentem medicinæ scriptorem, olim pri-
mus (etiam si rumpantur ilia Codro) la-
tinitate, in maxima temporis angustia
& præcipitantia, ex unico uitiosissimo
exemplari, utcunque donaui. Nunc ue-
rò maiore tandem cura et fide totum de-
integro, codicibus Græcis emendatiori
bus, et ueritatis ipsius acriore iudicio ad-
hibitis, recognoui, ac nitori deniq; suo
tantum non ad unguem restitui. Restāt
quippe nonnulla, quæ nec mihi faciunt
satis: quibus de, si posthac compertius
quippiam, uel posterior cogitatio (δευτέ-
ρων γὰρ ἀμεινόνων, iuxta prouerbiū) uel ube-
rior meliorum exemplarium copia, uel
amicorum admonitio suppeditabit, pali
nodiam

nodiam canere nequaquā pudebit. Qua in re si quispiam me præuenerit, meaq́ꝫ uel castigauerit, uel meliorē, ut futurum auguror, uersionem attulerit, tantum aberit ut ægrè feram, ut etiam illi gratiam habiturus sim maximam. Quemadmodum equidem eorum qui talia moliūtur, diligentiam commendo, ita felicitatem suspicio, qui ne in scriptis suis Momo carpendum quippiam reliqui fiat, præstare possunt. mea quippe tenuitas istud ne per somnium quidem polliceri ausit: in hoc potissimum scripti genere, quod calumnijs est præ cæteris obnoxium: atque hac ætate, in qua nihil à uitilitigatoribus tutum, cauillis & mordicibus omnia patent. Hos igitur qualescunq́ꝫ labores nostros C. T. tanquam tutelari numini, cùm memoratis, tū hoc potissimum nomine offerimus, ut debita beneuolentiæ memoria gratiam aliquam literato munusculo reponamus. Dominus Iesus seruet ac prosperet uitam tuam omnem, unicum Abbatum decus: Albanumq́ꝫ tuum à longo iam tempore, toto pectore tibi addictum, ames, foueas, ac tuearis. Ex Monte Plusiaco. Pridie Calend. April. Anno M.D.XLVI.

PAVLI ÆGINETÆ RERVM
memorabilium Index.

angiolo-

erebin-

febrium

fronti

glechon

mochliscos

ossis

pyti-

thapsiæ

uenenorum

FINIS.

PAVLI AEGINETAE IN SVOS DE RE MEDICA LIbros Præfatio, Albano Torino interprete.

Pauli laborem me noſce, qui plurimum
Peragrauit terræ, Aegina natus patria.



ON *quî ueteribus, eorũ quæ ad artẽ ſpectant, prætermiſſum quicquam putem, inſtitutũ nobis hoc opus eſt, ſed quî in compendiũ doctrina redigatur. Cõtrà enim, nõ tam rectè, quàm abſolutè etiã, illis ad unguẽ omnia elaborata cẽſeo. Recẽtiores uerò, præterquàm quòd eos attingere nõ curant, etiam uanitatis accuſant. unde commentationis huius conſilium cœpimus: his quidem cõmentariolum, quod ut ueriſimile eſt, quærunt, compẽdioſum: nobis uerò exercitium futurum. Abſurdũ enim eſt, rhetoras forẽſium rerum præceptis breuibus, concinnisq; codiculis, ac ueluti coambulonibus (ſic enim uocant) quibus legum quidem omniũ ſumma quædam ad uſum expedita tenetur, uti: nos autẽ eadẽ negligere. quanquam illi non ſolum perexiguum, ſed iuſtũ cogitandi, reputandiq; negocij tempus prorogare ſibi poſſũt: nobis contrà, uel nũquam, uel perrarò ſanè facultas ea datur, quando in morbis quibuſdam cunctari ſæpenumerò abſq; graui diſcrimine nõ licet. unde rectè admodũ Hippocrates, pernicẽ eſſe occaſionem docuit. Illos ſiquidem in ſolis propemodum urbibus uſus occupat negociorum, ubi magna librorum copia eſt: Medicis uerò nõ in urbibus, agris' ue, aut ſolitarijs locis tantùm, ſed iam et mari, in ipſis perſæpe nauibus, repentium morborũ neceſſitas incidit, in quib. mora uel interitum, uel extremũ periculum adfert. Quãdoquidẽ*

autem

autem uniuersas medendi rationes, uel omnem per singula materiam memoria tenere, arduus & impoßibilis conatus est: Epitomen illam parauimus, è priscorum medicorũ monumentis consarcinatã. Neq; enim ex nobis natũ quicquã adiunximus, paucis quibusdã exceptis, quæ in arte exercenda notaui, et experientia deprehendi. Plerisq; uerò medicorum illustrium scriptis congressus, Oribasij præsertim (qui et ipse sua aliũde decerpsit, unde uolumẽ, in quo uniuersam ualetudinis tuendæ rationem complexus sum, transtuli: nã post Galenum, et iuniores etiam Galeno fuit) præcipua ex omnibus delegi, morbo nullo, quantũ id fieri potuit, prætergresso. Nã illud in septuaginta libros diuisum Oribasij uolumen (Hebdomecontabiblon appellatũ) Medicinæ quidẽ argumentum omne tenet. sed parare tam immensum opus, haud cuiusuis est. Epitome uerò ad ipsius filium Eustathiũ scripta, quæ ab integra morborũ omnium tractatione multum abest, etiam cæterarum rerum speculationem imperfectam habet: aliàs causis, aliàs notis, interdũ etiam absoluta curatione, tanquam alia subierint, prætermißis. Hoc uerò quicquid est opusculi, morborũ omne genus, qui in similaribus, uel instrumẽtarijs corporis partibus, uel continui dissolutione uisuntur, cùm notas, tum causas, tum curationes cõplectitur: neq; in summa tantùm, sed ubicunq; res ipsa ferebat, fusius etiam. Ante uerò hoc, de tuenda secũda ualetudine perscripsimus negociũ totũ. Postremò de simpliciũ, cõpositorumq; medicamentorũ facultatib. librũ condidimus.

SEPTEM TOTIVS OPERIS (VNIuersum enim in totidem libros diductum est) scopi.

In Primo uolumine, omnem quæ ad ualetudinem tuendam spectat, materiam comperies: et quî nam affectiones ætatibus, anni temporibus, temperaturis, et alijs quibusdã

pecu-

peculiares, præcaueantur, & emendentur, facultatesq; ac usus omnium alimentorum, quemadmodum in capitibus explicauimus.

In Secundo de febribus singulis docetur, præmissis quidem quæ huc spectāt omnibus notis, uidelicet ab excrementis, diebus decretorijs, et alijs id genus: subiectis uerò, quæ febres comitantur symptomatis.

In Tertio de affectionibus per singulas corporis partes, à capitis coronide ad pedis usq; plantam, extremosq; ungues grassantibus, agitur.

In Quarto, de his quæ forinsecus corpus impetunt malis, & ueluti in aperto cōstitutis, quæ non in certis, sed in plerisq; partib. insurgunt, sermo fit. In quo de lumbricis quoq; & dracunculis tractatur.

In Quinto, de his quæ uenenū ictu, morsu'ue relinquunt: inibiq; de rabiosi canis morsu, et aquæ metu: deq; canis non rabidi, hominisq; morsu. Inter quæ de uenenis pariter, & contra uenena præsidijs docetur.

In Sexto, de omnibus quæ tam in carne, ubi & telorum extrahendi ratio cōprehenditur, quàm in ossibus, in quibus fractionum uitia, & artuum luxationes continentur, manuum & scalpelli operam desiderant, disseritur.

In Septimo, omnium medicamentorum cùm simplicium tum compositorum uires continentur, præsertim eorum, quorum discursim in superoribus sex libris facta est mentio: maximè maiorum, et tanquā insignium præparationum. Scimus sanè illic non omnes diffuse, ne doctrinæ fieret confusio, explicari: ut quærens aliquis unā, plures'ue nobilium compositionum, facile reperiat. Postremò adduntur nonnulla quæ ad compositiones medicaminum conferunt, item de succedaneis speciebus, ita ut totum uolumen in ponderum & mensurarum disciplinam desinat. Exordiemur itaq; iam primum commentarium.

HYPO

HYPOTHESIS LIBRI PRIMI.

Primum huius operis hoc uolumen est, in quo uniuersam de tuenda sanitate hypotyposim prosecuti sumus, ceu iam pridem in prȩfatione ostēsum est, et deinceps denuo per capita dicetur. Illud prius ingenue fateri libet, magnam partē eorum quæ primo & secundo libro tractantur, huc ex Oribasio traductam. noluimus enim propriam opinionem struere, uerum ex omnibus utilitatem deglubere. In reliquis quinq; libris paucissima tātum ex illius monumentis mutuata sunt.

CAPITA LIBRI PRIMI.

FINIS.

PAVLI AEGINETAE LIBER PRIMVS, ALbano Torino interprete.

De his quæ in fœtura prægnantibus accidunt, & quonam illis uictu utendum sit. Cap. I.



Vum fœminas utero gerentes, eiuſmodi magna ex parte caſus affligent, redundatio ſtomachi, iugis uomitus, ſputatio frequens, eroſiones oris uētriculi, & horror deniq; cibi: operæpreciū fuerit, documenta quibus eis ſubueniatur, tradere. Vtantur itaq; præſenti commoditate, inambulationibus, obſonijs haud magnā in partē ſuauibus, melini coloris quod pariter & ab odore cōmendetur uino, in primis luſtrico, & potatione moderata. His quippe omnib. tum redundationi ſtomachi, tum crebræ uomitioni ſuccurritur. Medicamentorū uerò prouinciā ſubeūt, ſanguinalis herba, quæ polygonō Græcè uocatur, aqua elixa & epota: pariter & anethū, radixq; pōtica, uernaculo ab indigenis gentis ſuæ uocabulo Rha appellata. hæc indiſcriminatim tā dapib. alijs nondū guſtatis, quàm ſecundū ipſas datur ingerere. Forinſecus autē præcordijs labruſcæ, punicæ ſylueſtris atq; ſatiuæ florē, ſmyrnij comam, fœniculiq; ſemē, cataplaſmatis modo applicare expedit. Neq; intereſt quomodocūq; tēperes, cum palmulis'ne, & uino ueteri, ſiue ſeorſim. Ad oris uētriculi lācinationes cōducit calidā potare, ſuauiter inābulare, & hypochōdria molli lana tueri. Quæ ab edulijs appetitus auerſione laborant, diuerſi generis, & ad uoluptatē cōparatis dapibus, amyloq; arido excitādæ ſunt. Maximè uerò id grauidis cōfert, quæ telluris glebam deglutire geſtiūt, quemadmodū in malatia, quā Græci cittā, id eſt picā indigitāt: quæ circa tertiū à conceptu menſem ideo plerūq; ingruit, quòd nequeat tum cōceptus, ob imbecillitatē, omne quod à locellis nutrimēti ratiōe

recipitur, cōficere: ſuperuacanea idcirco ac uaria in ſtomacho retrimēta ueluti ſtrues congerūtur, unde tā diuerſarum, tamq; inſolentiū rerū naſcitur prægnantib. appetitio. Verbi gratia, carbonū extinctorū, cretæ cymoleæ, & aliorū cōplurium. Ex qua ratiōe nomenclaturā hāc id malū inuenit, à pictura ta illa ſcilicet picæ auis uarietate: uel q. iſtiuſmodi affectus illā ſubinde auē impetat. Cōducunt etiā exercitationes, & lōgiuſculæ profectiones. Si qua uerò in ocio genialiter uictitare aſſueuerit prægnās, hæc repētinas nulla cōmoditate ſubibit motiones. Expedit præterea cibū abhorrēti nonnunq̄ acria, præſertim ſinapi, deguſtare. Aduerſus porrò laxos et eximios pedū tumores, præſentiſſima cū utilitate, ſolaſtrū, quā anthyllidē uocāt, in aceto maceratū ſuperdeligatur, & braſſicæ folia latè diſtēſa. iuuat cretā cymoleā ex aceto pariter, et alumē cū aceto inducere. Proſunt itē mala cognomento Medica, quæ Citria dicūtur, in aqua fouēdis pedib. elixa.

De nutrice. Cap. 2.

NVtrix igitur iudicio delectuq; paretur, nulli præter naturam affectioni obnoxia, neq; natu grandior, neq; adoleſcens admodum: ita tamē, ut minima quidē natu, luſtra ad minus quinq; numeret, maxima uerò ſeptimum nō excedat. pectore ſit latiore & māmoſiore, papillis neq; cōniuentibus, neq; auerſis: reliquo corpore quadrato, quod eſt, neq; ualde obeſo, neq; ſupra modum gracilēto. Magnificè porrò iuuabit infantē, nō ita pridē peperiſſe nutricē, & præcipuè maſculū. Fugienda ſunt ei areſacientia immodicè, ſalſa, acria, acerba, acida, amara, uehemēter calorifica, graue admodū olētia, odoreq; nimis inſignitè fragrātia cōdimenta, aliaq; acredinem præferentia. A coitu præterea nutrix abſtineat. Manus ac humeros molendo texendoq; exerceat, infantem ulnis huc illuc trimeſtrem iam & quadrimeſtrem baiulet.

De lacte altricis probando. Cap. 3.

PRimum bonitatis honorem lacti tribues, craſſitudine, copia,

pia, colore, odoratu, & sapore moderato. Inculpatum item, quod dum super pollicis unguem, nitoris contemplandi gratia instillatur, flexo ungue, nec ocyus, nec lentius delabitur. Quin istoc etiã modo examinari conuenit. Lac emulctũ uitreo uasi inyciatur, cui momentum coaguli triti cum digitis adiectum sit: dein quiescere quoad coaguletur, permittas. si tum minus casei quàm seri in eo appareat, hoc parum frugi ducito. Ab hoc diuersum, concoctioni renititur. Laudatissimum, quod intra utrunq; excessum mediocritatem obtinet.

Quomodo lactis uitia emendentur. Cap. 4.

LActis uitiositas istbac ratione corrigitur. Si crassius sit, uomitionibus pituita expellenda est, quæ acetoso mulso pulcherrimè concitantur. Oportet etiã eandem ante cibum laboribus extenuare, cui negocio origanum, hyssopus, satureia, scandix, thymus, momentũ raphani, & salsamentũ uetus cum oxymelite in cibo accommodatissima sunt. Sin autem acrius & tenuius lac euaserit, tum laboribus numerosis nutricem subleuare, sorbitionibus uerò, porcinisq; carnibus ali, defruto & uino dulci potari cõuenit. Quod si lac parcius reddatur, sorbitionib. ac cæteris epulis liberalius indulgendum, merũq; suauius bibendũ, pectus & ubera confricanda. Quibus etiã cucurbitula agglutinata, quæ facto opus erãt, opẽ præstitit. Medicamẽta uerò, licet creando lacti aliquid expedire intelligam, nolim tamen assiduum ipsorum usum, quòd uiolentius colliquant, præcipere. Eius generis sunt fœniculi radix, semẽ cũ ptisana decocta, cytisiq; folia in uino nigro, aut ptisana et nigella anethũq; in passo, pastinacæ syluestris tã semẽ q̃ radix: quæ calida prius macerata exhibenda sunt. Debet aũt nutrix quodlibet lac uitiatum, siue crassum, siue acre, tetriq; odoris fuerit, priusq̃ suctu puellus hauriat emulgere, atq; ita mammã fellitãdũ porrigere. Cæterũ acre nunq̃ ieiuno propinandũ est. Graueolẽtia ipsius uino odoratiore et ferculis dulcibus corrigitur. Super lacte casei

modo coacto lib.3.cap.de Mammarũ affectibus, differemus.

De infantis educatione. Cap. 5.

PRæ omni cibo mel infanti nuperrimè nato præbendum est. Mox etiã lac, bis cotidie, uel ad summum ter, offeratur. Vbi uerò alacer factus prõptius assumit, & cibũ concoquendi spem exhibet, tum minus replẽtibus ipsum edulijs uti expedit. Si uerò per imprudentiã nostrã repletus fuerit, somnolentiorq; cõfestim hebetiorq; euadit, uẽter intumescit et inflatur, lotiũ aquosius redditur, quæ plenitatẽ arguũt, nihil donec ingestũ cibũ cõfecerint, exhibẽdũ est. Satis aũt fuerit, biennio integro lac tantũ pappare, posthæc deniq; initiari.

De exanthematis, quæ puello oboriuntur. Cap. 6.

QVæcunq; per summam pueri cutem efflorescũt, principio quidem æqui boniq; faciẽda sunt: sed ubi in corporis superficiem probè eruperint, tum curationem lauacris ex myrto, lẽtisco, rosisq; moliri: deinde rosaceo, aut lẽtiscino, ceratoq; cum cerussa uti, clemẽterq; nitris abstergere cõpetit. uehemẽtiora nanq; uix tolerabit. Vtilißimum uerò fuerit, nutricem dulcioribus ferculis pasci, & puerum neq; pleniore, neq; nimis tenui cibo ali. Quod si aluus infantis astricta sit, mel cibo infusum simul elixabis: si ne tum quidẽ respondeat, resina terebinthina ciceris magnitudine inijciatur. Si plus æquo feratur, milium impendio quàm cõpescendo prodest.

De tussi & coryza infantis. Cap. 7.

QVando autem tußis aut grauedo infantem impetit, mellitismis utendum est. Puero igitur multa prius calida ab luto, caput ipsius liberaliore mellis copia perungi, postremò lingua digito molliter comprimi debet: mirum enim, quantam pituitæ uim ea ratione uomitu eijciet.

De gingiuarum pruritu. Cap. 8.

SI pruritu gingiuarũ puellus torqueatur, fotu & abundanti unctione ex oleo probè elixo, cum momento ceræ in eo liquefacto, utendum est.

De

De pueri dentitione. Cap. 9.

CIrca mensem ferè septimum infrendibus dentes producuntur, quo tempore gingiuarum, maxillarũ, tendinũq; inflammationes, non rarò neruorum etiam conuulsiones, impetunt. Tunc igitur pusillo nihil, quod mandendũ sit, exhibere cõuenit. Cæterùm gingiuæ digitis in balneo aßidua fricatione palpandæ, gallinaceorũq; adipe, aut leporino cerebro emolliẽdæ. Vbi uerò iã dentes prosilierint, lana delicatior atq; syncera, ceruici, capiti, & maxillis applicãda: quæ ex oleo quoq; dulci & calido fouere, auditorijsq; meatib. idem instillare congruit. Quo tempore infantem uberiore uictu nutrire, & calida lauare, confert. Si alui etiam fluore infestetur, eam epithematis, quæ comprimendi facultate prædita sunt, compescere conabimur, inspergentes lanæ uel cyminum, uel anethum, uel apium. Profuerit etiam semen rosarum inserere, & in uniuersum calorificis arefacere. Si uerò aluus detẽta nihil deijciat, melle in glandis instar redacto leniter irritetur, aut nepeta cũ melle læuigata intingatur. Puto aũt efficaciter cõuulsionibus puerorũ, heliotropiũ, quam solarem Latini dicunt, aqua elixũ opitulari, si eo puerulum decocto laueris. Expedit, si oleo irino, cyprino, aut sicyonio illitus, totus incaluerit. Si uerò ubi iam dentes eruperint, digitos morsu sauciat, utile fuerit iridis radicẽ rasam, neq; admodum siccam, ore continere. Id quod & ulcerib. quoq; præsidio est. Butyrum pariter cum melle illitum confert. Gingiuarum postremò pruritus, salsamenti ueteris caro lenit.

Ad oris ulcera quas aphthas nominant. Cap. 10.

VLcus quoq; oris, cui aphtha cognomentũ est, nuper natis oboritur, aliàs quidem subcandido, aliàs in ruborem languescente, nonnunquã atro colore, qualis in adustorũ crustis uidetur, quod omnium periculosißimum & maximè letiferum est. Cui præsidio iris est cum melle, aut arida, si siccam inspirare malis. Itidem & rosarum folia contusa, pariter

& earundem flosculi. Crocus, myrrhæ momentum, galla, thus, cortex thuris, aut unà simul, aut priuatim singula melle irrigata. Præterea aqua mulsa, & mali punici dulcis cremor subuenit.

Ad femorum intertrigines. Cap. 11.

ADuersus intertrigines feminum, myrtus sicca, cyperus, & rosæ magno commodo insparguntur.

Contra aurium humectationes. Cap. 12.

HVmecta auriũ uitia, lana ex alumine indita, uel uinum mulsum, uel uinum uetus instillatum, uel crocus uino exceptus, arefaciunt.

De Siriasi. Cap. 13.

SIriasis est partium circa cerebrũ, eiusq; mẽbranas inflammatio. Cõcauũ fit in ea sinciput, cõcaui itidẽ cũ pallore oculi, accedit etiã totius corporis ariditas. Succurrit huic malo luteũ oui sincipiti cũ rosaceo cõplicati pãniculi pigmenti' ue modo impositũ: sic tamẽ, ut aßidua mutatione renouetur.

Aliud contra Siriases!

Conuenit eidem loco herbæ, quam Græci heliotropion appellant, folia, cucurbitæ ramenta, cucumeris, quem peponem nominant, adiacentem carni pelliculam, aut hortensis solani succum cum rosaceo imponere.

Infantium, & reliquarũm deinceps ætatum, usq; ad eam quæ uigorem transiluit, educatio. Cap. 14.

VBi ablactati fuerint infantes, relaxato animi freno, suo modo in hilaritate uitam ducere permittẽtur. Exercitia ludicra, & leuiores nutricatus cõcedãtur. A`sexto uerò statim anno, primoq; septẽnio, tam pueri quàm puellæ præceptoribus mansuetis ac humanis tradẽdi sunt. Ei nanq; cum animi relaxatiõe ac gratia, tenellos animos cùm literis tum moribus imbuũt. Et animorũ securitas relaxatioq; haud parum ad uegetam corporis educationẽ momẽti adfert. Duodecimũ natalẽ ubi peregerint, Grãmaticos & Geometras uisitare

uisitare, corpusq; ipsorum exercere necessitas est. A' quarto & decimo anno ad uigesimum usq; primum, Mathematicis disciplinis & Philosophorum rationibus sedulam nauēt operam, compluriaq; exercitia propter corporis fortitudinem subeant, quò animum ac corpus iuxtà exercitantes, à Veneris stimulo coerceantur. His etiā amplioris uini usus contrahēdus est. In summo uerò ætatis flore, absoluta uictus ratio tum animi tum corporis obseruanda. Proinde nullo non exercitiorum genere utendum, potissimum cui operam singuli dare consueuerūt. Cibos abundantiores plenioresq; inculpatæ alimoniæ usurpent. Quib. uerò iā ætatis suæ status declinat, ijs moderatior frugaliorq; tam animi q̄ corporis educatio confert. Cæterùm exercitationes omne genus pro ætatis ratione relaxandæ sunt: deq; pleniore alimento subtrahendū, habitu eorum iam ad frigiditatem uergente.

De frictione præparatoria. Cap. 15.

EXercitationem mediocris quædam corporis calfactio præcedat, frictione linteolis administrata, mox nudis etiam palmis oleo madentibus, tantisper dum abundè incalescat, & mollius reddatur corpus, iucundusq; rubor effloruerit, & tumoris moles inducatur.

De exercitationibus. Cap. 16.

VEhemētior corporis motus, exercitatio est: meta autem uehementiæ est, animæ ad spissitudinē alteratio. Exercitationes aūt instrumētarias corporis partes morbis obnoxias minus, ad muniaq; obeūda infractas: ad hæc, ut cibi ualidius ab ijsdē attrahātur, prōptius permutētur, & liberalius reficiātur caloris beneficio uehemēti motione excitato efficiunt. Meatus præterea expurgāt, excremēta ob uehementē spiritus impetū euacuāt. Quoniā ergo distributioni in corpus particulatim opitulatur exercitatio, conuenit utiq; nullam neq; crudorū neq; incoctorū siue ciborū siue humorum multitudinem, neq; in uētre neq; in intestinis cōtineri. peri-

culum enim est, ne prius in cunctas animantis partes rapiatur, quàm probè concoquatur. Liquet igitur, exercitationes oportere cibum præcedere. Opportunitatem porrò obeũdi laboris, lotij color arguit: aqueum quippe, crudum etiamdum succum, ex uentre redditum præfert. Rubrum uerò ac biliosum, concoctionem iampridem ad unguem absolutã insinuat. Quod modicè pallet, peractam modò concoctionẽ portendit. Tum igitur exercitationibus manus admouendæ, uesica prius, uentreq; retrimentis exoneratis.

De exercitationum generibus. Cap. 17.

VNiuersæ semel exercitationi commune est, quod naturalis animantibus caloris augmentum excitat. Separatim uerò considerando, Valens, hoc est uiolenta exercitatio est, quæ musculis & neruis robur præparat: cuius farinæ sunt, fodere, ingenti onere sublato, aut eodẽ in situ permanere, uel paululũ procedere. Huius quoq; generis est accliuis inambulatio, item funem manibus apprehensum scandere, atq; id genus alia multa. Velox autem exercitatio citra robur & uiolentiã peragitur. eius sortis sunt, cursus, umbratica armorum meditatio, duorum summis manibus complicatis concertationes, & quæ uel coryco, uel exigua pila fit exercitatio. Validum uerò exercitium celeri non rarò componitur, si quis illi perinde atq; huic acriter innixus, festinas motiones addiderit. Porrò exercitationũ genera alia lũbos potius, quàm brachia aut crura fatigant: alia spinã totam, aut thoracẽ modò, siue pulmonem. Exercitetur autem quisq;, donec corpus in tumorem eleuetur, & color ille floridus appareat, motionesq; promptas, æquabiles & cõcinnas edat: inter hæc etiam sudorem calidum cum uapore misceri cernes. Desistendum autem ab exercitatione tunc primùm est, ubi aliquid eorũ quæ memorata sunt, senseris immutatũ. Verbi causa, si contractior paulo corporis moles uidebitur, interdicẽda cõfestim corporis exercitatio. Nec minus, si floridi coloris gratia marcescit,

cit,quieſcendum eſt. Iam ſi motionis uigorem collabi ſenſeris,protinus pauſandum. Itidem ſi ſudoris ulla uel quantitatis,uel qualitatis alteratio,puta ſi minor uel frigidior fiat,exercitijs ualedicito. Mox oleo corpori circumfuſo quieſcere,& recreatoria deinceps fricatione uti cōuenit,ueluti puerorum exercitatores facere conſueuerunt.

De frictionum generibus. Cap. 18.

EX frictionibus dura quidem aſtringendi, mollis uerò laxandi uim poßident. proinde quæ æquo laxiora ſunt,duriter: quæ uerò aſtricta ſunt,molliter fricare congruit. At ſi quis temperato ſit corpore præditus,conſtat hunc neq; leniter neq; durè fricādum,ſed ſumma ope ut uterq; uitetur exceſſus. Multa enim & dura frictio gracilitatem præbet: pauca ediuerſo,mollisq́;,in molem attollit; mediocris æqualitatem inducit. Tria porrò frictionum diſcrimina, quæ à quantitate ſumuntur,ſi tribus quæ à qualitate ducuntur, copulaueris,nouem ſyzygias abſolues,perinde atq; è ſubiecta liquet tabula. Vna ſiquidem quantitatis, uerbi cauſa,multa, tribus ſecundum qualitatem coniugata,duræ inquam,molli & mediocri,in duritia tres conſtituit differentias. Pauca econtrario,ternis eiſdem iuncta,ternas producit alteras. Mediocris uerò qualitate, iiſdem tribus connexa, tres alias procreat, quemadmodum ſubſcripta figura licet cernere.

QVANTITAS		QVALITAS	QVANTITAS		QVALITAS
1 Multa	et	*Dura.*	7 Mediocris	et	*Dura.*
2 Multa		*Mollis.*	8 Mediocris		*Mollis.*
3 Multa		*Mediocris*	9 Mediocris		*Mediocris*
4 Pauca	et	*Dura.*			
5 Pauca		*Mollis.*			
6 Pauca		*Mediocris*			

De contentione uocis, seu uociferatione. Cap. 19.

IN uocis exercitatione nihil quidem ad ualetudinis tutelam facit, concinna plausibilisq; uocum modulatio. Sonituum autem grauiorum fragor conducit, eoq; intonãdum est. Sic quippe plurima aeris uis in corpus per inspirationẽ attracta, non tam thoracem, quàm uentrem, totiusq; corporis meatus expandit, atq; diducit: quapropter inter legendum superflui etiam humores excernuntur, legentibus quidem sonorosius magis & per sudores. Iis autem qui mansuetius uocem intendunt, per abditam uniuersæ molis exhalationem. fit enim screando per attenuationem pluriũ retrimentorum, puta, sputi, mucci, pituitæ excretio atque expensio. Quod igitur aliud compendiosius præsidium, his qui præ algore recalfactionem desiderãt, adhibebimus, quàm respirandi functionẽ? Legendũ itaq; ijs subinde est, quò totius tũ corporis mole remissa, tũ carne liquata, arteriã, reliquosq; spirãdi meatus in concinnam raritatẽ diducentes, per cæteras uocum grauiores functiones modulẽtur. Neq; istoc officio temere, nihil pensi habẽtes, utemur, sed corpore prauis, corruptisq; humoribus exorte, stomacho magnis euidentibusq; cruditatib. carẽte, uocis exercitationẽ aggrediemur, ne plures uitiosi uapores per corpus mẽbratim distrahãtur.

De lassitudinibus quæ exercitiis superueniunt. Cap. 20.

LAssitudo ulceris sensum afferens, à retrimentorum tenuium simul & acriũ copia prouenit. Tensionis uerò lassitudo nullam, de qua ratio ulla sit habenda, superfluitatẽ corporibus incumbere portendit. Verùm in musculis & neruis, affectio quædam qua tendi uidentur, residet. Inflammatoria uerò, qua nimirũ partes ueluti contusas, aut phlegmone obsessas sentimus, tum incidere consueuit, cum musculi supra iustum excalfacti, quippiam ex circunfusis sibi retrimentis attraxerint. Est & alia super has affectio quarta, quæ euenit, dum plusquam par sit, musculi exiccantur, sic, ut squalens,

lens, contractũq; corpus posito amictu appareat, atq; ad motiones pigrum. Cæterùm ulcerosæ laßitudinis remediũ est, si quæ redundãt euapores, frictione multa molliq;, oleo non parca manu infuso, à quo omnis adstringendi uis absit. Altera uerò defatigatio, in qua tensio sentitur, hoc sanationis propositum habet, ut relaxetur. Laxatur uerò quod tẽsum est, frictione exigua pariter & molli ex oleo dulci & insolato, refocillatione item quauis, & quiete, lauacrisq; temperatis, & lenta deniq; in calidis undis mora: ita ut bis etiam uel ter lauari, mirum in modum conferat. Tertia laßitudinum, quæ inflammationis speciem repræsentat, sanationis treis sortita scopos est: superuacanei uidelicet excremẽti euacuationem, extenti relaxationem, & accensi refrigerationem. Oleo igitur copioso, tepido, frictionibus mollißimis, in medij temperamenti aquis diutina mora, illiusmodi laßitudinibus succurritur. Pari etiam modo, multa quiete, & unctione continua. Quartus affectus, primo quidem die nihil diuersum à superiori ratione, excepta calidiore aqua, quæ lentè adstringat. Postera die, recuratiuam exercitationem postulat, ac protinus in natationem gelidam exiliant. Omnes uerò defeßi, boni succi alimento refici desiderant.

De cutis adstrictione. Cap. 21.

CVtis constipatio (quam stegnosin Græci nuncupãt) uel meatibus obstructis, uel illis ipsis dẽsatis accidit. Obstructio quidem è crudis, craßisq; humoribus originẽ habet. Densatio uerò modò ab refrigerantibus, uel ab astringentibus, uel plurib. ab arefaciẽtib. cõciliatur. Protinus uerò istuc ex albicante pallore, uestibus exutis, cutis duritia et dẽsitate deprehẽditur, & quod inter exercendũ ægrè incalescũt. Medetur huiusmodi affectioni calfactio. ualentiorib. itaq; exercitationibus, balneisq; calidiorib. utendũ est. In solio porrò gelido mora diuturnior nõ sit, imò neq; aqua sit admodũ frigida. Induendi uerò oleo prius aliquo, mediocrẽ calfaciendi

uim habente, dulci, tenuiumq; partium perungantur. Postremò, cutis densitati sanandæ satis efficax remedium oleũ anethinum existit, præcipuè si ex uiridi anetho confectũ sit, & oleum quod ex populo nigra constituitur.

De spontinis lassitudinibus. Cap. 22.

QVandoquidẽ laßitudo ulceris sensum afferẽs, ex acrium retrimentorum uitio nascitur: siquidem momentum modò uitiosi humoris fuerit, sola apotherapiæ exercitatiõe corrigitur: si uerò multũ et altius radices egerit, huic tum exercitationem, tum omnẽ penitus motionẽ interdicemus. quiete uerò, somnoq; refecto, cibi abstinentiam per integrum diem præscribemus: deinde aduentãte uespera, liberaliore oleo perunctum, & mediocriter tẽperato lauacro lotum, alimentis optimi succi, sorbilibusq; tenuiter alemus. minimè tamẽ uino defraudauerimus, quoniã semicrudos, si quid aliud, humores concoquit. Si igitur memoratorũ beneficio malum cessauerit, homo ad consuetas functiones paulatim reducẽdus est. Si uerò sequenti quoq; die perseueret, de ualentiore iam auxilio dispiciendum est. Si uiriũ robur permiserit, alterum ex duobus, aut uenã secare, aut euacuare, expedit: atqui utrũ alteri præferendum potius sit, discernendum. Si uiribus imbecillus sit, à uenæ sectione prorsus abstinendum est: sed purgatio moderata molienda. Vbi uerò humores percrudi admodũ extiterint, neq; uasa aperire, neq; purgare, neq; exercitationibus uacare, imò ne mouere quidẽ in totum, aut lauare, cõtulerit. Verùm omni in quiete hoc modo affecti seruãdi sunt. Epulæ potionesq; & medicamina, quibus extenuãdi, dissecãdiq; potestas, absq; insigni calore, exhibenda. Eduliorum itaq; loco oxymel, ptisanæ exiguum, interdum aquæ etiam mulsæ aliquantulum exhibebimus. Cum aũt cunctis in hac conditione constitutis, præcordia attollãtur & inflentur, & quicquid offertur, promptè flatuosum redditur, præstiterit, dapib. piperis aliquid confundere. Vincit aũt usus medicamenti Diospolitici,

ſpolitici, ſimplicis item dia trion pepereon. Vtiliſsimum eis fuerit oxymeli. Pro potu apomelite utantur, potiſsimum ubi in acorē tranſierit: uinoq́; leuiter aceſcente. Nutrimētis prætera, quæ abſq; calore extenuāt: cuius monetæ habetur capparis, ex oxymelite, uel ex oleo & aceto pariter ſumptus. Tēſionis laſsitudo, quæ nō ab exercitatione proficiſcitur, humorum nimietatē ſolidas animantis partes expandentē, inſinuat. Cæterū luce clarius eſt, quòd, quandocunq; ſanguineus humor nimia abūdarit copia, cum inciſa uena detrahere, uel malleolos ſcarificare, præſentiſsimum eſt remedium. Spōtanea uerò laſsitudo, in qua inflammationis ſenſus eſt, ne unius quidem atq; alterius horæ, nedum duorum triúmue dierū inducias ſuſtinet. niſi enim quis ſanguinis miſsione præuenerit, febris illico ſuperueniet acerbiſsima. Satius aūt fuerit, ſi nihil impediat, ſanguen bis eodem die detrahere, ac priore quidem detractione non ad hominis uſq; deliquium auferre, poſteriore uerò ne animi quidem defectionem formidare. Si qui in ea affectione conſtituti ſanguinem detrahere ſuperſederint, ij bona admodum fortuna ad ſalutem indigent.

Victus ratio ſenum. Cap. 23.

FRigidi & ſicci corporis temperamēti ſenectus eſt. Emendatur itaq; non calorificis ſolum, ſed humectandi calfaciendiq́; uirtute iuxtà præditis: proinde fricāda, ſed citra laſsitudinē eſt. Alimentū interdiu imbecilliorib. ter adminiſtrandum: circa horam diei tertiam, pauxillum panis cum Attico melle. Septima poſt hæc hora, præmiſsis frictionib. & exercitijs, qualia ſenibus cōueniunt, balnei quoq; uſu adhibito, ante omnia ſanè quæ aluū deijciant, mox etiā piſces atq; alites offerātur. poſtremò in cœna, quæ inculpatos ſuccos pariāt, quæq́; ægerrimè corrūpantur in ſtomacho, exhibenda ſunt. Vini mulſi uſum, præſertim his qui uel calculos renum ſuſpectos habent, uel pedū affectioni ſubiacent, nō negauerim, adijciendo huic petroſelinum. Si quando ob pituitam in uentre

contractam

contractam cogimur aliquid eorum quæ incidant, seligere, confestim ad humectantem educationem transeundum, ficis quidem maturis ante alias dapes exhibitis. In bruma uerò tēpore caricis, nullo mali sensu in dextro hypochondrio infestante. At quando serosa pituitosaq; retrimēta in senio confectis corporibus suggeruntur, lotium singulis diebus mouere, & aluum subducere, oleo præsertim, cæteris dapib. nondum gustatis, absorpto, expedit. Constat uerò, quòd ante alium cibum olerum omne genus cum oleo & garo, ex muria item oliuæ, & pruna Damascena edēda sunt. Quod si uehementius aluus suppressa nō respōderit, merculiari & cnico succurritur: quib. nō minus cōducit & terebinthina, interdū unius modò auellanæ, nonnunquā duorū aut triū magnitudine sumpta. nō rarò ex oleo clyster, aluo adstrictæ subuenit.

Ad rugosum corpus. Cap. 24.

ERugatam corporis cutē reddit erui farina, cum uite candida mixta.

Aliud smegma indesinenter abstergens.

Ficus pingues cum bryonia conteruntur, eruiq; farina, ustaq; sepiæ testa, pauco melle excepta.

Vt suauiter spiret corpus. Cap. 25.

SIcca cupreßi coma cōtusa, uel piceæ cortex unguēto confusus, suaueolentem corpori inducūt odorem. memento tamen, ne quis matutino diluculo, unà cū indumētis iā corpori applicatis, momētū uel caßiæ, uel sauinæ gustare detrectet.

Ad calfaciendam habitudinem. Cap. 26.

QVoniam autem habitum instaurare oportet, fricandum in lauacro corpus intrito calorifico, quod constat nepeta, sampsucho, hyssopo, baccis lauri, rore marino, lapide pyrite, sale, fece uini combusta, nitro, pumice, pro uniuscuiusq; ratione momento sinapis, uuæ timiniæ, & grani Gnidij. Post balneum uerò calorifico utatur acopo, uino giluo ueteri, potu ex uino mulso, pipere, rutha, & consimilibus.

Ad

Ad uitiatum corporis colorem. Cap. 27.

PAllidus corporis color, uita amœna, suauibusq; dapibus corrigitur: miscere autem his radiculam, porrumq; cum uiridi cicere oportet. Coloris quoq; gratiam inducit, dulcis mali Punici cremor absorptus. Vincit oleum, in quo diutius bryoniæ radix elixa. Hoc & cuticulam erugat, & corpus expolit. Expurgandæ cuti medelis, orbiculi qui ex aliqua abstergentium farina, & bullo narcißi, & bryoniæ radice constant, miscendi sunt. Amygalæ item amaræ, tum radix, tum fructus si ad manum sint, ex aqua elixa, & pro lauacro adhibita, corpori nitorem conciliant.

Ad liuores & fuscedines. Cap. 28.

SEnes à liuore uindicabimus, si cutem ipsorū spissam, & affectionibus minus obnoxiā, habitudinemq; omnem longè calidiorem reddemus: quod quidem multo citius assequemur, si salibus in balneis super liuidas partes utemur: quas & spongijs, in raphani, absynthijq; iure submersis, fouere expedit.

Quomodo dentes ab iniuria uindicentur. Cap. 29.

DEntes à deuastatione, corruptelaq; asseruntur si ante omnia corruptiones ciborum uitentur, aßiduus deinde uomitus. Horrere post hæc escas dentibus aduersas cōuenit: cuius generis sunt ficus aridæ, mel coctum, quoniā prædurum est. palmulæ frangi contumaciores, quæq; glutinosa sunt. omnia, adeoq; infragilia, ut dentes dimoueāt. Caueri insuper debent, quæ stuporem inducūt: præfrigida & marcida cuncta. Sunt item à cibo dentes semper accuratè purgandi.

Ad grauem auditum. Cap. 30.

ADuersus audiendi difficultatem in primis conducit, auditorios meatus à sordibus expurgare. Tractu aūt temporis, linimentum dropace madens, in ipsum demittere, & expressum extrahere. Vna quippe opera et meatus summè expurgatur, & auditus restituitur. Post hæc aūt instar erui quopiam inserto, per diem obturabis meatū: quo postera die

extracto,

extracto, singulis diebus oleo amygdalino, aut nardino, aut chamæmelino, aut adipe anserino, aut modico felle bouino, perlinies. Rursum aliquo temporis interuallo imposito, ex sinapi & ficu læuigatis, conformatum peniculum horis duabus insere: quo deinde exempto, oleum, in albuci radice excauata feruefactum, infundito.

Ad oculorum caliginem. Cap. 31.

NE oculi corripiātur, submersos gelida aqua diu apertos habere expedit. Hinc enim robur speciei accedit. Cauendum uerò, ne lectione delassentur. Abstinendum à uino crasso, ac dulci, epulis item quæ diu supernatant, & concoctioni resistunt, atq; succos lentæ crassæq; materiæ gignūt, ab erucis, porro, & à quibuscūq; acris uapor sursum effertur. Iam uitare pariter expedit supinum decubitum, diuturnum frigus, uentos ex aduerso obuiam flantes, fumū, atq; puluerem. Infunditur porrò præsenti remedio oculis perpeti mēse singulis diebus aqua, ad hunc modum præparata. Fœniculum uiride, cum aqua cœlesti testaceo uasi foris picato inijce, deinde fœniculo exempto, reliquias in eum usum reponito.

De plenitate. Cap. 32.

SVmmopere in alimentorū satietate delinquitur. nam etsi probè uentriculus suo fungatur in coquendo officio, uenæ tamen plus iusto refertæ afficiuntur, expandūtur, findūtur, oppilantur, flatu infarciuntur, & planè saburratæ pessum eunt. Nihil uerò in morbis pestilentius uenarum plenitudine existit. Ventris autem plenitas, quanquā in totum (quòd redundantiæ ipsius nunc uomitu, nūc alui deiectione excernuntur) tolerabilior sit ea quæ uenis oboritur, tamen ea quoq; damnanda est. Attamen si quis se plus satis ingurgitarit, protinus uomitu eijcere studeat. periculum est enim, ne cōcoctione obita, uenæ infarciātur, præsertim si quis iugiter per intemperantiam sese largius inuitans, nullam experitur euacuationem. Vomendum est itaq; prius quàm cibaria sumpta in uentriculo

triculo corrumpantur. Si quid tamen uomitionem impédiat, alui deiectio plerunque, somno prolixiori indulgeat, & crebrius in potu aqua utatur calida. Vbi uerò satis concoxerit, potißimum si aluum deiecerit, lauare, fomẽtis uti, paululum salsamenti gustare, potumq; dilutũ haurire expedit. Quod si neq; desederit, neque maturè obita sit decoctio, et corpus uniuersum graue, et ad motus inappositum, somnolentiusq; fuerit, mens quoque nulla ratione torpeat, uenarum plenitatem portẽdit. Qui uerò præter hæc laßitudine capiũtur, eos quieti permittere, donec uentriculus concoctionem absoluat, mox deinde exercitationibus inanire satius est.

De temulentia. Cap. 33.

MAturus uomitus saluberrimum temulentis est remedium. Expedit autem ubertim aqua et mulso epotis uomitum elicere, quo benè multa proijciãtur, et uellicationes stomachi hebetiores reddantur. Secũdum uomitũ uerò solio cum illinitione abundanti uti, consilium est. Reliquo tempore tantisper sub stragulo conquiescent, dum id uilli edormierint.

Quibus alimenta corrumpuntur. Cap. 34.

FActa ciborum in uentriculo corruptione, quibus retrimenta corrupta excernuntur, rectißima semita ad sanitatem contendunt. Qui uerò nihil deijciunt, ijs quæ iucundè uentrem molliunt, irritandi sunt. In ea affectione constitutis, uomitiones ante cibũ, uini dulcis potu citæ conferunt. Ad hæc, quicquid est uaporosum, quicquid fœtidum aut uirosum, atq; in uniuersum omnia quæ ocyus corrumpuntur esculenta uitanda sunt. Sed ea quæ inculpatũ succum generant obsonia, cum delectu uenanda sunt. Iam ita habentibus per mediocria temporis interualla alui subductiones, ex clemẽtibus catharticis præsentaneam opem adferunt.

De re uenerea. Cap. 35.

EMolumenta quæ uenerem comitantur, hæc sunt: Plenitatem exhaurit, corpus agilius reddit, augmentũ procurat,

& uirile magis efficit. Quod uerò ad animũ attinet, implici tam ratiocinationis uim extricat, iracundiã mitigat: qua de re melancholico appositißimũ (si quicquam aliud) est præsidiũ. Restituit hominem modestiæ, et aliàs quoquo modo dementes, sapientiæ. Affectionibus quæ pituita proueniũt, efficaciter opitulatur. A cibis appetitus auersionem, in ciborum appetentiam reducit. Aliquot multos à libidinosis insomnijs uindicauit. Ad uenerẽ uerò naturæ calidiores et humidiores sunt idoneæ, et procliuiores reliquis ad libidinem. Victus ratio siccificans et refrigerãs huic militiæ alienior: Senilis itidem ætas, tempusq; autumni. Victus itaq; calidus ac humidus offerendus est. Esto itẽ mediocris tũ laborũ, tum alimentorũ modus. ut enim moderati laboris, ita ueneris quoq; mediocritas cõmendatur: haud enim ad opus modò excitat, uerũ prõptitudinem quandãei qui assueuerit, præbet. Veneris ergo desiderium, præ cunctis alijs rebus, cupediarũ irritat redundãs copia. Proinde quæ plurimi alimẽti sunt cibaria, ad hanc rẽ facta uidentur. Ex piscibus, polypodes (qui sanè ad uenerem stimulare haud uulgariter putãtur) et omnes molliore carne prædıti. Ex oleribus uerò, geminalis, erysimõ, eruca, rapum: atq; hæc uice medicinæ exhibẽtur. Legumina uerò id genus sunt, fabæ, cicer, ochri, quas eruilias dicũt, siliquæ, pisa, quoniam flatuosa sunt, & uberi alimenti. idcirco rutha, eo quòd flatus dißipat, ac penitus demolitur, ueneris quoq; flagrantiam obtũdit. Vuas maximopere cõmendo: humectant enim, et spiritu sanguen infarciunt, quod in coitũ stimulat. Qui itaq; ad uenerem accessurus est, caueat plenitates, cruditates, labores. defatigationẽ, ne uomitus et purgationes proximè præcesserint: pari quoq; modo, ne repẽtinus fluor alui. nam diuturnum fluorem concubitus sæpe exiccat. Aestuantem porrò cõeũdi libidinẽ minimè probo, sed renitendum ei præcipio, maximè ijs qui ex ueneris usu morbo alicui obnoxij fiunt. Satius itaq; fuerit, post exercitationes, balneas, atq; cibum mediocrem

diocrem

diocrem, in uenerem congredi. Sic enim tum ad corporis robur, tum aduersus ingruentes frigoris iniurias plurimum habet momenti. Veneris autem opportunior occasio à cibo (ceu mox mihi dictum) & ante somnum, existit. Protinus enim à coitu somnũ capienti laßitudo relaxatur. Adde quòd temporis id liberis procreandis longè cæteris accommodatius est, cùm alijs nominibus, tum quòd mulier somnum capiens, semen genitale melius retinet.

De his qui re uenerea uti non possunt. Cap. 36.

VErenda pinguitudine frequenter perũgenda sunt, cui modicũ radicis narcißi, aut grani Gnidij, aut pyrethri, aut uuæ timiniæ, aut seminis urticæ, aut anisi adiectũ sit. Propinãda sunt etiã piper, aut satirion, aut eruca, aut cnicũ, aut uno etiã fasce omnia. Ante escas alias, bulbi tosti, fului et exile, cum sale oleoq; aut scyllæ momentũ marcidæ deglutiẽtur. Præterea in hanc militiam confectis medicamentorũ præsidijs uti, ac res deniq; obscœnas iugi lectiõe euoluere cõuenit.

De his qui nimium ueneri indulserunt. Cap. 37.

QVoniam ex immodica re uenerea, corpus rarius, frigidius, aridius, imbecilliusq; euadit, astrictoriæ, calorificæ, humectatricis, roborificæ'que potestatis rebus uti ratio est. Quam ob causam libidinis aßiduitate culcitraq; palæstra defatigatis impendiò conducit, stragulum calidũ, tranquillitas, somni ad naturæ neceßitatem, tantisper dum corporis contentio relaxetur, ipsi'que tandem à debilitate refocillati sese recuperent, reficiantq;.

De nimietate genituræ. Cap. 38.

QVidã feruẽtis genituræ copia saburrati, petulãtes, laxis habenis in amabiles cõgressus ferũtur, qua semel in coitu effusa corpus debilitatur, stomachus resoluitur, gracilescũt itẽ et exucci efficiũtur. Verũ si eam ob rem se uenere defraudauerint, capitis grauedine capiũtur, ac ueluti ex repletione

cibum fastidiũt. Deinde propter libidinis in somno imaginationes polluti, eadẽ patiũtur. Ea de re nihil quod genitale semẽ auctius reddat, propinandũ est: sed cõtrà, quæ id corrumpunt potius, tum alimẽtis tum medicamẽtis, uti. Lumbos ubi lauerint, oleo rosaceo, melino et omphacino oblinire cõuenit. Præstãtius uerò fuerit, ammixta ei craßitudinis gratia, cera inũgere. Adijciũtur etiã succi quidã frigorifici, Semperuiui inquã, solani, umbilici Veneris, et psylij: atq; hæc quidẽ æstatis tempore. sed cæteris anni temporibus, tum reliquorũ, tum lactucæ succus, tum lini semen aqua elixũ: quippe & hoc refrigerantem succum exhibet. Lamina porrò plumbea lumbis supposita, uenercam imaginationẽ per somnũ cohibet. Hoc ipsum præstant herbæ quædam frigorificæ cum rutha, & teneriusculis nonnunquàm uiticis turionibus substratæ. Semina quoq; uiticis atq; ruthæ comesta, idem efficiũt. Obseruare autem conuenit, ne dum tanto certatim studio lumbos refrigerare molimur, renes iacturam faciant.

De his qui ex frigore noxam contraxerunt. Cap. 39.

ALgore plus æquo intenso affecti, locis calidioris unctulo, uel cyprino uel irino delibuti decũbant: deinde calore nõnihil restituto, piperis quiddam, aut myrrhæ cum uino dulci odoris optimi, annoso, uel succum cyrenaicũ, è mero siue aceto, uel pyrethrum, uel castorium ex aceto deuorent. Alimentum autem calorifica ui præditum offerendum est.

De iis qui in sole exusti sunt. Cap. 40.

QVi uerò æstu solis noxam contraxerunt, his, locis auræ expositis decumbendum est. Vultum præterea, manus, crura gelidis undis irrigare. Sitim potu frigidæ pro cõsuetudinis ratione sedare expedit. Hæc sanè non cõfertim semel, sed pauxillatim facere, alimenti item parum, facile in partes digestibile, liquidum potius quàm solidum assumere confert.

De

De pituita in uentriculo superiore superabundante: Cap. 41.

QVod si incidas in quempiam, qui ualentis nutrimenti oblationes auersetur, quiq; si assumere impellatur, nauseat, neque fortaßis quicquam libenter, præter acredinem præferentia admittat, & ijs quidem oblectetur, sed uentriculus inflationem nauseamq; experiatur, & solis ructibus aliquantulum recreetur, interim ipsa quoq; sumpta cibaria, in acidam præsertim corruptionem conuersa, uitiãtur: omnino persuasum sit, prima sanationis præsidia existere, ut uentriculus à pituita abstergatur. Ipse quidem in eiusmodi affectione cõstitutum cognoui, qui radicula ex aceto mulso sumpta, fide maiorem crassæ pituitæ uim euomuit, atq; ita secundam extemplò ualetudinem assequutus est.

Quomodo quis facile uomitum faciat. Cap. 42.

QVandoquidem uiolenter uomentes plurima sæpæ comitãtur absurda, haud ab re fuerit, rationes quibus uomẽdi difficultas tollitur, præscribere. Vomitus enimuero pituitam expurgat, caput releuat, neq; ea quæ quis turbicinãdo ingurgitauerit, incrudescere sinit, noxãq; uino liberaliore madẽti arcet. Sint quæ offeruntur neq; acerba, neq; admodum sicca, uerùm partim dulcoris humorisq;, partim acoris modũ non excedant. E quorum genere principem notã raphano debemus, erucæ, salsamẽto perueteri, origano uiridi, momento cepis, porriq;. Adiuuat uomitũ ex legumẽtis ptisana melle adiecto, pultes ex lomento, et carnes pingues. Atqui nõ iura modò siue cremores, sorbenda, sed uniuersa simul ipsarũ moles deglutiẽda. Noli igitur, quisquis uomere gestis, diutulè mãducationi insistere, sed per elixationẽ cũcta molliora reddãtur. Neq; te lateat, uina multi dulcoris ad eã functionem, quoniã diutius in stomacho supernatãt, seligenda. Potus hic tepidior esto. In cibo amygdalis, quæ melle maduerunt, utantur. Placentæ quoq; interdum degustãdæ. Semen item peponis et cucumeris, maceratum atq; cõtusum cum melle, necnon & cu-

cumeris radicem melle tritam sumere cõgruit. Qui ualentiora exigunt, narcißi bulbo aqua elixo merum diluãt. Quin et irinum quoq; unctulũ uomitionem proritat, si quis digitulis eo delibutis irritet. Verùm id etiã ad uomentes spectat, nihil prætermittere, nihil reliquũ facere, sed hos ab ipso protinus colluere, faciemq; pari studio, aut posca, aut aqua abstergere. nam id dentibus prodest, & caput excitat, exoneratq;.

Quæ secunda ualetudine constitutis aluum subducunt, & lotium cient. Cap. 43.

PRiscis quibusdam ad secundam ualetudinem tuendã abundè uisum est, diebus singulis aluũ atq; uesicam citra reprehensionis notam retrimentis sufficiẽter, pro cibi potusq; sumpti multitudine, exonerare. Quod si illi oletum, huic uerò lotium respõdebat, probabant: Sin secus, lotiũ quidem ciebant scandicæ, apio, asparago, petroselino, aniso, nepeta, origano, absinthio, graminis, carduiq; radice, cytiso, herba cincinnali (quod adiantum dicunt) aqua elixis, quorum ius in potu cum uino subinde ministrabant. Hæc quippe per lotiũ sanguinem expurgant, quod emolumentum adfert præsentißimũ. Aluo suppetias ferebant, terebinthinã, instar oliuæ sub somnũ deuorandam exhibẽtes. Si uerò acrius aluũ subducere animus est, exiguum rhei Barbarici admiscebimus. Cõueniunt etiam aluo emolliendæ, oua sorbilia. Ex oleribus beta, malua, ius cochlearũ, et hæc fortasse satisfaciunt. Validiores in hac re uires habent, mercurialis, in aqua cũ salibus elixa, et comesta, & ius eius epotum. Similiter et sambuci folia, polypodijq; radicis duo denarij salsamento inspersi, aut cum ptisana deglutiti. Eiusdem claßis est serũ lactis, triũ aut quatuor heminarũ mensura, cum sale et melle sorptũ. Ius quoq; ueteris gallinacei, tam per se, quàm cũ binis cnici denarijs acceptũ. Aloẽn interim à cœna, quæ triũ cicerũ magnitudinẽ æquet, assumere expedit. Saluberrimus itidẽ fuerit epithymus cũ uino post frugalẽ cœnã epotus. Verùm si quis uehemẽtiore euacuatione egeat, ueris tẽpore epithymi drachmã ex oxymelite hauriat.

De cly-

De clysteribus. Cap. 44.

HAbent natura uentres quidam astrictiores, quorum præ debilitate stomachus medicamenta quæ per os sumpta aluum deijciunt, non sustinet: hys clysteribus succurrendum est. Qui si pituita quidem intestino fixius inhæret, è iure caricarum, betarum, nitri, radicis cucumeris syluestris, cum melle et oleo uel chamæmelino, uel anethino cõfiant. Si ariditas acrius urget, uincit decoctũ altheæ, fœnogræci, chamæmeli, adiecto oleo & melle haud ita multo. Abundè nonnunquam oleum per se dimidiati acetabuli quantitate, per inferna immissum, facit. Neq; tamen id continuò agendum, ne natura ijs irritata, ultroneæ deiectionis obliuiscatur.

De glandibus. Cap. 45.

VSus quoq; glandium celebris est ad stercus excernendum, & ad educenda quæ per clysterem iniecta nõ redduntur. Finguntur uerò glandes è sale asso, melle & nitro. Thymus quoq; non rarò melli percocto leuigatus, assumitur. Formantur nonnunquam et è terebinthina, resina et nitro, & modico interim cocco Gnidio. Cæterùm quoniam ferè lancinatio inde conflatur, partes oleo sunt obliniendæ. Porrò dum pyrethrum, aut piper inseritur, opitulantur dissolutis, & præ algore inflatis. Additur item sæpius et centaurium, pici aut cerato implicitum, resolutioni uerendorum accõmodatißimum præsidium. Pueris uerò grumus salis inditur. Ex ficu deniq; adiecto nitro, nonnunquam collyria perficiuntur.

De caput per os & nares purgantibus, deq; unguentis earundem etiam. Cap. 46.

HVmores capitis per sputa uacuantur. Id si clementer facere fert animus, cõfundimus piper mastichæ. Si ualidius uacuare studebimus, aliàs pyrethrum, aliàs herbam pedicularem mandere præcipimus. Præterea utriusq; orcitunicæ cõmanducata radix, ad pituitam extrahendam efficax est. Capparis quoque radicis cortex. Retrimenta item serosa

rebus enumeratis euacuantur. Sinapi uerò cũ oxymelite gargarizatum, aut defrutum in quo origanũ uel hyssopũ elixatum sit, craßiorẽ pituitã excernit. Ipse uerò sapæ sinapi cum oxymelite cõfundo. At si à muco quoq; purgari cerebrũ expetat, cum per medicamẽta quæ acorẽ obtinent, quorũ bene multa sternutatione eliciũt, euocabimus. Purgat itaq; per nares anagallidis utriusq; & cuiusuis orcitunicæ, ac betæ succus, foliorũ quoq; syluestris cucumeris succus uel seorsim ipsius, uel cũ decocto, uel betarũ naribus infusus. Crudis uerò humoribus in thoracis, pulmonis, capitisq; parte contentis, sternutamentũ nihil proficit. Quo autẽ os oblini debet, tale est: Sapo cum betæ succo dilutũ, partibus palati atq; columellæ illitum, optimè facit. Idem per nares quoq; purgandi facultatẽ obtinet. Nigella porrò acquisitu facili, ad nariũ illitionẽ subinde usus sum: quã equidẽ interdum peracri aceto pridie maceratam, deinde posteriore die cum aceto denuò læuigatã, naribus infundo. Interdũ uerò nigellã oleo ueteri liquefacio, atq; pari modo usui adhibeo. Ad hunc ferè modum Archigenes quoq; in obturatione nariũ eadem usus est. Priori autem ex aceto, Crito felle suffusis succurrebat.

Quæ menses trahant muliebres. Cap. 47.

QVæcunq; lotia proritant, eadem & muliebria impellere solent. Verbi causa, braßicæ radicis decoctũ potum, persicæ radix, rutha, calta (sic enim Romani chrysanthemõ uocant) dictãnum, & semen crucæ. Reperiuntur etiam quæ ori locellorũ subiecta, menses promouẽt: ut rutha læuigata cum melle, porri liquor, alliumq; contritum subiectum, myrrha uino diluta, aut leporis deniq; coagulum.

Sudorifica medicamenta. Cap. 48.

SVdorem prouocant chamæmeli farina oleo inspersa, summæ cuti ualidè infricata, seseli, pyretrhũ, canchri, anisum pari modo oleo inspersa, nitrum tostũ haud ualde tenue cum oleo: flos salis oleo tẽperatus: liquor cyrenaicus, aqua dilutus,

tus,corpori infricatus,cicerisq; quantitate haustus. Consimi liter & nepeta,tum si cum aqua mulsa sumatur,tum si foris quoq; corpus ex eo fricetur.

De aëre. Cap. 49.

SAluberrimus aër est,exquisitè purus:cuiusmodi fuerit,quē neq; stagnorum, neq; paludū, neq; alicuius profundi specus,pestiferam auram expirantis,exhalationes perturbant. E`diuerso, qui latrina quapiam uastum aliquod oppidū expurgante inficitur, pestilens est. Neq; etiam is qui nebulósus est,frugi uideri potest. Vitiosus item, quisquis in conualli celsis undiq; montibus circunsepta inclusus,nullum omnino recipit perflatum. Ad hunc ergo modum aër infectus,omni pariter ætati,omni tēperamēto,iuxtà tātopere noxius est,quantopere inculpatus ille uniuersos & amœnat & adiuuat. Sed qui in qualitate,ardore inquam,algore,siccitate,et humiditate aër uarius est,non omnes pariter afficit. Tēperatis nanque corporibus aër temperatus : in temperatis uerò,qui contrarij temperamenti fuerit, utilißimus est.

De aquis. Cap. 50.

QVæ aquarum cùm uirtutes,tum uitia sint,explorata habere conuenit,utpote quæ multiplicē in primis præ cæteris omnibus ferè usum,ad quamlibet uictus rationē suggerunt. Latêre itaq; neminē debet,saluberrimam esse, quæ omnis planè tam gustu q̄ olfactu qualitatis expers est,sed potanti extēplò suauißima,intuenti limpidißima uidetur. Quæ etiā per præcordia matu rrimè descēdit,hac nullā potiorem aliam inuestigare conuenit. Quæ uerò præcordijs diutius immoratur,uentrē uexat,inflationes facit grauatq́;,deterrima cēsetur. ea sanè neq; calefit ocyus,neq; frigefit prōptius:quin & quæcūq; in ea elixantur, longiore mora et malignè tandem decoquūtur. Satius itaq; fuerit,experimēto huiuscemodi aquam discernere. Qui uerò notis quibusdam talē deprehēdere studuerit, ex ijs quæ memorabimus faciat iudiciū. Enim-

uerò quæ ſeptentrionem uerſus à ſole auerſa labitur, ea ut ægrè trāſmittitur, ita coctu difficilis et cōtumax eſt, et caleſit, & refrigeratur lentius: quæ uerò ad orientem, per meatum quempiā ſiue tellurem excolatur, leuiq; momento caleſcit et refrigeratur, de hac ſummæ bonitatis ſpē cōcipias. Ea quoq; frugi putanda eſt, quæ æſtiuo tēpore frigidior, brumali uerò calidior eſt. Nec deſunt, qui aquæ bonitatē trutina explorāt: ei ſanè leuiores cæteris præferūt. ſi id cū ijs quæ mox recenſuimus, cōmune habet, probatur. Verùm ſola hæc, niſi et alijs fulciatur notis, exactæ bonitatis coniectura minimè ſatis eſt. Cœleſtis porrò aqua, teſte Hippocrate, leuiſſima, ſuauiſſima, limpidiſſima, tenuitate deniq; nulli ſecūdā cenſetur, eo quòd à ſole leuiſſimū tenuiſſimūq; trahatur. Idq; non ex alijs aquis modò, ſed ex mari etiam, corporibusq;: proinde & omnium celerrimè putreſcit, ceu è diuerſis qualitatibus cōſiſtens. Nemo uerò citius putreſcibilem aquam deterrimā eſſe iudicet. alterationis quippe procliuitas uirtuti magis quàm uitio adſcribēda eſt. Quapropter quæ inculpatæ aquæ indicijs prædita, facile cōputreſcit, ſaluberrima cenſenda eſt. Atqui ubi alterari cœperit, ſumentibus, raucedinis, tuſſis, grauitatisq; uocis occaſionē præbet. Cæterùm ex pluuialibus aquis æſtiua et tonitruoſa, bonitate nimboſæ præpollet. Glacialis uerò, niualisq; omniū uitioſiſſima habetur, quòd eius cōgelatione omnes tenuiſſimæ partes exprimātur. Vtile aūt fuerit, limoſam, teterrimiq; odoris aquā, uitioſaq; qualitate affectam, elixatione prius corrigere, et ſic tandē propinare. Et uinum miſcentes, aquæ uitia emēdamus, ſtipanti quidem dulcius, cæteris uerò acerbius. Nonnullas porrò aquas, uerbi gratia limoſam, ſalſuginoſam, bituminoſam, excolare expedit. Valde uerò gelidā poſt cibū, ſed ne tum quidem confertim raptimq; ingurgitandam iudico. Inuenerunt nonnulli cibos ac potus, quibus aquarū uitijs occurrunt: et alij quidem ciceris decoctā propināt, uel ipſummet deuorāt: alij pedes gallinaceos cum piſciculo

pisciculo quopiam elixatos, pariter edunt. Consimiliter & fœniculum. Quidam betam denique & cucurbitam sale conditam, cum uino diluto præsumunt.

De balneis. Cap. 51.

PRobo sanè lotionem frigidæ, sed ita quidem, ut citra expedientem uictus rationem degentibus nihil conferre, ijs modò qui ad amußim uitam instituunt, laboribus item et alimentis cõmodißimè funguntur, ex usu esse asseram. Pluribus uerò, qui copiosiore egent refrigerio, indulsisse nõnunquam natationi æstatis tẽpore abundè fuerit, iuuenib. maximè et quadratis, frictionibusq; præcalfactis. Sint aũt neq; uenere, neq; alia quauis occasione defeßi, neq; cruditatẽ experti, neq; uomitiõe, uẽtrisq; fluore, aut uigilijs deniq; exhausti. Periculosum quippe simpliciter gelido lauacro uti. Calidũ aũt ut optimũ, ita et tutißimũ talib. existit, solatur enim laßitudinẽ, plenitates succorũ halitu dißipat, calorẽ inducit, placat, mollificat, flatus ubicunq; radices egerint, discutit, somnũ accersit, & corpulentiam inuehit. Est uerò utilißimũ cuiq;, tum uiro, tum mulieri, tũ puero, tum seni, magistratibus atq; priuatis.

De thermis sponte prouenientibus. Cap. 52.

BAlnearum ultro scaturientiũ quædam sunt nitrosæ, quædam salsuginosæ, quædã aluminosæ, quædam sulphureæ, quædã bituminosæ: aliæ æris, aliæ ferri deniq; naturã æmulantur. Nonnullæ ex earundẽ rerũ mixtura cõstant. idcirco omnes in uniuersum, quotquot ultro thermæ emergũt, uirtute arefaciẽdi calfaciendiq; præditæ sunt, frigidisq; ac humidis naturis in primis cõducunt. Cæterùm quæ nitri salisq; naturã obtinẽt, capiti, thoraci, destillationibusq; affecto, stomacho humecto, hydropicis, œdematis è morbo pullulãtibus, & pituitosis cõueniunt. Quæ alumine cõstant, sanguinis excretionibus, uomiturienti stomacho, inordinatis fœminarũ purgationibus, et ijs quæ identidẽ abortiũt, opitulãtur. Quæ uerò sulphuris uim poßident, neruos emolliunt, calfaciuntq;,

fatiga-

fatigationibus subueniunt, stomachi uires non solum protererunt, uerumetiam subuertũt. Sed bituminis naturam imitantes, caput replere, sensorijsq; sedibus officere solent, enixè tamen calfaciunt, tẽporis progressu emolliũt. Quæ æris confusione constant, os, tonsillas, columellã, & oculos adiuuant eximiè. Quæ ferri naturam retinẽt, stomacho lieniq; accommodatæ sunt. Oportet autem balneorũ aquam sensim citraq; tumultum ingredi, quò uis ipsius pedetentim irrepens, promptius in relaxatum corpus demergatur.

De uictus ratione singulis anni temporibus utili. Cap. 53.

OPtimum fuerit quæq; anni tempora obseruando, uiuẽdi rationem instituere. Per hyemem quidem ualentius exercitari, & plenioribus alimẽtis uti oportet, præcipuè quando aëris tẽpestati Boreas imperat. Vbi uerò austrina tempestas fuerit, pari quidẽ exercitationi, sed cibo potationiq; frugaliori indulgẽdum. Et in uniuersum, ut madido tẽpore siccius omnino reddere corpus, ita & per frigidũ tempus calidius. Vesci carnibus oleribusq; calidis, atq; uinũ prolixius bibere, confert. Vere autẽ aduentante, hic quidẽ uomitionibus, alius alui deiectionibus euacuetur, alius sanguinẽ detrahat pro recepta cuiusq; cõsuetudine, et animi prõpta uoluntate. Aestate uerò quies expedit, laborum item & ciborum subtractio, qui ex frigidiore genere sunto. potatione quoq; uberiore uti, atq; omnia quæ refrigerium humiditatemq; conciliant, adhibere cõuenit. In autũno exactiorẽ cautelam circa uictus rationem res postulat: quoniam omnino inæqualis ac inordinatus, morborum omne genus parturit. Ne quid circa frigus delinquatur. A uenere impendiò, potuq; gelido cauendum. Matutinũ porrò aëris frigus, meridianusq; æstus utiliter declinatur. Pomorum quoq; fugacium repletio uitanda, quoniam non saturitate modò, sed quod uitiosum etiã succũ flatusq; generat, officit. Optima nanq; omnium fructuum ficus ac uuæ, flatus excitant: & nisi ante alias escas accipiãtur, alimenta quoq; corrum-

corrũpunt. Præ alijs uerò ferculis assumpti, neq; inflãt, neq; corrumpunt. Vbi frigidior redditur aër, pro algoris ratione corpus calfaciendũ est Omniaq; perinde ac hyeme iam obrepente peragẽda sunt. Nec alienũ fuerit, post æquinoctium ex cõmemoratis quibusdam rebus corpus inanire, ne quid supervacaneum in ipso per hyemem retẽtum, oxiam inferat.

Victus ratio uitam negotiosam transigentibus seruanda. Cap. 54.

QVisquis in negocio degit, spectare debet an superiore se uita exercitare cõsueuerit: an dum exercitationibus uacat, mediocriter illiusmodi cõsuetudinẽ sustineat, ita quidẽ ne morbis conflictetur, aßiduò corpore perspirabili præditus. Huiusmodi quippe corporis natura ad aliam cõsuetudinem nullo pacto traducẽda est. Sicuti nec eius, quod ex longis temporũ interuallis aduersa ualetudine premitur. Verùm si perpetim quispiã ægrotare soleat, idq; fertur plenitati acceptũ, per uniuersam tuẽdæ sanitatis rationẽ, hunc scopũ tibi præfigas, ut humores iugiter moderatos poßideat: sin humorũ uitijs, ut quàm optimè generentur succi, contendendũ est. Quorumcunq; igitur corpus succis ex æquo redundãtibus scatet, eos omnino lauare prius, mox fricari, leuiterq; dimoueri oportet. Qui autem hæc antea moliri anticipauerint, his quadantenus eadem augere, cibum circuncidere, eundemq; haud magni nutrimenti ingerere, cõsulimus. Ceterùm qui uitiosos humores accumulat, neutiquam una sanationis intentione curãtur, eo quòd multiformes sint uitiosorum humorũ species. Quidã enim frigidiorem, pituitosioremq;, quidã calidiorem, biliosioremq;, nonnulli atræ bilis denique maiorem aceruum cõgerunt. Abstinendum itaq; à cibis ac potibus, qui aceruatam facile succorum cõgeriem nati sunt gignere. Omnibus autem his commune fuerit auxilium, uentris deiectio.

Ratio uictus peregrinantibus utilis. Cap. 55.

ITineris iniurias facillimè uitabit obesus, maximè si lentius iter festinat. Per æstatem porrò mollis quædam fascia sex

aut

aut septem digitorũ latitudine, nec minus quàm quinq; cubitorum lõgitudine, sinuoso uolumine lũbos ad ilia usq; implicet. Pedum quoq; subsidij proficiscentibus plusculũ præbuerit. Per decliuia enim præmissũ corpus uacillãs, ac per præceps ruiturum, ceu statumine quodam suffultum sustinet: sin accliue scandendum, faciliorem corporis motũ eius præsidio perfici constat. Præterea cum in perfectione ab itinere cessatur, inũgere, & exiguũ quiddam alimẽti æstiui promere, potionemq; moderatam hoc tempore propinare, ex usu est. A prandio priusquã denuò iter arripiatur, ad tempus quiescendum est. Si quẽ necessitas dira proficisci impulerit, sitisq; premat, tenuẽ polentã ex aqua cum salis momento bibat. Aestus porrò solisq; ardores cauendi sunt, neq; corpus nudũ insolare, sed ne ab itinere exiccatum indurescat, cooperire cõuenit. Hoc quippe pacto & labor minus afficiet, et nullus memoratorum affectuum hominem corripiet. Hyeme quidẽ frigida, ante arreptum iter, aluo subducta, et unctione admota, ciborum hyemaliũ partem bene magnã, potionis uerò paululum sumere, fasciaq; proceriore nõ lumbos modò, uerùm spinam quoq; ac pectus, probè ac scitè inuoluere, expedit. Vbi uerò tranquillitati quis se crediderit, sub eiusmodiq; refectione frigus ingruit intensum, neq; ungi tum, cibúmue ac potum, neq; recreationẽ quduis alid, capere præstat, si quis eo loco permãsurus est. Post diutinã profectionẽ cæterosq; labores ualidiores, etiã si qs nihil lassitudinis pcipiat, curari tamẽ fatigatorũ more nõ dubitet: ita enim iniurijs minus erit obnoxius.

Nauigantibus qui uictus conueniat. Cap. 56.

VOmitionibus quæ nauigantibus obueniunt, initio quidem ut ægrè, ita inutiliter reluctamur: siquidem plurimũ opis plerũq; ferre cõsueuerunt. Oportet autem à uomitione neq; multum, neq; sine discrimine quiduis alimenti offerre, sed lenticulã aridam, et coctã, cum momento pulegij, aut panẽ uino aquoso atq; perodoro maceratum: potatione porrò modica,

nempe

nempe uini penitus aquosi, uel aceti mulsi, utātur. Cæterū lentes tātisper dum molliores euadāt, sunt elixandæ: mox in farinā terendæ, pòst arefaciendæ, ac deniq; in uas aliquod testaceū reponēdæ. Cum uerò crebræ uomitiones diutius perseuerauerint, cibi maiore subtractione utēdum, exiguoq; potu, puta aceto mulso, in quo thymus sit maceratus, siue pulegium. Aqua itē cum hordeaceæ farinæ polline mixta, uel uino boni odoris aqueo, quod tenuißimū polētæ florem adiectū habeat. Aduersus porrò nauigiorum graueolentias, mala cotonia, aut thymum, aut pulegium odorari debent. Et quāminimum fieri potest, salum intueri oportet, donec quis nauigijs immorari assueuerit. Danda postremò est opera, ut aquæ limpidæ sint, neq; fœdum odorem, neque salsedinem præferant.

De abolenda pinguedine. Cap. 57.

CVm supra iustum naturæ modum obesum euasit corpus, eliquandum ipsum & extenuandū est. Quum igitur ostensum sit, calidiorē sicciorémq; temperiē corpus exilius efficere, hanc obesis quò ad mediocritatem reducātur, inducemus. Didicisti aūt, quòd exercitationes festinæ, nutricatus extenuās, medicamenta item eiusdem facultatis, animiq; solicitudines, corporis temperamentum siccius ac calidius, atq; ob id quidem corpus quoq; gracilius reddūt. Tenuis itaq; uictus ratio iam omnibus perspicua est. Medicamēta uerò efficaciora habentur, ruthæ semen, præcipuè syluestris, unà cum corymbis, malum terræ, quam aristolochiam dicunt, rotundum, tenue centauriū, gentiana, polium, & quæcunq; acrius impellunt lotium, ceu petroselinū: horum nempe singula cùm seorsim, tum adiectis simul alijs, humores abundè extenuant, & corpus euacuant. Combustarum porrò uiperarum sales efficacem attenuandi uirtutem poßident. Theriaca ipsaq; distrahendi & attenuandi potentia regnat. Oleum inunctum, in quo cucumeris agrestis, althææ, gentianæ, panacis, & aristolochiæ radices, polium item ac centaurium elixa sint.

Opor-

Oportet autem alimentum non statim à balneis exhibere, uerùm ut dormiant priusquam cibum capiãt, mandare. Satius autem fuerit, si aqua lauacri ex rebus dißipandi facultate præditis constiterit, præsertim si ultro emergẽtis copiam habere possumus, cuiusmodi Mitylenæ existit: Sin minus, salis flos aquæ marinæ commiscendus est. Vinũ ad hoc tenue atq; candidũ eligatur. Frictio insuper sicca, quæ panno craßiore ac rigidiore fit, efficaciter extenuat. Cibi quoq; minus, quàm exercitationis ratio postulet, offerendum. Confert itidem ad pinguedinẽ abolendam insolatio. Vincit, nihil potare: et cibaria semel dũtaxat die assumere, præstat. Frictione itẽ asperiore, nitro uidelicet & salibus, corpus perfricare. Multum etenim nitri, in lauacris extenuat: modicum uerò, corpus ad bonam nutritionẽ irritat. Macilentius etiam reddit hoc medicamentum, quod piperis ac petroselini duplum, asari uerò & anisi dimidiũ continet. Id quod cùm uesicæ, tum alui quoque retrimenta pulchrè promouet.

Quinam macilenti renutriendi sint. Cap. 58.

SI autem uesculos admodum reficere studebimus, uino utiq; crasso, dapibus craßioris succi, exercitationibus lentis, frictioneq; mediocri, et ut simpliciter dicam, omnibus quæ sunt enumeratis contraria, utemur. Profuerit autem plurimum, trium aut quatuor dierũ picatio. Si quis ieiunus lauetur, ante lotionem linteo ad corporis usq; ruborem confricandus est. Deinde dura quidem, non tamẽ multa frictione cutim astringendo, densam atq; solidiorem reddamus. His qui decolorati sunt, & alimenta non sentiunt, excandescentiam excitare, & animi affectus commouere, expedit.

Quomodo partibus attenuatis medendum. Cap. 59.

PLurima uerò macies, quæ membris quibusdã accidit, uel ob diutinam ipsorũ quietem, uel ob deligationis modum quo fracturæ fasciantur, cõtrahitur. Quocirca roborare partium extenuatarum uires, adq; eas sanguinis abundantiã attrahere

trahere conuenit, frictionibusq; uti moderatis, motionibus concinnis, & fotu aquæ calidæ moderato. Hæc uerò tantisper peragenda, donec affectæ particulæ cum rubore intumuerint: & priusquam concidant, desistendum. Oportet aũ tempicatis medicamentis partes commemoratas oblinire: quas ubi frigidiores senseris, sindone ac calorifico quopiam medicamine confricato. Vsus nonnunquam & thapsia sum, aliàs ex melle, aliàs cum cerato illinens.

Optimæ temperaturæ indicia. Cap. 60.

OPtimi temperamenti homo est, ubi corpus ab omnib. extremis ad unguem pari distat spacio: uerbi causa, gracilitatis, obesitatis, molliciei, duriciæ, ardoris, algoris, humiditatis & siccitatis: atq; uno uerbo, cum non naturalia modò uerùm & animalia munia exactè, & penitus inculpatè obierit, & exquisitißimè medium hispidi, glabriq;, atri, item & candidi obtinuerit. Capillos puer rubicundiores quàm nigriores, adolescens uerò contrario planè modo habeat.

Malæ temperatorum corporum notæ. Cap. 61.

COrpora plus æquo calidiora, dentes citius edunt, & ad augmentũ celerius maturãt, tactui calidiora pariter & pinguia minus apparent, cutis rubicundæ, atri capilliti, mediocriter hirta, & amplioribus uenis, existunt. Si quis pinguis, crassusq; fuerit, ac uenas simul latiores sortitus sit, non est ea pinguedo naturalis, sed consuetudine acquisita. Frigidioris temperamenti notæ sunt, cum gelidum tangentib. corpus apparet, glabrumq; sit ac pingue. Color cutis unà cum pilis rufior est. Et si frigiditas plurima excesserit, liuidior, ac plumbeus, arctiores sunt uenæ. Si gracilitas huic temperaturæ accedat, neq; is necessariò, sed cõsuetudine talis euasit. Aridũ uerò temperamentum durius est & gracilentius medio temperamento, atq; hispidum: quandoquidẽ à sicca temperie inseparabilis omnino duricies est. Gracilitas uerò non congenitas modò temperaturas, sed etiam ex longa

cõsuetudine contractas comitatur. Testatur uerò duriciem, si corpus ægrè moueatur, & siccum interim ac squalidũ ex qualibet arefaciente causa reddatur. Humidum, in reliquis quidem omnibus bono temperamento respondet, uerùm mollius & carnosius est, à quo mollicies separari non potest. Si cuti craßities non insitam solum sequitur temperaturã, sed etiam ex diutina quadam consuetudine adquisitam. Peculiare uerò maditatis indicium est, onerari ab humidioribus corpus. Quibus calidum atq; siccum fuerit temperamentum, ij extremè denso ac hispido sunt corpore, capitisq; cæsaries in prima statim ætate facile augmentabilis, quam atram & copiosam in iuuentute sortiuntur. Progressu uerò temporis caluities comitatur, uenæ latiores sunt, & arteriæ amplæ, quæ uehementiore ictu percutiunt, uniuersumq; corpus robustum, dearticulatum, musculosum item, & adipe carens. Cutis durior & atrior. Gelidum uerò ac humidum temperamentũ, thorax cum reliquo corpore angustus ac glaber arguit, cutis tenera & candida, capillitiũ subrufum, præcipuè in adolescentia, in senecta non caluescunt. Sunt huius naturæ statim formidolosi, pusillanimes, segnes, obscuris uenis, craßi, pingues, musculis, femoribusq; indiscreti, inarticulati, & lingua plerunq; titubãte. Quod si modum mador frigiditasq; excesserint, color cutis capillorumq; rubens: si plurimum intendatur, luridus existit. Calidũ, humidumq; temperamentũ, & mollius est, & carne magis abũdat, q̃ inculpatum. Si uehementer augeatur, prõptius his quæ ex putrefactione proficiscũtur ægritudinibus, corripitur: Sin humidius paulo quidem, sed multo calidius existat, molliores paulo tales bene temperatis, & corpulentiores, nõ uerò paulo hispidiores euadunt, & tangentibus longè calidiores apparent. Quod si frigidũ unà cum siccitate exacta paritate intendatur, natura durius, gracilius, & candidum erit corpus, neq; musculosum, neq; articulatũ ac depile, ad tactũ ue-

rò frigidum: pinguedo tamen (etiã si tenuia sint eiusmodi corpora) inter carnes hinc inde intercalata cernitur: capillitium uerò & color, frigiditatis modulo proportionantur. Quod ad animi mores spectat, pusillanimes, meticulosi, mœstitia semper perculsi, eiusmodi tẽperaturæ homines sunt: atque ut cõpendiò perstringã, in temperamentorũ coniugatione semper dominãtis qualitatis notæ superare consueuerũt.

De figuratione capitis. Cap. 62.

Exiguum caput, uitiosam cerebri fabricam peculiariter testatur: neq; tamen ob id grande, necessariò bonæ cõstructionis nota censetur. Nam si ex insitæ potestatis utilem ac plurimam materiam procreantis robore magnitudo euenerit, laudabile indiciũ est: sin ex solius materiæ copia, malũ. Proinde distinguẽda sunt hæc, forma scilicet capitis, & ijs quæ inde propagãtur. Forma quidem, si concinna est, nunquam uerè mala hæc nota existit. Propaginib. uerò capitis, si optimè constent, & neruosum genus bonum habitum firmitatemq; obtinuerit, oculiq; perspicaci admodũ acie præditi sint. Acuta uerò, & fastigiata capita, deficientẽ habẽt frontis, seu occipitij eminentiam, uel supra quàm conueniat auctã. Quemadmodum itaq; capitis cùm magnitudo, tũ paruitas, sic hæ quoq; tam distortæ reprehendũtur figuræ: quarum nonnunquam, rarenter tamen, nonnullæ ceu bonæ cõmẽdãtur, ubi formatrix scilicet facultas robustior extiterit.

Temperamenti cerebri indicia. Cap. 63.

Mediocris temperamẽti cerebrum, functiones naturales moderatas, retrimentorumq; mediocritatẽ cõtinet, minimeq; ab his omnibus quæ foris occursant, offenditur. Capitis capillamentũ talib. per infantiã subrufum, per pueritiam subflauũ, in adolescentia flauum, & medium quodãmodo inter exquisitè crispum & planũ cernitur, nec tamẽ procliuiter caluescunt. Quòd si temperato calidius fuerit, cũcta quæ caput circunstãt, calidiora & rubicundiora uidentur,

oculorum uenæ uisum nō effugiunt, coma capitis mox in lucem editis promicat. Et si plurimum caliditas excedat, nigra, fortis atq; crispa. Quum uerò non multum, principio quidem subflaua, mox deinde nigricat: ætatum uerò progressu, caluitium facile admittunt. Retrimenta talium sunt modica, inculpataq; sanitate fruūtur. Implentur atq; aggrauantur eorū capita calorificis tum esculentis, tum poculentis, tum odoribus, tum ijs quæ forinsecus incidunt. Breues somni, minimeq; profundi, id genus temperamentis sufficiūt. Qui frigidius quàm par sit, cerebrum habent, his retrimento pluri peculiares ei meatus abundant: cæsaries recta, rubicunda, stabilis, prōptiq; à gelidis causis offenduntur, destillationibus & grauedinibus perpetuò conflictantur: uenæ oculorum non conspiciuntur, somnoq; magis quodāmodo dediti sunt. Aridioris cerebri notæ sunt, nulla in meatib. excrementi redundantia, sensuum exacta consummatio. Vigiliæ, asperrimi statim in lucem editis capilli, crispiq; magis, caluities præcox. Humidioris cerebri indicia sunt, capillamentum planum, caluities nulla, sensus obtusi ac turbulenti, superfluitatum abundantia, somni plures, atq; profundi. Cerebrum calidum & aridum sortiti, excrementis uacant, sensibus regnant exquisitis, plurimū uigilant, celerrimè caluitium experiuntur: prima capillorum origo ocyßima, plurimo abundans alimento. nigri sunt pili, & calidi tangentibus caput apparent, & usq; ad uigentem ætatem rubicūdi. Sed ubi caliditati mador accesserit, & utraq; temperamentum modicè superant, ijs uenustus color & calor inest, prominentes in luminib. uenæ apparent, superfluitatum copia moderatè concocta, capillitium rectum, uergens ad flauum, non ex facili caluent. Rebus tamen calfacientibus & humectantibus, eorum capita facilè replentur et grauātur. Quod si uehemētior calor humiditasq; creuerit, caput morbidum & excrementosum euadit, multoq; celerrimè à calorificis humectan-

humectantibusq́; lædi consueuit, neq; diu uigilare eius tempe raturæ homines possunt. cum autē somnus subrepserit, imaginationibus per somnia obruuntur, species oculorum caliginosa, sensus non exquisiti. Gelidum pariter & siccū cerebri temperamentum, frigidum & decoloratum caput testatur: quo præditi oculorum uenas latentes obtinent, & à causis frigidis prōptius offenduntur, eoq́; inæquali sanitate fruuntur: sensus per iuuentutem exactissimos & inculpatos possidēt, sed progrediente ætate maturimè tabescūt, atq; (ut compendiò dicam) celerrimè circa caput senectutem ostendunt. In lucē eiusmodi temperamento editis capilli uix erumpūt, prauè alimētis sustentantur, atq; rufescūt. Hudum gelidumq́; cerebri temperamentum, ueternosos pariter & somnolentos homines parit: sensibus retusos, excrementis redūdātes, caput algori, plenitudini, destillationib. mucisq́; narium peropportunum, neq; tamen caluiciei obnoxiū reddit.

Ventriculi temperaturæ indicia. Cap. 64.

VEntriculi natura siccioris notæ sunt, si quis uehemētius siti prematur: quæ exiguis potionib. extinguatur, à liberalioribus grauetur, et fluctuationes percipiat, eo q̃ superfluum est fluitāte, cibarijsq́; gaudeat aridiorib. Humidiore uentriculo præditi, minimè siticulosi sunt, et humoris copiam sine molestia tolerant, & edulijs oblectantur humidioribus. Calidior natura uētriculus, exactius quidem concoquēdi, quàm appetendi functionē absoluit, præcipuè si dura et mutationi renitētia ingerātur: delectātur tum cibis, tum potib. calidis: neq; tamen gelidis, si moderatus ipsorū fuerit usus, læditur. Frigidioris naturæ uentriculus, ut appetēdi uirtute uiget, ita coquendi munere friget, maximè si ijs quæ suapte natura difficulter conficiuntur, & frigidis alimentis oneretur: prōptè enim in ipso acescūt. Amat uerò gelida, sed facilè ab eorundē immodico usu offenditur. Prauæ uerò temperaturæ à morbo conflatæ, hoc ab insitis dissident, q̃ contraria non

sibi similia affectāt. Quocirca si uentriculus decoquendo pro
bè sua munia exequitur, tẽperatus dicitur: sin secus, intempe
ratus. Si nidorosas ructationes edat, immoderatum eius igne
umq; feruorẽ testatur: sin acidas, cōtrà. At qui cibaria cōfe
ctu contumacia facile conficit, caloris uehementiā arguit: si
hæc minus, sed pisces facilius concoquit, imbecillitatem. Ob
seruandum tamen, propter humorem'ne aliunde uentriculo
admeantem id superueniat. Pituitosi nāq; acidum, biliosi ni-
dorosum, uirosum, aut alias quaspiā qualitates extraneas ru
ctant: utrosq; autem communiter nausea infestat. At si in si-
nuoso uentriculi loculamẽto uitiosi humores fluitauerint, uo-
mitu excernuntur. Si uerò corpori ipsius impacti, tunicis e-
ius adhærescunt, frustra ipsum inanibus nauseis ad uomi-
tum uellicant.

Agnitio pulmonis. Cap. 65.

NOn uentriculus modò siticulosos, & siti uacuos reddit, et
frigidi calidiúe potus appetentes, sed etiam quæ in tho-
race consistunt uiscera, cor, pulmo, & hepar. Qui igitur pul
monis calore sitiunt, etiamsi potauerint, nō protinus leuātur
siti: frigidaq; potio sitim ipsorū magis restinguit, q̄ multa
calida. Recreat eos gelidi aeris inspiratio, cū nihil solatij cō
ferat ijs, qui uentriculi ratione sunt sitibundi. Sic quodāmo-
do affecti, à gelido inspiratu sensu perceptibilem læsionem
percipiunt: quod insigne frigidi pulmonis indiciū est. Quin
& pituitæ excrementa cū screatu et tussi expuunt. Quem-
admodum aridi pulmones retrimentis atq; pituita carẽt, ita
humidi superfluitatibus abundant, uocem reddūt obscuram
pariter & raucam, intercurrentibus ipsis identidem excre-
mentis, quum acrius impensiusq; uerba facere contenderint.

Cordis indicia. Cap. 66.

COrdis feruẽtioris notæ sunt, amplitudo respirationis, p-
cussus arteriarū cùm uelocitas tum frequẽtia, audacia,
& furiosa temeritas, thorax hispidus, et pectus præcipuè, et
quæ sunt hypochōdrijs partes proximiores. Magna uerò ex
parte

parte, et uniuersum corpus calidius, nisi iecur uehemẽtius obstiterit. Quin & thoracis uastitas, caliditatis indiciũ est, nisi et hic cerebrũ magnopere repugnet. In frigidiore uerò corde percussus tẽperatis paruiores edũtur: meticuloso sunt genio, eiusmodi tẽperaturæ cor sortiti: pusillanimes itẽ, oscitãtesq́;, et pectore glabro. Cor siccius testãtur duriores pulsus, ira nõ procliuis, sed ferox, et quæ nõ facile placari queat, atque magna ex parte totũ simul corpus siccius, nisi hepar cũ uicinis partib. renitatur. Humidius cor arguunt percussus molles, mores ad iram quidẽ procliuiores, sed ocyus pacabiles, atq; uniuersum corpus humidius, si hepar nõ reluctetur.

Calidum & aridum cordis temperamentum indicatur percussu cùm duro, tum magno, tum ueloci, tum deniq; denso. Itẽ respirationib. magnis, pernicib. et crebris: et sunt omnes eiusmodi pectore pariter et hypochõdrio hirsutissimo, ad functiones expediti, iracũdi, audaces, morib. tyrannicis, iræ præcipitis et pertinacis, ita ut facile pacari nequeat. Quod si calor et humiditas iuxtà excesserint, minus quidem prædictis sunt hispidi, uerùm ad munia quæq; obeũda prõptissimi: animo minimè quidẽ fero, sed ad irascendũ duntaxat facili: percussus arteriarũ magni, molles, ueloces, atq; frequentes. Si cum humiditate frigus uicerit, percussus quidem molles, mores uerò pusillanimes, timidi et desides existũt: tales glabro sunt pectore, et perinde ut irã nequaq̃ retinẽt, ita ad hãc haud facile cõmouentur. Cor deniq; gelidũ & aridum, percussus duriores edit ac paruos. Hi uerò præ omnib. omnium minimè ad irascendũ prõpti, sed semel perciti, mordicus irã retinent, maximè uerò omniũ pectus habent pilis nudissimũ.

Iecoris temperaturæ indicia. Cap. 67:

IEcoris calidi notæ sunt, uenæ grãdes, flauæ bilis abundantia: in consistenti ætate etiam atræ: sanguis feruentior, & ob hoc uniuersum etiam corpus, nisi quæ cordi attinẽt, reclament: uenter illis & præcordia hirsuta. Frigidioris uerò

iocinoris indicia sunt, uenarũ angustia, pituitæ abundãtia, sanguis, atq; totius corporis habitus frigidior, nisi à corde calor repẽdatur. Vẽter & præcordia glabra. Siccioris notæ sunt, sanguis craßior et paucior, uenæ duræ, uniuersusq; corporis habitus aridior. Humidioris uerò hepatis indicia sunt, sanguis copiosus et liquidus, uenæ molliores, pariter et uniuersum corpus, præterquam si cor obstiterit. Calidi & sicci notæ sunt, præcordia hispidißima, sanguis craßior & minus abũdans, amaræ bilis copia, atq; per uigoris ætatẽ atræ, uenarũ latitudo et duritia, pari modo corpus simul uniuersum et calidũ et aridũ: quoniã calor à corde propagatus, frigiditati quæ ab hepate proficiscitur, facilè dominatur, quemadmodũ & caliditas à frigiditate uincitur. Siccitatem uerò nequit cor humidius ad cõtrariam naturã trãsmutare. Liquet igitur, quòd quũ in idẽ utriusq; principij tẽperamenta cõfluxerint, exactè corpus uniuersum iuxta illorũ naturam afficitur. Calidius uerò et humidius iecur, minus quidem hirsutum reddit præcordiũ, q̃ calidũ et aridum, sed plusculũ sanguinis, uenas amplas, habitudinẽ humidã ac calidã parit, nisi cor resistat. Si uerò permultus supra iustũ naturæ modũ fuerit utriusq; qualitatis excessus in morbos, q̃ ex putredine, uitiosisq; succis proueniũt, procliuiter prolabuntur. Idq; lõgè magis, si plurimũ humiditas, calidũ uerò paululũ, augeatur. Vitiosis etiã humorib. laborãt. Humidius hepar ac frigidius, pilis nuda habet præcordia, sanguinẽ reddit pituitosiorẽ, uenas arctas, uniuersumq; corpus similiter afficit, nisi à corde in cõtrariã naturã traducatur. Frigidius et siccius iecur, parũ sanguinis, uenas angustas, corpus frigidius, præcordiũq; glabrũ reddit, nisi & hic quoq; cor impauerit.

De notis temperaturæ testium. Cap. 68.

CAlidum testiculorum temperamentũ salax, marium opifex, et fœcundum est: genitales partes protinus obsepit pilis, & circumiacẽtes quoq; locos contingit. Frigidius contraria

traria efficit. Humidum, semine multo, & humido abundat. Aridũ paucæ genituræ, sed crassæ generatrix est. Calidũ & aridum, semẽ moderatè crassum producit, & fœcundißimũ est, & celerrimè ad cõgressum mox à principio animal excitat. Proinde in obscœnis uicinisq; partibus pilos præcocißimos, supernè umbilico tenus, infernè uerò ad media usq; femora. petulci tales cũ impetu prolabũtur in uenerem, sed confestim satiantur: & si eniti uelint, ualetudinis iacturã faciũt. Si humiditas calori accesserit, hispidi quidẽ illiusmodi sunt, plus uerò semine abundant, sed reliquis in libidinem proniores nõ sunt: ueneréis aũt præter modum minori detrimento indulgent. Si uerò utraq; hæc, calidum & humidum uehemẽter excesserint, haud citra detrimentum à uenere abstinent. Si testiculi frigidæ ac humidæ temperaturæ, uicinæ partes glabrescunt, serius re uenerea uti incipiunt, neq; procliues in actũ irruũt: aqueum et tenue semẽ emittunt, minus prolificum, muliebris modò sexus procreatiuũ. Arida & gelida testium tẽperies per cætera præcedenti ad amussim respõdet, sed craßius semẽ & omnino modicũ procreat.

De his quæ omissa sunt. Cap. 69.

QVæuis nostri corporis particulæ priuato quopiã temperamento, effectu præditæ sunt: uerùm de omniũ in præsentia notis disserere nõ est operæprecium, quũ infinitæ propemodum sint, & rem nobis omnem cõpendio perstringere sit propositum, illas duntaxat prosecuti, quæ uniuersum potißimè corpus lege quadã cõsortij afficiũt. De cæteris eadem ratione ac uia ratiocinandũ ducimus: nõ ab excremẽtis modò, uerùm ex reliquis tum functionibus, tũ symptomatis, ipsarũ temperamẽta indagãtes. Tẽpus igitur est, ut conuersa oratione, totius corporis intẽperies emendare aggrediamur.

Quomodo calidæ corporis intẽperies emendentur. Cap. 70.

QVum igitur in calido temperaturæ excessu, bilis exuperet, si per inferna deferatur, nihil oportere negocij fa-

cessere constat. Si ad superiorem uentriculum uergat, post exercitium, ante cibum, epota aqua, uomitione expellatur. Maiore autē cum utilititate tales exercētur, non citata exercitatione, aut ualida, sed deside, et molliore. Quidā uerò impēse calidi nulla exercitatiōe indigēt, sed inābulasse atq; lauasse sat habent. Gaudent tales à cibo lauari. Qui cum calore aridi sunt, humēti nutricatu indigent, humidis cibarijs, balneis. Ab exercitationibus plurimis, & uehementioribus abstineant. Aestatis idcirco tempore citius lauare, & post cibum denuò, debent. Gelida bis prodest potio. Siccioribus temperamentis infestißima uenus est: eis laßitudine, æstu, solicitudinibus, uigilijsq; maximè abstinendum. Temperamenta humida in puerili ætate affectionibus, quæ causæ rationem ex defluxione, plenitate, & putredine habent, tentantur. Quare exercitationibus multis, & exquisita uentris concoctione, atque per lotium secretione, egēt. Hisce iterum atq; iterū priusquam cibum capiant lauare, & thermis naturalibus uti, plurimum subuenit. Eorum autem quæ à corpore desinunt, cura habēda est, tum balneis, tum exercitationibus multis, tum his quæ per uentrem & urinas excernūtur. Nihil etiam obstat apophlegmatismis interdū atq; purgationibus, edulijsq; boni succi, ac uino deniq; urinam ciente, uti.

Quomodo frigidæ intemperantiæ corrigantur. Cap. 71.

GElidarum intemperierū tria habentur discrimina, quarum omniū quidem insaluberrima est arida. Nam quod in ætatis processu grandioribus natu accidit, id ab initio statim tales infestat. Proinde humectandi calfaciendiq; sunt eiusmodi. id quod pulchrè quidem exercitationibus modicis, cibis humentibus ac calidis, uini calidioris naturæ potu, somnoq; prolixiore, conficitur. Nobis interim, ut omnes quæ singulis dieb. in corpore gignūtur redundantiæ euacuentur, prospiciendū. Venus aridiorib. uniuersis officit, potißimum si cum siccitate frigidi sunt: solis autem calidis & humidis inno-

innocua. Vitiosæ quoq; temperaturæ censentur, cum humiditate frigidæ, & ægrotationibus, quæ ex defluxionibus oriuntur, sunt opportuni. Talibus balneorũ abstinentia, exercitationes crebræ, tenuior nutricatus, & unctiones moderatè calfaciẽtes, prosunt. Qui aũt frigidiores natura existunt, modũ uerò siccæ ac humidæ tẽperaturæ iustũ obtinent, horũ calor tũ excitandus, tũ roborandus est. In humiditatis uerò siccitatisq; specie, uniuersa uiuendi ratio mediocris eligatur.

Siccarum intemperierum in uentriculo, exempli loco, mox reliquarum etiam intemperaturarum curatio. Cap. 72.

ARidorum distemperamentorũ, aliud in similaribus solidæ essentiæ partibus siccioribus redditis cõsistit, quod deploratum curationẽ non recipit. Aliud uerò, partiũ quæ ex substantia ex humore cõcreta constant, existit. Est etiam et tertium præter hæc, quum propria humiditas unde partes aluntur, penitus absumpta est, quæ in omnibus animãtis partibus consistunt, roris instar eis inspersa, quæ sine cibo in partibus reponi non potest: quapropter difficilima est omniũ talium affectuum curatio. Siccitatibus uerò, quæ in exilibus cùm arterijs, tũ uenis consistunt, succurrere expedit: uictus ratione humectante, quæ singulas similarium partium peculiari humore impleat. Non alienũ itaq; fuerit, ægrotantẽ in aqua balnei mediæ tẽperaturæ diutulè immorari. Post lauacrum illico lac asininum recens emulctum propinare, mellis tepidi nõnihil lacti confundere: deinde quieti ad secundum usq; balneum permittere: tum moderatè ac pinguiter confricare, si exhibitum lac exquisitè fuerit cõcoctum. Id quod non ex ructib. modò, uerùm ex uẽtriculi etiã mole, licet colligere. Modicũ uerò temporis interuallũ, quatuor uidelicet aut quinque horarum æquidialiũ, inter primum atq; secundum balneum interponatur, si tertiò hominẽ lauare institueris: sin uerò minus, pluriũ. Porrò à singulis quibusq; balneis, oleo, priusquã uestib. amiciatur, obliniendus est homo. Quin à secũdo quoq;

balneo lac magna cum utilitate exhibebitur, si eo delectetur: sin secus, ptisana accuratißimè elixata, uel chõdrus ptisanæ modo cõfectus. Deinde trãquillitate denuò interposita, uel ad tertium lauacrũ, uel ad cœnam illico ducemus. Panis autem egregiè præparatus, probeq; in clibano assatus, & syncerus esto. Obsonij loco sumãtur pisces saxatiles, siue asellus è iure candido. Atq; ut summatim cibariorum caput perstringam, cõcoctioni non renitãtur, nutrimẽti sint exquisiti, neutiquam glutinosa, aut plurimi retrimẽti. Potus sit uinũ aquosum, colore candidũ, purum, quod paucã aquæ mixtionem tolerat, modica adstringendi facultate donatũ. Summæ quidem siccitatis remedia hæc sunt. Mediocris uerò, non tam exactam uictus rationẽ desiderat, nec pleniorem nutricatũ abhorret. Ponatur autem in medium ariditas, superiori neutiquã absimilis, cui mediocris quædã fuerit copulata frigiditas, in qua ad calfacientium materiã transeundũ est, prædictis iam adijciendo, lactis quidem usui, plusculum mellis, uinũ uerò meracius quàm prius exhibebimus. Quin & cibaria calidiora non naturalibus modò temperamẽtis, sed nuper etiam accersitis qualitatibus, administrare cõuenit. Nardinum insuper, aut masticbinum unguentum iugiter illiniendum est. Si uerò plurima frigiditas cum siccitate excesserit, temperamentum ut multò difficillimum iudicatur, ita cum primis correctioni renititur. Verùm eisdem ei medicamentis, uel melle per se elixato despumatoq; succurritur. Vinum quoq; admodum uetus eligendum est. Saluberrimum ita affectis medicamẽtum est, quod picatores iugiter usurpãt, si uentriculo illitũ auellatur, priusquã refrigeretur: dormire præterea cum puerulo habitiore, ita ut abdomen perpetuò attingat, proficit. Vbi uerò ariditati mediocris caliditas cõmiscetur, in hac intemperie primam educationis rationem obseruare conuenit, ne mellis uel tantillũ degustetur, uinũ uerò minimè uetustũ hauriatur. Cæterùm edulia tepida ac lactea offerre, et uentrem cùm om

phacino,

phacino, tum melino perlinire conducet. Verùm immodicæ eos qui ita afficiuntur infrigidare, sonticũ est: quoniã febris quodãmodo naturã, hic status, ubi calor modum excesserit, æmulatur. Supponamus ediuerso calidam intemperiẽ excedere, sed ei humiditatẽ annecti. Huic intemperamẽto, aquæ gelidæ potu opitulabimur. Salutaris etiam huic cõstringentium esculentorũ usus, sed quæ absq; calfaciendi potentia sint austera. Si humidum distemperamentum solum fuerit, arefacientia alimenta, quæ neq; insignem calfaciendi, neq; refrigerandi uirtutem habent, præsidio sunt. Cõsuetæ itẽ præstat potionis defraudatio. Humidæ intẽperiei cũ frigore copulatæ, optima subsidia sunt, quæ acrimoniã præferũt, admixtis interim sine euidenti uirtute frigorifica adstringẽtibus. Eximium quoq; talibus auxilium, modica potio, uinorum præsertim apprimè calfacientiũ. Eiusmodi igitur sunt intemperierum, quæ in qualitatibus cõsistunt, remedia. Quoniam aũt humor qui in sinuoso uentriculi loculamento continetur, uel tunicis ipsius impactus est, distemperamentum subinde procreat: haud absurdum fuerit, de ijs quoq; sermonem facere. Quare si prior affectus semel cõstiterit, euacuato uomitu humore facile compescitur. Si rursus ex alia quadam, aut alijs proueniat partibus, adamussatã cognitionẽ requirit, quam protinus curatio excipit. Eam quippe uniuersam affectæ parti adhibere oportet: suscipienti uerò interim prospicere, ne procliuè quod influit, suscipiat. Quam quidem prouinciam non adstringentia solum, sed ea etiam quæ bonam corporis totius habitudinem cõciliant, pulchrè absoluunt. Vitiosos uerò in uentriculi tunicas absorpos humores, medicamentis molliter purgantibus educere expedit: è quorum numero est aloë, & quod inde præparatur medicamentum amarum, picra appellatum. Lentus uerò simul humor pituitosus uentri impactus, primò incidẽtibus dissecãdus, deinde expurgandus est. Si quis accommodus uidebitur, citetur uomitus radicula.

Sin neq;

Sin neq; glutinosus, neq; crassus humor infestat, satis fuerit uel ptisanæ cremore, uel mulsa uomitionē ciere, aut absinthij succū ex mulsa sumere. Pari insuper ratione & reliquorum deinceps membrorum intemperaturis medendum est, humoribus ad commodos meatus deriuatis. At si qui sensu percipi queat, meatu pars destituatur, redundantes in ea cruores saniosos siue humores, ueluti spiritū quoq; flatuosum, inibi con tentum, in halitum redactos, discussosq; uacuare conuenit.

De alimentorum uiribus. Cap. 73.

SVper alimentorū facultatibus orationem, quæ bona pars operis, corpori hominis tuendo dicati, esse uidetur, rebus iam memoratis subnectere cōsentaneum est, si antequam eius cōmemorationem membratim aggrediamur, pauculis antici paucrimus. Oportet etenim alimentorū uires, si quicquā ali ud, pernosse. Epulæ igitur quæ extenuatoria facultate pollent obstuctos recludunt meatus, lētores impactos extergunt, crassa dissecāt, attenuātq;. Diuturnior tamē eius facultatis alimenturū usus, cùm serosa, tum biliosa excrementa cōgerit. Quæ si largius ingerātur, atrebilariū sanguinē efficiūt. A iugi propterea ipsorū usu tēperandū est, præcipuè ijs qui biliosiorē naturæ statū sortiti sunt. cōducunt namq; his tantū modo, qui pituitæ, crudiq; uiscidi et craßi humoris struicem aceruarūt. Cæterū quæ impinguātis naturæ sunt, sufficiens nutrimentū suggerūt. Et si in uentriculo et iocinore expeditè cōficiantur, inculpatum sanguinē pariunt, lienis uerò iocinorisq; meatus obturant. Horum uerò alia quidē craßioris dun taxat succi exiſtūt: uerbi gratia, lens: alia uiscidi, uel uti mal uæ: nōnulla utriusq; sunt participes, cùm craßi, tū glutinosi humoris, ut quæ testa integuntur. Ad tuendā igitur ualetudinem tutior extenuans uictus est, quàm qui craßiore succo im pinguādi uim poßidet. Sed quoniā exiguè alit, nihil neq; firmitatis, neq; roboris corporibus præbet. Et oportet nōnunquam cum inedia quēpiam preßit, escas quæ plurimum nutriunt,

triunt, mediocriter offerre. Potißimũ uerò absq; discrimine tali uictu utentur, exercitationibus addicti, & qui ex sẽtẽtia sua somni quantũ uidetur, capiunt. Quibuscunq; autem antè quàm cibum sumant, exercitationibus operã dare non est integrũ, dapes craßioris succi uitent. Neq; ocio dediti, unquam id genus alimenta admittant. Porrò ut perpetuũ ocium ad tutelam sanitatis summè officit, sic agitatio cõmensurata ad tuendam ualetudinẽ summè proficit. Mediæ uerò materiæ cibi, omniũ præstãtißimi iudicari debent, utpote qui mediocris essentiæ sanguinẽ generãt. Vt igitur eius farinæ corporibus nostris cõmodißima sunt esculẽta: ita quæ uitiosos humores procreãt, summo sunt dispendio, eoq; semper uitari debent. Arcenda etiam, tanquam cõcoctioni rebellis, eduliorũ uarietas est, potißimum si cõtrarijs fuerint facultatibus prædita.

De oleribus esculentis. Cap. 74.

LActuca liquidò cùm refrigerandi, tum humectandi facultatem obtinet, quo nomine etiam somnum conciliat. Hæc ut inter olera eximiè nutrit, ita egregij etiã succi sanguinem producit. Intubus refrigerandi quidem & humectandi facultatem, sed lactuca inefficaciorem, poßidet. Malua frigorificæ quidem uirtutis est, sed obscuræ: efficaciorem uerò habet humectandi potentiam, unde & propter genuinũ lentorem aluũ facilè subducit. Beta abstergendi facultate aluum irritat: proinde si largius estur, uentriculi os, qui stomachos Græcis appellatur, lancinat: iecoris & lienis obstructiones aperit. Braßica recocta si edatur, aluum cõprimit: semel uerò, ac ne tum quidem impensius elixata, cum oleo & garo, sale'ue comesta, uẽtrem potius lubricat: perinde atq; succus ipsius, lentis cremorẽ purgandi facultate præcellit. Hac uerò braßica marina aluũ adhuc euidentius præmollit: nam salsilaginem, subamarulentum'que saporem præfert. Halimon idem facit, sed amplioris salsedinis cõpos, uentrem subducit. Cæterùm quàm braßica stomacho accommodatior, eo quòd

medio

mediocris astrictoriæ uirtutis particeps. Lac porrò semēq; prolificum auget. Blitum et Atriplex humidiora quidem sunt, aluumq; molliunt, sed pauxillum alimēti præstāt. Acu leata omnia, cuiusmodi carduus, fusus agrestis, et huius classis alia, stomacho summopere cōueniunt, dēpta cinara. praui nāq; succi, quum durior euaserit, habetur. Quare præstātißimum fuerit, elixā oleo, garoq;, & coriandro comedere. Apium satiuum, olusatrū, sium, smyrniū, omnia quidē pro ritandi & impellēdi lotij potestatē obtinēt. Cæterùm smyrnium odore & acrimonia præstātius est, et urinam pariter ac menses cōmouet. Apia suauiora sunt, ideoq; stomacho magis idonea. Bruca magnam excalfaciendi uim obtinet, & genituram efficit, et ob id in uenerē stimulos addit, capitisq; eum dolorē, quam cephalæam nominant, inducit. Nasturtium, ocimū, sinapi, calida quidem sunt & acria, præsertim nasturtium: cōcoctioni resistunt, stomacho noxia, & prauos humores pariunt. Vrtica maximè tenuiū est partium, uentrem subducit, & parcius alit. Bisacutum, quod gingidion appellant, scandici nō absimile, plusculum astrictoriæ qualitatis, amaritudinisq; retinens, aptius est stomacho: ita quidē, ut cibum fastidientib. appetentiam reuocet, cum aceto sumptum, sed exiguum corpori alimentū præbet. Quæ uerò syluestria olera dicuntur, pestilētißimum omnino succum generant. Capparis quoq; cibi appetitum excitat, meatuum iocinoris et lienis oppilationes recludit, pituitam educit. Vsus eius ante escas alias ex oxymelite, uel oxelæo commēdatur.

De asparagis. Cap. 75.

Blitum, lactuca, atriplex, malua, betaq;, stirpē quidē humidam habent, asparagum uerò (cymam Latini uocāt) siccū. Raporum cōtrà, sinapis, radiculæ, nasturtij, pyrethri, braßicæ, & omniū aliorū calorificam uirtutē habentium, planta quidem arida, cyma uerò humida est. Cæterùm à spinosis plantis, hortensis, & quæ in harūdinetis, uliginosis'ue

nascuntur cymæ, quæq; à bryonia decerpũtur, stomacho quidem accõmodatæ sunt, et lotium cient, parũ tamen nutriunt: et si probè concoquantur, olerum asparagis in nutriendo efficaciores sunt. Pari etiam modo & chamædaphnes asparagus.

De iis quæ edulibus prædita sunt radicibus. Cap. 76.

NApus atq; rapa denuò elixæ, non minus alimẽti quàm reliquæ stirpes præbent. Cum uerò aßiduè eduntur, crassum succum generant. Bulbi, astringentis abstergentisq; naturæ sunt, appetentiam cibi proritant, stomachũ roborant, uiscidos è thorace humores educũt. Si bis decoquantur, uberius quidem nutriunt, sed nihil educũt. eo enim pacto ipsorum propulsatur amaror: semẽ præterea prolificũ producunt, libidinem accendunt, si crebrius sumãtur, inflationes cõciliant, torminaq;. Atqui ex garo, oleo, et aceto comesti, dulcißimi sunt: flatu carent, optimi alimenti, facilisq; decoctionis sunt. Pastinacæ, dauci, cari radices, minus alimenti, quàm rapæ præstãt: præcalidæ uerò sunt, & euidenter odoratæ, lotiũq; impellũt. Si abutare, prauos succos generant: cõcoctioni rebelles, cõmuni radicum ratione, existunt. Sunt qui syluestrẽ pastinacam, daucum nuncupent, quòd multo uehementiore ui lotiũ promouet. Radicula, attenuandi adurendiq; potestatem habet: edenda in prima mensa est, ex aceto, seu garo, uentris subducẽdi gratia: in secundis uerò mensis nequaquam. Cæpe, allium, porrũ, acredine prædita, corpus calfaciunt, extenuant & dißipant crassos in ipso humores. Bis quidem elixa exiguũ, cruda uerò nihil alimenti sufficiũt. Alliũ acrius obstructiones discutit, dißipãdiq; potẽtia regnat. Efficaciores porris arefaciẽdi uires habẽt ampeloprassa, ueluti syluestria. In summa, olera simul uniuersa, coctionẽ non experta, si edãtur, deterioris succi sunt, quàm elixa, multoq; magis superflua humiditate participãt. Quæ uerò muria uel oxyhalme cõdita reseruãtur, stomacho magis cõueniũt, et cibi cupiditatẽ excitãt, crudos humores disijciũt, ægrè uerò conficiuntur. Et abutẽtibus uitiosos humores procreant.

De tuberibus ac fungis. Cap. 77.

TVber nullum manifestæ qualitatis ex seipso liquorē, frigidiorem uerò & craßiorē exhibet. Fungi autem gelidi, pituitosi, & uitiati humoris sunt. Omnium innocentiores habentur boleti, qualitatis expertes, probè elixi. Qui uerò ammanitæ uocantur, secundum post boletos bonitatis locum obtinent. Cæteri omnino uitandi sunt, pars quippe magna ex ipsis lethalis est: quinetiam ipsi quoq; boleti, nisi exquisitißimè elixi edantur, authores periculi subinde existunt.

De frumentaceis. Cap. 78.

EX eis quæ frumentacea dicūtur, chondrus egregiè nutrit, et glutinosos parit humores: sed ablutus pestilens est, eo quòd prōptè crassescēs incocta permanet. Præfertur potius cremor ex integro chondro exactius ptisanæ instar decocto expressus.

Alica in cæteris quidē chondro similis est, sed aluum intensius moratur. Triticum, elixum, comestū, ægerrimè conficitur, flatus generat: ubi autem concoctū fuerit, alimētum præstat ualidißimū. In panem uerò redactum, inflandi facultatem, & concoctionis difficultatē exuit, eo quòd fermēti salisq; particeps sit. Siligineus, uerò panis omniū firmißimus est, post hunc similagineus, deinde cui secerniculo nihil ademptum est, quem syncomiston Græci uocant. Sordidus, hoc est, cibarius panis, minus quidem alit, sed promptius per aluum deijcitur.

Amylus, minimi alimenti, non aliter atq; panis elotus est.

Hordea frigorificæ et absterforiæ sunt potentiæ: elixa instar ptisanæ, humectant: fricta ad modū polentæ, arefaciunt.

Polenta in æstate ante balneū cum aqua pota, siti subuenit.

Hordaceus panis frigidior, et exigui alimenti est. Maza ægrius conficitur, & amplius quàm hordeaceus panis inflat: cum melle uerò subacta, per aluum facile descendit. Auena calida est, & parum nutrit. Milium ac panicū refrigerandi, siccādiq;, & exiguas in nutriendo uires poßident, aluumq; morantur: præcellit autem per omnia milium panico. Oryza

conco-

concoctionis rebellis, & exigui nutrimenti est, & aluum compescit. Coquitur autẽ ptisana hocmodo: Vna eius pars in quindecimaquæ partibus, pauxillo olei adiecto, elixatur: et cũ ebullierit, aceto: ubi iam ad unguẽ decocta fuerit, sal friatus superinijciendus est. In quibusdam ei porrum etanethũ admiscetur. Cæterùm auena chondrusq;, perinde atq; ptisana coquũtur.

De legumentis. Cap. 79.

INter legumina lens uitiosi liquoris est, humoremq; melancholicum gignit, aluum compescit, potißimum bis cocta. Ius uerò ipsius cũ oleo & garo sumptum, uentrẽ soluit. Admisceri autem lenti, quoniam inflat, uel satureia, uel pulegium debet.

Fabæ leues sunt, flatus pariunt, & abstergendi potestatẽ retinent. Aegyptia uerò faba, nostra humidior censetur, & plus retrimenti relinquit in corpore. Pisum laxum quidẽ, sed non adeò flatuosum. Cicera inflationes pariũt, abstergunt, semen prolificũ gignunt, libidinẽ excitãt, lapides comminuũt: fricta inflandi uim deponunt, sed uix in stomacho cõficiuntur. Lupini quoq; concoctioni resistunt, & ægrè transmittuntur, crudumq; succũ procreant. Fœnogræcum calfacit, uentremq; subducit, ante dapes cæteras sumptum. Eruiliæ & phaseli macerati, quoad radices promicant, si ante cibũ ex garo eduntur, aluum soluunt, & maiores alendi uires quàm fœnogræcum obtinent. Phaseli & dolichi integri cum lobis, uiridesq; sumpti, excrementicij magis euadunt.

De fructibus horariis, fugacibus ue. Cap. 80.

CVcurbita refrigerandi & humectandi uim obtinet, uentremq; subducit, sed alimentum præstat perexiguum.

Pepon praui omnino succi, gelidus, udus, ac uomitorius est: non concoctus, affectum cholericum inducit. Semen eius ciẽdæ urinæ, & frangẽdis renum calculis natum, atq; in totũ abstergit abundè. Melopepon minore efficacia omnia hæc poßidet. Cucumis minore frigiditate & humiditate quàm pepon prædita est, sed maiore ui lotiũ proritat, difficilis cõcoctu: et si

concoquatur, uitiosum tamen corpori succum præbet. Vno uerbo: Omnes fructus temporarij, frigorificæ et humentis naturæ, imbecillis alimenti, prauiq; succi sunt.

De arborum fructibus. Cap. 81.

Ficus & uuæ primas inter fructus autumnales meruerunt, quando succus ipsorum culpa tantũ non omni uacat, et alimenti ualentioris sunt. Cæterũ ficus honore & bonitate succi, uuas præcellũt, & ualentius nutriunt: aluũ urinamq; cient, et renes purgant, præcipuè exactam cõsecutæ maturitatẽ. Pari etiam modo caricæ, et si flatus interim sanguinemq; uitiatũ pariant, ideoq; pedunculos aßiduus earundẽ usus conciliat. Vuæ retentæ, non conficiuntur in uentriculo, & crudum succum faciũt: deiectæ uerò, moderatiores reddũtur. In uuis paßis maior calfaciẽdi uis est: conueniũt etiã magis quàm uuæ stomacho, neq; tam exigui alimenti sunt, sed imbecillius aluum deijciunt.

Mora, quæ & sycamina dicuntur, uehementẽ humectandi, mediocrem refrigerandi facultatẽ obtinẽt: ante alios cibos deuorata, aluum subducunt: neq; admodum stomacho aliena, sed nutrimenti ferè nullius. Ex cerasijs dulciora aluum quidem subducunt, sed stomacho officiũt. Quæ uerò acerbitati participant, stomacho minus obsunt, neq; aluũ promouent. Atq; hæc ratio nõ tam uuis ac moris, quàm alijs compluribus congruit. In summa, si adstringẽdi ui prædita, in prima mẽsa edũtur uel bibuntur, aluum cõprimunt. Quicũq; aluũ ob imbecillitatem astrictã nacti sunt, hos quod eam lubricet, uerbi gratia, olera, siue pisces, siue eiusdẽ farinæ cætera, præmittere: deinde quod conspissandi facultatẽ habeat, sumere oportet: quæ dum aluo robur adferunt, deorsum impellũt, atq; ad deiectionẽ excitant.

Nux pini, quæ & strobilus appellatur, probum crassumq; succum continet, edendo quidem, sed difficilis decoctionis est.

Persica praui acidiq; succi sunt, & corrũpuntur ocyßimè: proinde in prima mẽsa sumantur, quò deijciantur promptius, neque diutius cunctando uitientur in uentriculo. Præcocia porrò,

porrò, & doracia, seu Rhodacena, & armenia, potiora sunt persicis, quoniã neq; acescunt, neq; similiter corruptionem sentiunt, & gustu delectant amplius. Ex malis, dulcia quidem maioribus reliquis in calfaciẽdo uiribus pollẽt, facile trãsmittuntur, maximè assa, uel elixa. Acida magis refrigerant, et humores in uentriculo dissecant. Austera stomachum roborant, aluũ supprimunt, cæteris tamen magis cotonea. Pirorum pari etiã modo grandiora atq; matura, eandem quidẽ facultatẽ seruant, sed uberius nutrimentũ sumẽtibus suggerunt.

Mala punica frigorificæ uirtutis sunt, & paululũ alimenti præbent. Mespila & sorba uehementiores in astringendo uires retinent, idcirco lubricæ aluo accõmodata sunt. Palmulæ stomacho utiles sunt, nisi præpingues extiterint: uẽtrem cohibere, crassos, glutinososq́; humores gignere, & capitis dolorem inducere solent. Oliuarum drupæ stomacho officiunt, & crassum succum pariunt. Muria conditæ, & colymbades ante alia edulia comestæ, appetẽtiam cibi reuocant, aluũ difficilẽ leniunt, idq́; magis cũ uel aceto, uel oxymelite præparentur. Ex nucibus iuglãs auellanis minus alit, stomachoq́; utilior est. Virides nuces humidiores sunt, uentremq́; subducũt.

Aridæ in aqua maceratæ, & ab interiore putamine purgatæ, recentioribus potẽtia nihil cedunt. Amygdalæ dissecãdi, extenuãdiq́; uirtute præditæ sunt: quocirca tum uiscera, tum thoracem, sed efficacius amaræ, purgãt. Aßimilem sanè potestatẽ habent & pistacia, sed hepatis cõstipationes maiore efficacia laxant. Damascena, si in prima mẽsa edãtur cùm cruda, tum in mulsa elixa, uentrẽ molliunt. Syrica concoctu difficilia sunt, stomacho hostilia, & exigui nutrimenti. Siliquæ ægerrimè coquuntur, aluũ cohibent, & uitiosum succum poßident. Sycomora euidenter refrigerant, & humectant.

Medici mali extima pars acredinẽ sapit, & concoctioni renititur: instar carnis, & si edẽdo sit, tamẽ æquè cõcoctioni resistit. Medulla uerò, siue acida, siue aquea fuerit, abundè infrigidat.

gidat. Glandes non inefficaciores frumentaceis in alendo, sed ad coquendum contumaces, & craßioris succi sunt, lenteq; transeũt. Castaneæ per omnia glãdibus præstãtiores existũt.

De animalibus, primitusq; de uolucribus. Cap 82.

AVes imbecillius quidem quadrupedibus, potißimè suibus, alunt, sed concoctrici facultati prõptius obtẽperant, præcipuè perdix, attagena, columbarum pulli, gallinæ, & phasianus. Sed turdi, merulæ, passerculi, et inter hos pyrgitæ, solidiorem alimoniã præstant: & his etiam magis turtur, palumbus, & anas. Sed multo ad coquendum contumacior, durior, ac fibrosior pauus est. Anserina porrò & struthocamelina caro excremẽtosa magis, omnibus prædictis difficilius cõficitur: exceptis alis, quæ succi bonitate reliquis auibus minimè cedunt. Gruum caro referta fibris, et durior est. In summa, iuniora ueteribus semper humidiora sunt, minus concoctioni resistunt, plus alimenti præbent, & per aluum procliuius descendunt. Elixa ab aßis, & in sartagine frixis pari interstitio dissident. Quæ in arentibus atq; montanis regionibus degunt, ijs quæ in uliginosis aluntur, concoctioni minus obluctantur, & minus superfluitatum relinquunt.

De ouis. Cap. 83.

GAllinarum & phasianorum oua, primi meriti sunt, sed anserum & struthiocamelorum ultimi. Longè autem recentia ueteribus præstant. Trementia magis nutriunt, sorbilia facilius descendunt, & gutturis asperitates leniunt. Reliqua ad unum omnia cõcoctioni obstinatè repugnant, & lentius permeant, craßiq; omnino succi sunt, demptis ijs quæ præfocata dicuntur, quæ fiunt dum cruda in garo, uino, et oleo irrigata, in uase ad moderatam consistentiam densantur: nam hæc coctu facilia, succiq; inculpati creduntur. Fricta autem in sartagine, omnium sunt nocentißima.

De his quæ pedibus fidunt animalibus. Cap. 84.

PEdestrium animalium, suillæ carnes omnium aliorũ esculentorum efficacißimas in nutriendo uires obtinẽt, eo quòd

cùm

cùm gustu, tum odoratu peculiarem quandam germanitatem humanæ carnis æmulantur: ueluti à quibusdam qui per imprudentiam, humanam carnem degustauere, animaduersum est. Nutrimentū quod inde contrahitur, glutinosum est, et ægrè in corpus dißipatur. Ouilla excrementosa est, perditosq; succos generat. Caprillæ, acredo succusq; minimè bonus inest.

Hircina deprauatißima est, siue succum eius malignū, siue concoctionis difficultatem respicias. Bubula atram bilem efficit. Leporina crassum quidem succum habet, uerùm in hoc à bouina & ouilla uincitur. Ceruina duri & coctu difficilis alimenti est. In uniuersum, recentiora omnia ueteribus humidiora, molliora, & coctu faciliora sunt. Pari modo et castrata, testiculatis: & bene habita, strigosis præferuntur.

De animalium partibus, & eorum quæ pedibus fidunt, sanguine. Cap. 85.

Extimæ animaliū partes neruosæ sunt, pinguedine carneq; uacant: quapropter & uiscidæ sunt, & exigui nutrimenti, & alui ciendæ efficaces: demptis auiū (quòd impendiò siccæ sint) partibus. Rostra & aures cartilaginosa, concoctuq; difficilia sunt. Lingua laxa exanguis, & alimenti exigui est. Glandulæ suaues sunt atq; tenues. Suauiores uerò mamillæ sunt, præsertim sucularum, dum uidelicet lacte infarciuntur, neque imbecillius quàm carnes alimentum præstant. Renes atq; testes uirosi, et ad coquendū pertinaces sunt. Sed gallinaceorum altilium testiculi suaues sunt, & inculpatum corpori alimentum præstant. Taurorum econtrario, hircorumq;, et arietum testes, uix tandem concoquuntur, & improbum succum faciunt. Cerebrū pituitosum, craßi prauiq; succi, lenti transitus, concoctioni renitens, stomacho infestum, & nauseosum est, coctū uerò exactius satis alimenti præbet. Medulla, pinguis, & suauior est cerebro, in cæteris nullo ab eo discrimine dißidet. Sœbum & adeps parum alunt, & uentriculo obsunt. Cor et hepar crassum habent succum, ægrè coquuntur.

tur, lentè transmittuntur, sed suillum iecur bonitate reliquis præstat. Lien praui succi est, & atram bilem generat. Pulmo utrisq; cùm laxior, tum coctu facilior, pituitam auget, & minimum alimenti præbet. Ventriculus, locelli, & intestina, dura sunt, & cōcoctioni obluctantur, pituitāq; pariunt. Vno uerbo: Feræ sicciores semper sunt alimoniæ, quàm cicures, neq; tantum retrimenti relinquunt. Sanguis uniuersus coctu difficilis est, maximè uerò crassus, atq; atrebilarius, cuiusmodi iudicatur bubulus. Leporis autē, utpote suauissimus, primi meriti est, quem multi cum iocinore coquere solent, nonnulli uerò simul cum reliquis quoq; uisceribus. Estur & à quibusdam iuuenis porcelli sanguis. Caprillum quibusdam esculentum fuisse, ab Homero proditum est.

De lacte. Cap. 86.

LAc coctum egregiè quidem alit, sed gingiuas et dentes afficit: proinde simulatq; ingestum fuerit, primùm quidem mulsa, deinde uino acerbo os colluendum est. Præterea capitis dolorem infert, præcordiorum & uentriculi, quæ ex flatibus oritur, distentionem conciliat, renum calculos procreat. Liquidius imbecilliter quidem alit, sed intentius uentrem soluit: crassius contrà efficaciores nutriendi uires habet, ægrius uerò per inferiora descendit. Caprinum mediocris essentiæ est. Ouillū ediuerso crassioris, statimq; post partum tenuius, progressu temporis crassius, deteriusq; euadit.

De lactipotatione. Cap. 87.

QVi lac potaturus est, à reliquis esculentis abstineat, donec in uentriculo conficiatur, & per inferna deijciatur. Satius aūt est ipsum recens mulctū circa aurorā ingurgitare: & insuper non à cibis modò, uerùm ab exercitationibus uehementibus temperare, eo quòd in laborantibus necessariò acescit. Sed lentè obambulare præstat, et uigiles interim quiescere. Ad istum enimuero modum patranti, statim per aluum decedit, post deiectionem aliud repetendum est: quin si illud quoq; deijciatur, aliud.

aliud. In primis enim non sine utilitate purgat, haud ita sanè multum ex reliquarum corporis partium mole, sed quæ in uentre deprehendit. Post hæc uenas illico subit, et alimentũ præbens præstantißimum, non amplius descendit. In biliosis præterea fluxionibus, & ubi colliquamenta corporis ad uentrem confluunt, lac coctum propinabimus. Atqui ad hanc rationem decoquendũ est. principiò quidem leniter sensimq́;, ita ut partim exhalet, partim concoquatur: mox incunctãter etiam atq; etiam coquito. Prospiciendum uerò, ne uel ustionẽ sentiat, uel in caseum coalescat. Optimè id fiet, si clementer lac ipsum coxerimus, & agitando, quod abscesserit, circũquaq; detraxerimus. Ferula autem polita ac tereti agitandum: & si quid in labijs ollæ efferbuerit, id spongia purgandum: inde nanq; non rarò reliquum lactis corrũpitur. Quapropter lac quemadmodum docuimus coquito, quoad craßius, & crudo lacte suauius reddatur. Silicibus porrò marinis candentibus lacti immißis, quicquid in eo tenue est ac serosum, ebibitur, insumiturq́;. Idq́; uentris fluoribus, potißimè uerò biliosis conducit.

De lacte fissili. Cap. 88.

SI lac ad immodicum ignem citra fumum impensius decoquatur, serosum eius à caseaceo discernitur. Mox exactè per colum panniculum'ue coletur. Confunditur autẽ sero mellis, uel aceti mulsi, uel aliorum modicum, & alui subducendæ gratia exhibetur: adultis quidem usq; ad duorum sextariorũ mensuram, minoribus uerò non minus sextario. Quod calculis marinis ignitis, aut candenti ferro immißis, incrassatũ lac fuerit, contra dysenteriam & alui profluuium rectè propinatur.

De caseo. Cap. 89.

CAseus omnis acris & sitificus est, concoctioni renititur, prauum humorem & calculum creat: minus autem officit non uetustus, laxus, minimè durus, suauis, & modici salis compos. Qui aliter habet, perniciosißimus est.

De piscibus. Cap. 90.

OMnes pisces frigidioris humidiorisq; temperamenti esse, perspicuũ est: saxatiles uerò appellati, reliquis salubriores habentur, quia cõcoctioni minus aduersantur, & probum succũ relinquũt: moderatè humectãt, nisi solidiore carne constent. Non autẽ saxatilium, maritimi plurimum discrepãt ab ijs qui in limo degunt, aut ubi flumina irruunt. Sed omniũ insalubrrimi stagnatiles atq; palustres sunt. Speciatim uerò capito, si marinus sit, mediocris suauitatis est, et coctu minus difficilis, succiq; minimè mali, sanguinẽ uerò tenuiorem atq; imbecilliorem gignit. Eiusdẽ classis lupus est. Mulus quoq; in pelago nutritus, durior, et friabilior cæteris piscibus est, ad coquendum promptus, plurimi nutrimẽti, suauis, et pinguedine carẽs.

De crustatis. Cap. 91.

IN uniuersum, pisces quibus testaceũ opcrimentũ est (ostracoderma à Græcis dicti) salsum crudumq; succũ generant. E quorũ numero, ostrea mollißima carne constant, et promptius per aluum decedunt. Chamæ præterea, & purpuræ, ungues, spondyli, buccinæ, cochleæ, & alia quæcunq; id genus durat, & quæ malacostrata uocantur, utpote grãmari, paguri, cancri, locustæ, squillæ, ualentis sunt materiæ, sed concoctioni resistunt, aluumq; cohibent, si subinde in aqua dulci elixentur. Cremor omnium quæ testis integuntur, uentrem promouet, quamobrem terrestis quoq; cochleæ: sed quum dura carne, coctuq; difficili sint, mensis quidem conueniunt, praui tamen humoris efficaces. Sunt qui iure ipsorum cum oleo garoq; condito, alui deiectionem moliuntur. Echini modicè frigorifici, exiguiq; alimenti sunt, & lotium proritant.

De mollibus. Cap. 92.

MOlles tergore pisces, puta polypi, sepiæ, lolligines, duri, atq; concoctu difficiles sunt: præ cæteris uerò polypi. Salsi uerò succi momentum habent: sed concoctionem experti, nutrimentum non exiguum corpori præstant.

De

De piscibus cartilaginatis. Cap. 93.

PLanorum pisciū, quos cartilagineos dicunt, torpedinibus, pastinacis, mollis persuauisq; caro est, quamprimū subiēs, coctu facilis mensisq; idonea, & alimentosa. Raiæ, leuiraiæ, squatinæ, atq; huiusmodi alia, duriora sunt, coctioniq; renitun tur, et uberius alūt. In summa: Duræ carnis animalia, ægrius concoquuntur, & ualentius nutriunt. Concoctionem uerò ex perta, plenius solidiusq; alimentum suggerunt.

De grandibus, cetaceis ue. Cap. 94.

INgentes, uerbi gratia, balenæ, phocæ, libellæ, delphines, thunniq; immanes, durā, coctuq; difficilē, et craßi humoris carnē obtinent. Quum uerò sale condiūtur, ad mediocritatem reducūtur. Ex piscibus humidiores, excrementitijq; magis, ad succidiam accommodatiores sunt. Salsamētorum porrò diuer sitas, piscium è quibus conficiuntur, differentias imitatur.

De uirtutibus uini. Cap. 95.

VAletudinis secundæ studiosum uini potestas fugere non de bet. In totū igitur: Omne uinū alit, sed rubrū ac crassum magis: sed deterioris succi est efficax. Suaue uerò, nutrimenti quidē alicuius est, stomacho uerò minus conuenit. Austerū sto macho quidem amicum, sed lenti meatus, neq; tantū nutrimēti præbet. Atq; adhuc etiam minus candidum. Primū omniū bo nitatis honorē obtinet, quod colore uermiculū est. Peruetustū plus caloris ariditatisq; insitū habet, quàm recens. Sūmatim quidē uini potētia hæc est. Omnino uerò uinū, insitū corporis calorē suscitat, unde & cruditas corrigitur, et sanguis emen datur, alimentū (quandoquidem prōptè penetrat) per uniuer sum corpus deducit: cuius ergò ex ægritudine aliqua emaciatis bonā corporis habitudinē restituit, fastidiosis cibi appetētiam reuocat, pituitosum humorē extenuat, bilē per lotiū euacuat, coloris gratiā inducit, animo lætabundā alacritatem iucundi tatemq; conciliat, corpus quoq; robustius efficit. Eiusmodi igi tur commoditatū autor est uinum, moderate ingestum. Ingur

gitatum

gitatum uerò præter modum, incommoda contraria adfert, inde ebrij euertuntur, furiūt, & sopore impetuntur. Vitanda itaq; est immodica uini potatio. Quanquā per longa id temporum interualla liberalius potare, cōmoditatem adferat: nam urinas largius proritat, sudoresq; profundit. Optimū uerò est protinus aqua mulsa sumpta ipsum uomitu eijcere, ne uel paululum noxæ inferat. Quisquis igitur sese mero prolixius inuitare uoluerit, ab aliorum ciborū satietate abstineat, atq; inter potandum braßicā coctā, bellariaq; sumat, maximè ex amygdalis confecta. Hæc quippe capitis laborē mitigant, neq; ulla uomentes molestia afficiunt. Vincit autē absinthij macerati dilutū ante potationē bibere: omnium enim maximè hoc crapulam arcet. Quod si quos uinū uellicet, gelidā hauriant, postera die absinthij dilutū repetāt. Deambulationibus præterea, fricationibus item ac balneo, exiguoq; nutricatu reficiuntur.

De melle & aqua mulsa. Cap. 96.

MEl coctum ualentius alit, quàm aluum subducat: Crudum econtrariò. Gelidis præterea ac humidis tēperaturis magis expedit, calidis in bilē uertitur. Aqua mulsa, biliosos nihil ferè adiuuat, quoniā in ipsis facile in bilē transit. Vtile sit igitur, ipsam illiusmodi naturis dilutiorem miscere: nec ijs qui aliquo modo uiscerū affectibus obnoxij sunt, satis cōuenit. Sed hac ratione mulsa cōficitur: Octuplū aquæ melli miscetur, & quoad nihil amplius spumæ eijciat, decoquitur. Oportet autem spumam è medio, simulatq; exoritur, identidem tollere.

De somno. Cap. 97.

COnsequens est, ut posteaquàm de ratione uictus omnia tradidimus, de somno quoq; nonnihil perstringamus, eo quòd hic omniū postremus cætera plerunq; suscipiat. Somnus itaq; (ut nō citra formulā eloquar) nihil aliud quàm animalium facultatum requies est, à bono humore cerebrum irrigāte proficiscēs. Huic qui rectè indulget, eum plurima comitātur emolumenta. Nam alimenta cōficere, succos digerere, dolorē mitigare,

gare, lassationes solari, distenta relaxare, animi ægritudines obliuione abolere, menteq; captos emendare cõsueuit. Tempus autẽ somni opportunissimũ à cibo est. Sed meridiari haud omnibus expedit. Nõ enim sufficit ad exactũ ciborum concoctionem tempus in quo somnũ capiũt. interrupta nanq; ante suam horã coctione, meridie experrecti, sæpius acetosa eructatione infestantur: sæpius itẽ spiritibus infarciuntur. quin & fluctuationibus tẽtantur aliqui, nisi uel ex consuetudine, uel quia satis sterterint, eiusmodi casus nõ eueniãt. Nocturni somni omnium innocẽtissimi sunt, siquidem nox humiditate et quiete sua somnum inuitans, coctionem omnibus numeris absoluit. A' somno quippe nocturno plerũq; ad alui oneris excretionẽ urgemur. Esto autẽ debiti somno temporis limes, absoluta ciborum concoctio, quæ non tam eructuationibus, quàm uentris cõniuentia deprehenditur. Post quam uigilantia perutilis est, quòd concoctionis retrimenta ad secessum proritet.

De uigilia. Cap. 98.

QVónam pacto uigilijs, quæ aduersa iam ualetudine correptos, uel præ dolore, uel febri, uel quocunq; alio acutiore casu molestant, succurrendũ sit, in uolumine de Febribus persequemur. In præsens de ijs modò uigilijs quæ bene habentes infestant, agendũ est. Quocirca si quis uel ex mœrore, uel solicitudine, seu alio quouis animi affectu somnũ subire nequeat, ante omnia quidẽ mœstitia quæ affligit, pro uirili profliganda est: mox suauiũ sonorũ auscultationibus mẽtis cõsiderationem proscribere expedit, id quod lenibus aquarũ susurris quidam machinantur: qui ita permulcti sunt, somnũ facile subeũt. Balneis præterea sub uesperam maximè, peracta iam cõcoctione, utãtur, edulijsq; humectãtibus, puta lactucis, & id genus alijs. Papaueris etiã atri uiridia folia obsonijs nonnunquã adijciãt. Piscibus, qui coctura nihil obsistunt, uesci: uinũ tenue, minimè uetus potare cõgruit. Somnũ inituri, caput rosaceo, aut oleo in quo uel papaueris capita, uel mandragoræ elixa fuerint, perungant.

ungant. Quin & anethinum non antiquum, somnificum est. Scimus porrò quibusdam à labore statim facta tranquillitate, somnũ obrepsisse. Coitus quoq; moderatus hunc ipsum nõ rarò conciliauit. Nec desunt, qui capite ac pedibus infrigidatis somnum accersunt. Si qui ob alimentorum copiã, uel uitiũ, stomacho onerato uigilauerint (id quod usuuenisse comperi) ueluti contrà alij præter consuetudinẽ inedia usi, aut cibis parcius indulgentes, somnium oculis non cernunt, considerare id, & causam abscindere conuenit.

De ueterno, siue sopore. Cap. 99.

SI contrà, profundi ac ueternosi sopores, quæ cataphoræ à Græcis dicuntur, infestarint, lauacra continua, unctioniq; frigorifica interdicenda sunt, apophlegmatismis utendum: & in totum nutricatio cùm calidior, tum siccior, tenuis in nutriendo potestatis offerenda. A' gelidiore quippe & humidiore cerebrum madefaciente materia, eiusmodi affectus plurima ex parte contingit.

Dioclis epistola, de sanitate tuenda. Cap. 100.

DIOCLES ANTIGONO REGI.

QVandoquidem tibi Antigone, maxima omnium regũ eruditio, atq; grandæua iam ætas, omnisq; philosophiæ peritia, & mathematices deniq; studij palma contigit, haud alienam à regia maiestate fore putaui, eã philosophiæ quoq; partem, quæ incolumitatẽ tueri docet. Eoq; tuæ maiestati hac epistola uolui, undénam mortalibus ægritudines proficiscantur, quibus præcedentibus notis, & quibus remedijs talibus succurrendum sit, describere. Quemadmodũ enim cœli tempestatem nunquam nõ signa quædã manifesta præcedũt, quibus nautæ ac cæteri multarum rerũ periti homines, quid ipsis agẽdum, quò tutiores sint, colligũt: sic neq; ullus præter naturã affectus unquam hominis naturã nullis præcedẽtibus præsagijs tẽtat. Tu itaq; nostris hisce præceptiunculis cõfisus, absolutã earum rerum cognitionem assequeris. Diducimus hominis corpusculum in

lum in partes quatuor, caput, thoracem, uētrem, atq; uesicam. Cum igitur aliquid morbi caput læsurū est, hæc portēta solēt magna ex parte præcedere, uertigo, dolor capitis, superciliorum grauitas, murmur auriū, stimulatio temporum, oculi matutino lachrymant et caligant, odoratus hebetatur, dentiū gingiuæ attolluntur. Cū ergo eiusmodi quiddā præsenseris, caput cōfestim euacuandū ducito, nullis sanè medicamentorū præsidijs, uerùm sumptis hyssopi aut orygani capitibus tritis, & in aulula ebullitis, cū passo uel defruti hemina dimidiata, quibus os ieiunus abluito, atq; quoad pituita deducitur, gargarizato. Hoc quippe affectionū capitis facillimum est præsidium. Saluberrimum quoq; fuerit, sinapi aqua mulsa calida maceratū in ieiuno sorbere, et gargarizando à capite humorem deducere. Oportet autē caput antea tegumēto calfacere, quò liquefacta pituita sine impedimēto effluxioni obtēperet. Quū hæc flocci-penduntur indicia, eiuscemodi ferè morbi succedere consueuerunt, ophthalmiæ, glaucomata, aurium eruptiones, strumæ in ceruice, cerebri tabes, grauedo, angina, nocturna, teredines, uua, profluuium capillorū, ulceratio capitis, dentiū cruciatus.

Cum autē mali quid thorax passurus est, his signis portenditur: sudor toto corpore manat et thorace, lingua crassescit, sputum salsum eijciunt, uel amarū, uel biliosum, in lateribus ac scapulis dolores citra occasionē oriūtur, oscedines crebræ, uigiliæ, suffocationes, sitis ex somno, animus tristior, algores pectoris, brachiorū & manuū tremor, infestant. Quibus non imprudēter ad hunc modū succurritur: Vomitum à cœna nō crapulosa quàm probè fieri potest ciere cōuenit, absq; medicamento. Prosunt etiā ieiuni uomitus, quos aliqui syrmaismos nuncupant. Cui igitur sic placet uomere, radiculas tenues, nasturtiū, erucam, sinapi, portulacā deuoret, deinde aqua tepida hausta, euomat. Qui dicta præsagia spreuerint, has affectiones metuant: pleuritim, pulmonariā, melancholiā, febres acutas, phrenitim, ueternū, et cū singultu febrem ardentē. Siquis uentrem

morbus

morbus occupaturus est, his signis præsagiri potest. uēter primitus conuoluitur, & in sese ipso turbatur, esculenta cum poculentis amaritudinē præferunt, genuum grauitas, lumborum rigor inflectilis, uniuersæ molis corporeæ laßitudo, sine occasione, crurum stupor, febriculæ exiles, afficiunt. Vbi hæ notæ apparuerint, uēter nullo medicamēto, sed uictus ratione mollificandus est. Tutius est enim ijs uti, quib. delinqui facile non potest: è quorū numero sunt, beta aqua mulsa decocta, allia elixa, malua, rumex, mercurialis, et ex melle dulciaria. Cūcta enim hæc aluum deijciunt. Quod si præsagiorū aliquod intendatur, cnici liquorē omnibus decoctis cōfundito: suauior nanq;, et tutior est. Vtilis itē fuerit leuis braßica in copiosiore aqua elixa, eiusq; succus quatuor heminarū mensura cum melle ac sale potui datus. Ciceris aut erui decocti aqua in ieiunio epota, eūdem effectū obtinet. Hæc signa paruipendentibus, huiuscemodi affectiones superuenire solent: uētris fluor, tormina intestinorum & læuitas, uoluulus, coxendix, febris tertiana, podagra, apoplexia, hæmorrhoides, cruciatus articularis. Quando autem uesicæ malum imminet, his notis deprehenditur. post exiguum etiam cibum pleni uidētur, inflationes, cructuationes, uniuersi corporis pallor, somni graues, lotia lurida, & ægerrimè emanantia, & circa pudendi tumores affligunt. Quum hæc apparuerint, odoratis lotia impellētibus opē ferre sine periculo conuenit. Sunt uerò, fœniculi apijq; radices in uino albo odorato macerandæ, unde ieiunus in matutino quotidie duos sumat cyathos cū aqua dauci, smyrnij, enulæ cāpanæ, quodcunq; horum ad manum sit, iuxtà enim singula iuuant: cicerum quoq; maceratorū aquā si cum uino potauerit, idē consequetur. Qui uerò dictas notas negligenter præterierit, hos morbos expectet: hydropem, lienis magnitudinē, hepatis dolorem, calculū, renum affectionem, lotij stillicidium, distentionē uentris. Cæterùm in omnibus his quæ hactenus proposuimus signis, infantibus quidem clemētiores, grādioribus uerò natu acriores medelas exhibebimus.

bibebimus. Anni porrò solstitia, in quibus omnia eiusmodi incidere consueuerunt, & quibus in unoquoq; alimẽtis sit Tuæ Maiestati uel utendum uel abstinendum, perstringemus, à solstitio brumali exorsi.

Solstitium brumale.

Solstitÿ brumalis tẽpore augetur in hominib. catarrhus, & humiditates, usq; ad uernum æquidiale. Calidiora itaq; esse, meracius prolixiusq; atq; ab origano bibere, ueneriq; indulgere cõuenit. Sunt aũt usq; ad æquidiale dies nonaginta.

Æquinoctium uernum.

Ab æquinoctio uerno usq; ad uergiliarum exortum, pituita & dulcis sanies sanguinis mortalibus, crescunt: idcirco quàm maximè succosis acribusq; utendum est, corpus exercitandum, concubitui indulgendum. Numerantur uerò usq; ad uergiliarum ortum, dies sex & quadraginta.

Vergiliarum exortus.

Hoc tempore crescit in hominibus bilis fulua, et amara sanies, ad solstitiũ usq; æstiuale. Tum suauia, aluum cientia ingerere, & ueneri minimũ indulgere conuenit. Numerantur autem ad solstitiũ usq; æstiuum dies quinq; & quadraginta.

Solstitium æstiuale.

Solstitÿ æstiui tempus, atram bilem in hominibus, usq; ad æquinoctium autumnale procreat. Vtendum itaq; gelidis undis, odoratisq; omnibus: uenus uel omnino uitanda, uel innocentius saltem quæ de ipsa tradita sunt, admittenda. Sunt autem ad autumnale æquinoctium dies tres & nonaginta.

Æquinoctium autumnale.

Hoc anni tempore pituita, & tenues fluxiones in hominibus abundãt, ad uergiliarum usq; occasum. Oportet ergo humores ex alto deducere, seu fluxiones cohibere, & acerrima quæq; succosißimaq; esitare, quàm minimum uomere, exercitare, & concubitum fugitare. Numerantur autem ad uergiliarum occasum dies triginta sex.

Vergiliarum occasus.

Sub uergiliarum occasu in hominib. humor pituitosus ad

solstitium usq; hyemale augetur. Sumenda sunt igitur quæq; acerbißima, uina dulcißima: utendum pinguibus & exercitio. Sunt uerò ad brumam usq; dies quadraginta quinq;.

LIBRI PRIMI FINIS.

HYPOTHESIS LIBRI SECVNDI.

IN hoc uolumine totius operis secũdo, de Febribus potissimũ agitur. Primò quidem de iis, quæ ad notas, uniuersamq; ipsarum curandi rationem animaduertenda incidunt: deinde super uniuscuiusq; febris speciei origine atq; curatione: tertiò de iis quæ febrem comitantur symptomatis.

CAPITA SECVNDI LIBRI.

De

FINIS.

PAVLI AEGINETAE

LIBER SECVNDVS, DE FEbribus ex Galeni, cæterorumq; complurium monumentis depromptus. Albano Torino interprete.

Præfatio libri de febribus. Cap. I.



Postquam tuendæ sanitatis disciplinã perstrinximus, quemadmodum malè iam habentibus succurrendum sit persequemur: sumpto à similarib. ueluti simplicioribus morbis auspicio. Cuius generis potißimè habentur, qui cognomento Febriles appellantur. Rursus igitur et nos cõpẽdiaria scribẽdi ratiõe utentes, Oribasij Epitomæ ex Galeni præsertim, et cæterorũ insuper plurimorũ lucubrationib. decerptæ, paucula q̃dã illi præterita addemus.

Quotnam & quæ capita in febrilibus præcipue morbis discutienda sint. Cap. 2.

Ante omnia quidẽ indagare conuenit, salutaris'ne, an exitialis ægritudo existat. Deinde si salutaris, num acuta, an

diuturna. Hæc quippe in alijs quoq; morbis uehementibus inuestiganda sunt. Tertiò, unáne uice decernat, quod febribus peculiare est, an particulatim soluatur.

Quale morbi principium dicendum sit, ex Galeno: Cap. 3.

NEq; sanè capitis dolores, & febres idem sunt: sicut neq; uigilia, à cibisq; appetitus auersio, & uniuersi corporis grauitas, aut laßitudinis sensus. Sed unumquodq; horum à febre diuersum quippiam existens, eandem tamen præsagit. Febris dum quempiam inuadit, præsertim acuta, neq; nos latêre, neq; quenquam uel imperitum potest. Isto autem, si uidetur, quod lateat: mirabor utiq; si diutius hora laborantem latuerit. Proinde illud tempus principium morbi appellemus, cum iam manifestò febrire orsi, decubuerint.

Vnde, spem ne, an pericula morbus ostendat, cognoscendum. Cap. 4.

SIgna quidẽ lethalia dicũtur, uultus cadauerosus, nasus acutus, oculi concaui, & alia ab Hippocrate commemorata: nisi uigilijs hæc, aut uehementi uentris solutioni, aut inediæ deniq; succedant. Lucis præterea fuga, lachrymæ partim citra aliquam occasionem externam, partim oculis nulla pecuiari affectione correptis, fusæ. Ad hæc, si alter ex oculis minor appareat: quæq; in ijs alba esse oportebat, rufescunt, pallent, & nigricant: sordes concretæ angulis inhærẽt, & per somnos oculorum alba cernuntur, palpebris extrinsecus nõ commißis, nisi uehemens alui fluxio præcesserit, uel id quis facere consueuerit. Dentibus stridere, mẽtis inopem esse, floccos stragulis auellere, & festucas paleasq; excerpere, perniciem denunciant. Attendendus item est decubitus. Nam supinum & tanquam resolutum cubare, perq; cubile deorsum ad pedes delabi, summæ imbecillitatis est indicium. Adhuc uerò magis exitiosum, gelidus cùm ex naribus, tum ex ore elisus spiritus. Pulsus obscurus, densus, & intercisus, sudor item animi deliquium inducens, periculosi sunt. Quocirca si uel uniuersa quæ recensuimus indicia, uel ex his pluria cõpareant,

sine

siue pauciora quidē, sed peiora, nulla salutari nota comitante, mortem præsentißimā portendunt. E diuerso expedita spiratio, pulsus inculpatus, mente constare, & bene se ad illa quæ offeruntur habere, uultus inde & cubatio bene habentium neutiquā dißimiles, nullā perniciē, sed salubritatē præsagiunt. Vno uerbo: Quæ à naturali habitu maximè sunt aliena, perniciosa: quæ uerò amica, salubria sunt. Porrò q̄ à lotio, oletulo, sputoq; sumantur præsagia, paulo pòst exequemur.

Quibus notis diutinum morbum deprehendamus. Cap. 5.

Diuturnitas ægritudinis quatuor notis deprehenditur: motu morbi, languentis habitu, pulsu, & febriū specie. Ex motu quidem morbi ad hunc modū: Si quatuor particularis accesßionis tempora, ocyus minimoq; temporis momento inuaserint, morbus acutior erit, cuius extremus terminus est septimana: magna uerò ex parte die quarto soluitur. Quod si longius quidem procrastinetur, neq; tamen duodecim horarum spacium excedat, acutum esse morbum indicat, qui intra diem decimumquartum plerunq; decernit. At si pluribus horis prorogatur, ita ut principium duntaxat & incrementum longiore diei ac noctis tempore absoluat, eiusmodi morbus diutinus adpellatur. Sin exacerbationē morbus particularem nullā obtinuerit, uerùm ab initio ad finē usq; tāquam una ac perpetua exacerbatio infestat, ceu in continuis, et hoc quodammodo indicium dicas esse acuti. Ex habitu uerò ægri hoc pacto deprehenditur, siquidem uultus confestim, aut reliquum etiam corpus uniuersum collabatur, acutum morbum præsagit. Si omnino nihil macrescit, diutinū. Materiæ enim longo tempore concoquendæ, copiam significat. Ab arteriarū motu hoc pacto cognosces: Pulsus magnus, uehemēs, uelox, densusq;, acutum morbum indicat: cōtrarius uerò, longum. Ex febrium deniq; specie, quatenus calidæ & urentes, morbum acutum testantur: mitiores uerò, quasiq; languidiores, diuturnum.

Quo pacto præsciri posit, an decretorium siue solutionem morbus habiturus sit. Cap. 6.

ID quoq; ex his quæ mox enumerauimus, constat, è febrium uidelicet specie & tempore: prõptius tamen omnino à febriũ specie. Calidæ nanq; et perurẽtes febres breues sunt, & per excreta libenter decernunt. Clementiores uerò mitioresq;, diutinæ sunt, et magna ex parte in abscessus finiuntur. Ita liquet ex his quæ dicta sunt, non modò quando, sed quo etiam pacto morbus soluetur. Vt enim in acutis per excretiones decretoriũ magis perficitur, ita in diuturnis per abscessus.

De diebus decretoriis. Cap. 7.

EX diebus decretorijs quidam sanè crebrò, cum fide, saluβriter, exactè, euidenter, & insignitè admodum soluunt. Quidam ratione his admodum diuersa. Tertiusdecimus medium inter utrũq; dierum genus, ordinem seruat. Sunt uerò ex ipsis, qui simul atq; exiguum modò naturæ impetum adepti sunt, decernunt. uerbi gratia, septimus & decimusquartus. Pleriq; tamen in uehementioribus naturæ motib. morbos soluere nati, aliter decernere nequeunt. Cæterùm neq; qui probi sunt, omnes iuxtà probi sunt: neq; omnes qui praui, omnes pari ratione praui: uerùm neq; certa cum serie bonitatẽ prauitatemq; obtinent. Qui primæ sortis, hoc est, ex bonorum sunt catalogo, isto pacto se habent. Primum ac præcipuum bonitatis locum poßident, septimus & quartusdecimus. Secundum, nonus, undecimus, & uigesimus. Proximi his bonitate sunt, septimusdecimus, atq; etiam quintus. Sequitur hos quartus, hunc uerò tertius & duodeuigesimus. His contrarij, secundæ sortis sunt. Nocentißimus omnium, qui cum discrimine & obscurè morbos iudicat, tanquam ex diametro septimo oppositus, sextus est. Eiusdem notæ sunt octauus, decimusq;. Post quos deinde sunt duodecimus, sextusdecimus, & undeuigesimus. Tertiusdecimus mediam inter hos ordines rationem obtinet, neq; perinde repudiandus, ut hi qui secundi sunt ordinis; neq; utiq; sic morbos soluere potest, sicut ij qui pri-

primæ claßis esse censentur. Et hunc quidem dignationis iudicatoriorum ordinem Galenus usurpauit. Secundũ numerorum seriem boni iudicantur, tertius, quartus, quintus, septimus, undecimus, quartusdecimus, decimusoctauus, & uigesimus. Mali uerò, sextus, octauus, decimus, duodecimus, sextusdecimus, & undeuigesimus. Mediã sibi inter bonos prauosq; sortem decimustertius uindicat. Iudicatoriorũ porrò alij aliorum indices sunt, quos contemplatorios nuncupauit Hippocrates, eo quòd, quæ sequenti decretorio die futura sunt iudicia, præsagire ac contemplari in ijs possumus: quemadmodum quartus, futurum in septenario decretum de morbo prædicit, puta sudores quospiam aut madores, uel particulares huiusmodi inanitiones nonnullas excitans, uel significationes insolentes, uel cõcoctionis deniq; indicia, portendens. Verùm Galenus sexti etiam (quãquam mali) quartum indicem esse asserit. Vndecimus quartumdecimum præ se fert, & decimusseptimus uigesimum. Et ad quartumdecimum usq;, efficacißima redduntur super morbis decretoria. Proxima his sunt, quæ usq; ad uigesimum sequuntur iudicia. Quæ post uigesimum usq; ad quadragesimum, pedetentim uehementiam remittunt. Primum tamẽ honoris locum uigesimusseptimus, trigesimusquartus, & quadragesimus obtinent. Post hos succedunt uigesimusquartus, trigesimus primus, & trigesimusseptimus. Qui inter hos à uigesimo ad quadragesimum usq; iudicatoriorũ dierũ numerus habetur, totus iudicij expers est: quemadmodum à quadragesimo ad unum omnes planè sunt languidi, concoctura magis & absceßibus, quàm iudicationibus morbos soluentes. Quare alios omnes, qui post diem quadragesimum succedunt, Hippocrates negligere uidetur. Sexagesimum tamen & octogesimum, centesimumq; respicit. Post hos alios quidem morbos septem mensibus, alios septem annis iudicari asserit: alios, ut uerisimile est, binis & ternis annorum septenarijs.

Quod decretoriæ notæ, si in morborum initiis compareant, uitiosæ sint. Cap. 8.

Signa concoctionis nunquam inauspicatò cernuntur: q; omnis cōcoctio natura uictrice perficiatur, eoq; nunquā non salutaris habetur. Sed decretoriæ notæ aliquādo sinistrè cōparent, quoniā iudiciū ambigit, nunc quidē bonū, nunc ediuerso malum succedēs, ceu mihi iam antè de iudicatorijs diebus ostensum est. Quapropter neq; in morborū principijs, neque incrementi tēpore dextrè conspiciūtur, sed in declinationis tēpore, quum uidelicet natura ualentior morbū superat.

Quemadmodum futurum iudicium prænoscendum sit. Cap. 9.

Si morborum exacerbationes intendantur, & sese anticipent, multoq; uehementiores reddantur, ac per tertium quenq; diem significationem sui exhibeant, indicia præterea concoctionis in lotio, oletulis, & sputo appareant, omnium ocyßimè morbus decernet. At si exacerbationes cunctanter moueantur, eodemq; tempore aggrediātur, singulisq; diebus infestent, post longius temporis spacium de morbo iudicium expectabis. Qui porrò cum concußione cōmotioneq; corporis, quod Græci rhigos uocant, maximè febriūt, fieri nequit ut prius his morbus finiatur, quàm rigor mitigetur. Nā hic si nihil remittat, fieri non potest ut iam ad uigorem morbus, nedum ad inclinationem peruenerit.

Imminēs morborū crisis qua ratione agnoscenda sit. Cap. 10.

Grauis omnino atq; molesta nox, omne decretoriū, quod interdiu aduētabit, semp præcedit: quod uerò noctu agetur, dies antecedit inquieta. Supueniunt uerò casus: capitis dolor, qui nunq̄ antea fuit, ceruicis dolor, præcordia ad superna trahūtur. Spirādi difficultas derepēte oboritur: necnō & alia quædā molesta symptomata, quæ ægrum prius nunquā afflixerūt, apparēt. Quin si ijs incidentibus pulsus non concidant, sed altius attollātur, et uehementiores reddātur, symbolūq; decretorius dies suÿpsius exhibēs, maximè ex bene iudi-

cantium

cantium numero existit, non futuram modò iudicationē, uerùm salubrē etiam sperato. Perculsus aūt in his minimè fueris, neq; si desipere hominē, aut exilire cōspexeris. Nam hæc superiora humores petere indicāt: ueluti ecōtrariò alia signa sunt, quæ succos inferiora subire portēdunt: suminis scilicet morsio, circa umbilicū torsio, lumborū dolor, et uētris murmuratio: sæpius alia quoq; his cognata indicia apparent. Ad hæc si ægrotās per hæmorrhoidas euacuari cōsueuit, eiusq; uacuationis periodus incidit. Pari modo in mēstruis purgationibus, si mulier est quæ lāgueat, nihil absurdū, per illiusmodi uacuationē morbi crisim cōtingere. Porrò sudores non ex corporis modò, qui antecesserūt madorib. ut par est, præsertim in die contemplatorio, sed etiā meatuū laxatione præscire cōuenit. Decretoria uerò quæ supernis euacuationibus perficiuntur, ex ijs potißimum deprehendes. Contemplandus quippe præter hæc, quæ mox retulimus, laborātis etiam uultus: & si quam eius partem palpitare, uel uenas temporum percutere, genas, nasum, oculumq; solito magis rubescere conspexeris, per superna potius uacuationem expectabis. Quod si præter uoluntatem illachrymant, uel splendores se intueri imaginantur, manusq; ad nares ceu scalpendi gratia tulerint, tū haud amplius morari, sed iam manantē sanguinē cernes. Semel enim atq; iterū uel leniter fricantibus, prorumpit. Rosio oris uentriculi, inferiorisq; labij tremor, iudicium per uomitum fore multotiens insinuant. Sed de his hactenus. Accedunt etiam quæ spem nostrā confirment, ægrotantis ætas, natura, & insuper anni tempus, & præsens aëris constitutio. Vbi enim adolescens fuerit ægrotās, aut aliàs naturæ calidæ, aut sanguineus, tū maior habenda spes est. Si iam antea eidem siue benè, siue malè habenti, sanguinis uacuatio facta est, ceu suprà retulimus, hoc uel solum ad profundēdi sanguinis spem exhibēdam, abundè est. Si uerò anni tempus æstas sit, uel si æstas quidem non sit, sed aliàs præsentis status

aëris calidus, & sæpe illo tempore sanguinis fluore iudicati sunt, refertumq; sanguine corpus, et solenniũ excretionũ retẽsio sit, hæc quoq; maiorẽ tibi spẽ exhibuerint. Pariformiter in reliquis quoq; euacuationib. ratiocinandũ est. Quod si horũ nihil conspiciatur, sed æger in aliquo iudicatoriorum, qui à uigesimo maximè sunt, dierum, discruciatur, ac morbo in summo iam incremento existente, dolores in aliquo articulorum, aut circa aures, aut in alijs quoq; partibus hæreant, uel nulli quidem dolores, sed sudores particulares in mẽbris aliquot iugiter exudãt, per abscessus iudicium fore sperabis. Qui ea corporis præcipuè particula prorumpet, quam sudores, dolores tumoresq; exercuerunt.

Quemadmodum optimam iudicationem peractam agnoscamus. Cap. 11.

SI expediens à cõcoctione euacuatio peracta est, et febris iudiciũ expertus liberatur, ab alijsq; accidẽtib. uindicatur, et maior colori pro uacuationis ratione gratia accessit, uegetiorq; pulsus, ac sese erigẽdo robustior est redditus, quodq; in primis periculo uacat, facilis hæc mali toleratio comitatur, saluberrimũ hoc sanè decretoriũ habetur. Verùm si quo horũ deficiat, tãtũ aberit ab optimo, quãtũ præpollet id quo deficit.

De pulsibus, ex Galeni commentariis. Cap. 12.

PVlsus est cordis et arteriarũ motus, qui insurgẽdo cõcidendoq; cõficitur. Vsus ipsius duplex est. Eleuatione etenim (Græcis diastole uocatur) quasi expãsione quadã extẽsioneq; arteriæ, gelidus aër ingreditur, qui robur uitale, ũde spiritus quoq; animalis gignitur, excitat et recreat. Cõtractione autẽ (systolẽ Græci nuncupãt) qua arteriæ extremis ad medium sui subsidentib. et cõniuentib. fuliginosarũ superfluitatũ excretio fit. Sunt autem arteriæ oblõga quædã uascula, uenarum modo cõcaua: uerùm propter memoratã motionem, & quoniã sanguinem cum spiritu cõtinent, duabus tunicis munita. Quæ è corde quidẽ originem trahũt, sed per singulos corporis artus mẽbratim diffunduntur ac propagãtur. Omnes

itaq;

itaq; arteriæ pari percutiendi ratione, sibi inuicē et cordi respondent. Quare ex unaquaq; ipsarū, cæterarū etiā omnium modus colligi, non tamē uniuersarū æqualiter motus percipi potest, sed prōptius quidē in partibus corporis carne exortibus, obscurius uerò in carnosis partibus. Nullas quippe decentius, aut usu cōmodius, quàm quæ brachialia perreptāt arterias attigeris. Est igitur primū pulsuū genus, quod motus tēpore tā in extēsione, quàm remißione arteriarū perpēditur. Differētiæ ipsius sūt, citus, lētus, et mediocris. Quicquid enim motui accōmodatum est, aut præcipitāter, aut cūctāter, aut maturè pro tēporis ratione mouetur. Citus aūt est, qui breui tēporis curriculo, motu plurimū emetitur spacij. Lentus aūt, qui lōgo admodū tempore, modicū absoluit interuallū. Mediocris uerò, qui mediū quendam motū inter utrunq; cōficit. Alterum uerò pulsuū genus in quātitate extensionis cōsistit. Quum enim quoduis corpus tribus dimensionib. constet, longitudine, latitudine, et profunditate, arteria autē sit corpus, necessum est, ut eadē quoq; tria sortiatur interualla. Verùm in animante secundum naturā se habēte, mediocriter ipsam undiq; eleuatā reperies. In eo autem quod præter naturam affectum est, interdū quidem in aliquo horum interuallo deficit, interdū uerò excedit. Vbi recordari congruit, cuiusmodi nauralis arteriarū fuerit pulsus. Nā si latitudine excellere deprehēdatur, ab eadē distātia Lati nomen adipiscitur: si longitudine, Lōgi: sin altidine, Alti nomine gaudet. Liquet aūt, quod illis cōtrarij et naturalib. exiliores percussus, compari modo, alius angustus, alius breuis, alius humilis deniq; appellandus est. qui uerò in singulis dimensionib. ex æquo à naturali cōstitutione in cōtrariū permutātur, ex ijs alius ita diminutus, paruus, alius uerò adauctus magnus nūcupatur. Tertium uerò pulsuum genus ad robur uirtutis exigitur. Differentiæ ipsius tres sunt, uehemēs, debilis et mediocris. Vehemens est, qui uiolenta percußione ferit tactum medici. Debilis, qui

inuali-

inualidum atque imbecillũ percussum efficit. Mediocris, quę mediã quandam proportionẽ seruat ad utrũq;, quem quidam naturalẽ esse autumauere. Nam ira et exercitationib. pulsum qui naturæ modum excedit, uehementiorem fieri produnt. Quibus Galenus utiq; occurrit, pulsum inquiẽs, qui ex causis non naturalib. uehemẽtior euadit, non firmum, sed promptè mutari. Quisquis igitur uehementior pulsus haud incunctanter transmutatur, is naturalis & moderatus æstimandus est. Quartũ pulsuũ genus à statu instrumenti, arteriæ inquã corpore sumitur. Sunt uerò et huius generis differẽtiæ tres. Aut enim durius, quàm natura ferat, instrumentũ est, et durus appellatur pulsus: aut mollius, & ob id mollis dicitur: aut proportionẽ ex æquo habens ad utrunq;, et inde moderatus nuncupatur. Quintum genus pulsuũ à quantitate infusionis humoris arteriæ cõstituitur. Et hoc quoq; tribus defferẽtijs dirimitur. nam alius plenus est, alius uacuus, alius moderatus. Quandoquidẽ totũ uasculũ aut plenum est, aut uacuũ, aut humore mediocriter refertum. Plenus itaq; pulsus est (quemadmodum definit Archigenes) qui pleniorẽ præ se fert arteriã, et submißionẽ succo impeditã. Vacuus autẽ, qui bullæ instar arteriæ eleuationẽ efficit, ut impreßione digitorum uacuitas quædã loci subsidat. Hæc igitur quinq; pulsuum genera uno arteriæ motu cõstituuntur. Quoniam autẽ caloris qui in corde cõtinetur qualitas, uidetur quodãmodo euidẽtius ex arteria apparere, cẽsuerunt hoc sextũ etiã pulsuum genus inter prædictorũ seriẽ cõnumerandum. Reliquorũ uerò generum, quæ tũ uno, tum pluribus percußib. cõstant, aliud sanè tẽpore quietis, aliud numero, aliud æqualitate et inæqualitate, quoddam etiã ordine et ordinatione constituitur. Quod igitur secundũ tẽpus quietis septimũ à primo est, partitur in densum, rarũ & mediocrẽ. Nam quũ arteria gemino agitetur motu, ex contrarijs motionibus cõposito, necesse est duplicem contingere quietem: alteram quidem post eleuationem ante com-

preßio-

preßionē, alteram uerò post compreßionē ante eleuationem, quā plerique sensu percipi nō posse autumauerūt, ut inter duos motus quies aliqua intercipiatur. Cui itaque longm quietis est tempus, hic appellatur rarus: cui breue, densus seu creber: cui mediocre, moderatus. Octauū genus pulsuum ad rhythmum spectat. Est uerò rhythmus in summa quidē, habitus, siue tēporis ad tēpus proportio. Cæterùm in pulsu, secundū quosdam, temporis motus, ad tēpus quietis, puta distentionis, et cōractionis ad aliquā quietē intercedentē. Iuxta alios uerò, tēporis motus ad motionem, ueluti distentionis ad cōpreßionē, siue quietis ad quietem, utpote interioris ad exteriorē, proportio. Differentiæ aūt rhythmi principes sunt duæ. Eurhythmus, et Arhythmus, quasi pulsus boni rhythmi et nullius rhythmi dicas. Arhythmō, non sanè nullū rhythmū habentē, hoc quippe fieri nequit, sed inconcinnū rhythmū, ceu aphonō et atrachelon, id est mutū et truncum, dicimus, hunc qui uitiatā ceruicem, illū qui uocē sortitus est obscurā. Iam uerò arhythmus trifariam dirimitur. pararhythmus enim alius est, qui mediocrē boni rhythmi peruersionē habet. alius heterorhythmus, qui lōgius à bono præuaricatur. tertius uerò ecrhythmus, qui omnē concinnitatē rhythmi corrūpit. Veluti cum pusionem indicas. Peculiaris quippe puerili ætati pulsus iuxta rhythmū eurhythmus nuncupatur. Vigenti aūt ætati, heterorhythmus. Qui uerò huius penitus nihil seruat, ecrhythmus appellabitur. Nonū genus pulsuū est, quod in omnibus generib. supradictis deprehēditur, iuxta æqualitatem et inæqualitatem prognatū, quod uel in uno dūtaxat pulsu, uel in plurib. contēplatur: quod etiā systematicū nuncupāt. Quo de in primis, ueluti de lucidiore, disserēdū est. Aequalis pulsus est, qui ordine par est, siue magnitudine, siue robore, aut celeritate, aut reliquorū aliquo, siue etiā omnib. Inæqualis, qui seriæ impar est. nā si deinceps uniuersi magnitudine qualicūque pares inciderint, æqualis huiuscemodi pulsus appellabitur. Quod si primus et

mus et secũdus atq; tertius pares uidebuntur, quartus uerè impar, is nimirũ inæqualis secundũ magnitudinẽ pulsus nomen habet. Cuius generis sunt, deficiẽs et intercidẽs. Haud enim in uno solum, aut plurib. etiam magnis unus minor apparet, sed nonnunquã penitus omnis motus aboletur, et uocatur pulsus deficiẽs: quemadmodum alter cõtrarius huic intercidẽs, cũ in medio expectatæ quietis percußio quædam ueluti superflua incidit. Sin aũt secũda paulo minor quàm prima facta sit percußio, tertia uerò exilior secũda, quarta, tertia æqualitate, et sic deinceps usq; ad quamplurimas, huiusmodi pulsus myurizõtas et myuros appellãt, de figurarum ratione, quæ in mucronẽ desinũt, appellationẽ mutuãtes. Ex ijs uerò qui perpetim diminuũtur, neq; unquã ab eiusmodi defectiõe cessant, in absolutã deniq; immobilitatẽ finiũt, hos uulgò deficiẽtes nuncupamus, myuros. Quotquot uerò ceßãt, duplex habẽt interstitiũ. Quidã etenim initã semel paruitatẽ, semper ueluti mordicus obseruãt. Quidã uerò augẽtur denuò, aut scilicet in parem priori magnitudinẽ, aut in minoren aut in maiorem reuertentes, quos myuros recurrentes uocitãt. Fiunt aũt pulsus myuri, nonnunquã in unius pulsus inæqualitate, super quibus haud multo pòst preßius agetur. Eiusmodi utiq; pulsuũ quædam inæqualitas est, quæ systematica appellatur. Quæ uerò uno percussu, aut una etiã arteriæ parte, aut diuersis deniq; accidit, quemadmodũ in motu, unius sanè arteriæ partis inæqualitatis nomẽ sortietur. cum sub uno digito aliter cœperit, aliter uerò desierit agitari arteria, incipiẽs multo quidẽ celerior, finiens uerò segnior, uel è diuerso. Accidit aũt hoc trifariã: aut motu indesinenter persistente, at euanescente, aut reuertente, et quasi geminato percussu feriente. Quapropter si cõtinuò perseuerans et nõ intercisus à ueloci in segniorẽ aut cõtrà, permutetur, eiuscemodi pulsus à re & nomine anisotachys, id est, inæquiuelox existit. Sin aũt interuallatus conquiescat, cætera uelocior appareat, dorcadizon, quod est, ca

prisans

prisans uocatur, à caprea animāte sumpta metaphora, quæ saltando sublimis in aëre hæret, atq; alterū quēpiam inopinatum priore celeriorē perpetrat saltū. Quod si percussus à diastole recurrat, et priusquam omnino cōtrahatur, rursum tactū feriat, dicrotos à Græcis, à Latinis bis pulsans talis appellatur. Huius rei imaginē quandā uidere licet in incudibus, cum uidelicet mallei semel quidem per manū sublati in ipsas uerberant, resibrātes ex incudis renixu iterū atq; iterū percutiunt. Cæterū non solū in motus tempore, uno in ictu, unaq; arteriæ particula poßibile est inæqualitatē cōtingere, uerùm in robore etiam uiriū, non tamē in quantitate interuallorū. nequit enim idē pulsus in eadem particula magnus ac paruus fieri, neq; etiā in alio genere, sed in diuersis partib. In uarijs porrò particulis, unoq; pulsu inæqualitas fit duplex. Nunc quidem cū motus perpetuò manet, et arteria sub aliquot digitis ocyus, sub aliquib. uerò cunctátius mouetur. Nūc uerò motu intercepto, ita ut digiti quidā motū apprehendant, nōnulli uerò minimè. Secundū item quantitatē distētionis, in permultis partib. inæqualitas euidenter apparet: cuius farinæ sunt myouri, uno in ictu nutantes et circūnutantes, à Græcis epineneucotes et perineneucotes appellati. Nam si iuxta interiorem digitū magnus pulsus incidens, et curuatus ex ratione diminueretur, ita ut ab exteriore arteriæ parte, qua laborātis pollicem spectat, minimus appareat, myuros nuncupatur, ad instar caudæ animalculi muris, id est, τȣ̃ μυὸς, aut meiuros, quod in modum caudæ minuatur. Sin atem sub medijs digitis magnus subincidens, atq; eleuatus, utrobiq; minuatur, minor apparens, hūc Archigenes nutantē et circūnutantem appellauit: uolens perspicuè significare breuitatē diastoles, cum ea quæ est ab utrisq; limitibus, puta inclinatione. haud enim tam quā abscisis statim, sed perinde atq; inflexis utrinq; partib. in arctū contractus est, cū sit myuros magnitudine ex utrisq; partib. Si inæqualitatem iuxta magnitudinē modò celerius

modò

modò tardius assumpserit, pulsus undosi et uermiculãtes oriũtur. Sin aũt et eam quæ in situ existit, acceperint, conuulsorij & turbulẽti appellati, cõstituuntur. Ordiendũ itaq; ab undosis, in quibus nõ simul in istiusmodi inæqualitate, tota arteria apparet distẽta, sed pars illius alia primũ, mox alia, dein tertia, postremò quarta, motu cõtinuo perdurante, instar sese eleuantium undarũ. Nõnulli quidẽ in rectum omnino fluctum meantẽ habẽt, aliqui uerò in obliquũ declinãt, aliqui in breui longitudinis distantia altitudinẽ magnã obtinent, quidam aũt ediuerso. Quidam latitudinem, quidam item angustiam. Pari etiã modo et iuxta celeritatẽ atq; robur inæqualiter se habent. Vndosus totus in paruitatẽ decrescens, uermiculans nũcupatur, uermiculari incessui persimilis. Quẽadmodũ uerò pulsum undosum minorẽ effectũ uermiculans excipit, ita uermiculãtẽ formiculans, quãdo uidelicet abolitis motionib. permultis, in unam atq; eandẽ perquã exiguam omnino finierit. Inditũ aũt et huic pulsui à similitudine formicæ animantis nomen est, cùm propter paruitatẽ, tum propter motionis speciẽ. Est enim uehementer pusillus formicans, ut quo nõ est minor alius, cõsimiliter et omnium obscurissimus, frequentissimusq;, minimè tamen, iuxta Archigenis sententiam, uelox. Cõfinis huic pulsus est hecticus. Quemadmodũ enim febrium una species est hectica, ita et pulsus habetur hecticus, qui nullã ingentẽ mutationẽ admittit, sed perpetim in eodem tenore persistit, trahitq;, ut ab initio cœpit, neq; unquã soluitur, toto habitu in morbũ cõuerso. Pulsus aũt conuulsorij utrinq; ex finib. extremitatũ retrahere, extẽdere, et cõuellere uidẽtur, instar chordæ alicuius extẽsæ sensum præbẽtes. In turbulentis aũt nihil istiusmodi reperitur. Sed maior in his est eleuatio, ut partiũ quædã arteriæ sursum ferãtur, uno eodẽq; tẽpore: motumq; ipsarũ iaculis rectissimè assimulaueris, quæ uiolẽter emissa ocyssimè ferũtur uibrata. Serratus pulsus est, cũ alia quidem arteriæ pars elata, alia non, ob duritiẽ nimirũ suam

esse apparet. Habet autem quandam etiam turbulentiã pulsus iste, & celer quidẽ creberq́;, nõ semper tamen magnus, existit. Decimum pulsuũ genus ex prædictis est, quod ex inæqualitate iuxta ordinẽ & inordinationem nascitur. Ordinatus enim & inordinatus, secto inæquali in æqualem pro ratione circuitus, atq; omnino etiã in disparem, ex utraq; sectione, originem ducunt, puta ex circuitionum paritate ordinatus: ab exacta uerò imparitate, inordinatus. Aequalis enimuero pulsus ad unguem etiam ordinatus est, siquidẽ imparem subsequentia ipsum diximus. Inæqualis aũt non omnino inordinatus est. Si enim æqualitatem corrumpit, circuitum uerò aliquem seruat ut in quantitate dilationis si fortè contigerit duos fieri magnos & unum paruũ, inde uerò rursum duos paruos et unum magnũ, & sic cõsequenter, nũcupari poßit eiuscemodi inæqualis quidem, sed ordinatus. Sin aũt præter hoc quod æqualitatem destruat, nullumq́; inæqualitatis ordinem seruet, præter imparitatẽ, inordinatus etiã talis existit. Pari modo & in aliis horum generibus se habet. Ex inordinatis porrò nõnulli sunt per omnia inordinati, ne pusillã aliquam seruantes periodũ: alij uerò secundum periodos ordinati. Quatenus enim continenti ordine destituuntur, inordinati uocentur: quatenus aũt periodum seruant, secundum periodos ordinati dicentur: ueluti si contigerit duos magnos fieri atq; duos etiã paruos, inde tres magnos et totidẽ paruos, itẽ quatuor magnos et totidẽ exiguos: et rursum tanquam reflectentes duos magnos, et duos paruos, et tres magnos cum totidem paruis, et sic deinceps in aliis similiter. Sciendũ autem, quòd inter alios contrarios singulos est aliquis medius, æquali autẽ & inæquali nullus est medius. Neq; inter ordinatũ etiam & inordinatũ quispiam habetur medius, nisi uolueris secũdum circuitus ordinẽ seruantem, medium inter ordinatum & inordinatum dicere. Et cæterorũ quidem medij sunt secundum naturam, præterquã eius qui in uehementia et obscuritate, quemadmodum ostendimus, cõstituitur. Ex eorum autem albo solus

æqualis secundum naturam est, reliqui præter naturam, tum inæqualis, tum ordinatus, tum & inordinatus. Hæc itaq; sunt genera pulsuum uniuersa, & generalia ipsorum discrimina. Quidam tamen his & alia duo adnumerauerunt. Primũ quidem à situ arteriæ pendet, quatenus sursum ac deorsum, in dextram aut sinistram deducta uidetur. Alterum genus quo maturius, uel lentius moueatur: è quorum numero esse undosos & turbulentos pulsus diximus. Hactenus quidem simplices tãtum breuitatis causa pulsuũ differentias perstrinximus: è prædictis autẽ, si cõiungamus has, facile & cõpositas inueniemus. Deinceps uerò super causas, quæ pulsibus cõueniunt, differendũ est, quas comitatur etiã præsagium ab ipsis desumptũ. A magnitudine igitur, quæ cæteris magis est perspicua, exordiũ sumemus. Magnus itaq; pulsus efficitur aut propter necessitatẽ urgentẽ, quæ est utiq; in corde plus iusto redundans caliditas externum gliscens refrigeriũ, et ueluti flabellũ: aut propter corporis gracilitatem, quemadmodũ paulo pòst indicabimus. Augetur uerò calor uel ex causis naturalibus, puta ætate florida, aut puerili, aut simpliciter calida, anni tẽpore, regione, tẽperatura calidiore: aut causis non naturalib. ueluti aëre, qui nobis circũfunditur, calidiore, lauacris calidis, exercitationib. esculentis, poculẽtis, medicamẽtis, calfaciendi facultate præditis. Vel causis naturæ cõtrarijs, uerbi causa, distẽperatura calida, aut humorũ putrefactione, aut ira, aut id genus alijs. Discernes aũt singulorũ pulsuum hoc interstitio, ꝙ causæ naturales magnitudinẽ ipsius faciunt stabilẽ & ægerrimè mutabilẽ. Cæteræ uerò, quæ procliuiter permutari queat, ut etiamdũ manu pertractãte, aut certè nõ multo pòst subsidat. Iam magnis quidem pulsibus, qui ex calidis balneis proueniunt, mollities accedit: quemadmodũ etiã his qui ex calido, præsertim cũ ariditate, distẽperamento magni sunt, durities. Qui aũt exercitationibus moderatis nauant operã, et perfricantur, medium quẽdam statum habent inter duritiẽ & mollitiem: sed quæ pectori sunt

uicina,

uicina, calidiora sunt, id quod etiã ira percitis usuuenit. Nonnullis uerò propter cibi aut uini usum, aut furorẽ, ad magnitudinem et uehementiã pulsus accedit. Porrò qui iram, aut aliud quoduis cõtra præscriptũ medici facinus celare conãtur, uerbi causa, calidũ medicamentũ sumptũ, et medicũ, cum manum mittit in carpum sciscitantẽ, occultare cupiunt, ijs præter magnitudinem etiam euidens inæqualitas accedit. Ad hoc autem & languentis ingenium, moresq́;, & consuetudo non parum opis ad pulsus cognitionem ferunt. Consuetudo quidem, si uehemẽter erga medicamẽta affectus sit. Ingeniũ uerò, stupidum'ne nactus sit, an callidum, & opinionis eximẽdæ peritus sit. Qui uerò pulsus magnus è putredine humorũ factus est, præter magnitudinem systolen etiam magis accelerãtem habet. Sed quo pulsus magnus reddatur, nõ satis sunt quæ ad usum tantummodo spectant, uerùm oportet etiam uirtutis ministeriũ, et instrumenti symmetriam inter duritiem et mollitiem accedere. Cum igitur cordis auctus fuerit calor ex quacunq; prædictarũ causarũ, primũ quidẽ pulsus redditur magnus. Vbi uerò ad usum magnitudo non suffecerit, protinus ei uelocitas quoq; accedit. Quòd si etiam tum quippiam desiderabitur, crebritatẽ quoq; assumit. Parui uerò & tardi, & rari pulsus itidẽ à contrarijs fiunt. Cæterũ quotiescunq; à magno, celeri, ac crebro, in oppositos fit trãsmutatio, usu uidelicet postulãte, neq; amplius quod primũ in pulsu factũ est, primũ quiescit, sed quod posterius enatum emicuit, id primũ abijcit, redditurq́; protinus rarus, deinde tardus, postremò etiã paruus. Quòd si ad maiorẽ tarditatem paruitatẽq; peruenerit, rursus raritas in frequentiã demigrat, ut per ipsam, quæ usui sunt, absoluãtur. Hæ igitur magnitudinis, uelocitatis, crebritudinis, et contrariorũ ipsis pulsuũ habẽtur causæ. Annectẽdæ etiã his, quæ una dũtaxat dimẽsione cõstat pulsus deprauatio. Latitudo itaq; nõ nisi per humorẽ plus iusto superabundantem augetur, siue id secundum naturã, siue ab externis occasionibus contingat. Quemadmodum altitudo

propter instrumẽti tantum mollitudinẽ, addita in hoc interim etiam uirtute. Lõgitudo autem ab ariditate et carnium circuniacentiũ liquefactione palàm innotescit, alijs dimensionib. collapsis: neq; enim fieri potest, ut prolixior, quàm natura fert, ipsa reddatur arteria, & magis propriè quis gracilẽ huiuscemodi appellet pulsum: quamadmodũ huic cõtrarium qui latitudine modò auctus est, & profunditate plenum. Affectionibus uerò horum cõtrarijs pulsus interdũ incidit, & secundum aliquam aut aliquas distãtias prohibetur, humilis aut strictus, aut breuis apparens, cũ tamẽ talis nõ sit, sed propter pinguedinis cuiuspiam, aut carniũ, aut membranarum oppositarũ craßitiem. Nonnunquã etiã totus exiguus uidetur, cum nõ sit uerè exiguus, et obscurus similiter. Quid hæc recẽseo? sæpenumero quibusdã nullus omnino in omnib. arterijs uidetur esse motus: cum tamen re uera minimè sit, & præcipuè ijs qui minus accuratè tangũt, uerùm si propter copiã carniũ latitat motus uerè obscurus. Nemo itaq; sibi persuadeat exactã asphyxiã homine etiam dum superstite unquã usuuenire posse: quẽadmodũ ediuerso in mẽbris excarnibus, etiã exiles pulsus magni uidẽtur. Emaciato igitur uehemẽter corpore, arteria quæ spinã excurrit, sæpe tãgentibus abdomẽ, motũ præ se fert: nõnullæ etiam earum, quæ in mẽbris prius obscuræ latebãt. Proinde singulæ causæ sunt exacta diligentia rimandæ, ne nos ipsorũ subterfugiat cognitio. Vehemens aũt pulsus à potentia uirium prouenit, nulla alia cõtrà moliente causa, usu nẽpe dissoluto, aut instrumẽti duritie. Obscurus uerò pulsus imbecillæ atq; infirmæ uirtutis, & huiusce etiam solius proles est, etiam si nihil aliud præsto sit. Vehemens etenim pulsus omnibus eget ad sui generationẽ causis. Obscuri sola etiã debilitas parens est. Qui ergo ab initio statim uehemẽs existit, ætates, anni tẽpora, regiones, moderatasq; tẽperaturas comitatur, obscurus autem immoderatas. Sed qui ex obscuritate transilit in uehementiã, à uirtute cõualescente ex præterita ualetudine aduersa efficitur: conualescit

lescit autem uel beneficio eorum quæ in ipso corpore continentur, uerbi causa, humorũ cõcoctione, aut excretione, aut furore: uel quæ foris adueniũt, puta uino, cibo, exercitationibus, et alijs quæ intemperaturã corrigunt. Vires porrò demoliuntur, inediæ, uigiliæ, euacuationes immoderatæ, mœrores, curæ, et dolores, præsertim animæ deliquiũ inducẽtes, & quæcunq; id genus uitiosum tẽperamentum conciliant. Quidã imperiti & inexercitati pulsum durũ, uehementẽ existere putauerũt, quod exercitatũ cùm ratione, tum tactu minimè potest effugere. Vehemẽs etenim magna ex parte cum magnitudine in altũ attollitur, tactum ualidè ac uiolẽter feriens. Durus autem, magnitudinem nullus, propter contumaciam arteriæ, admittit. Durum igitur pulsum instrumenti duritia maximè reddit: quã quidem uel frigus supra modũ intẽsum, uel ariditas, uel tẽsio ab inflammatione profecta, aut conuulsio deniq; procreat. Protinus autem duritiæ paruitas quoq;, et celeritas interdũ, & crebritudo magnitudinis loco, propter usum succedit, quemadmodum & mollis pulsus humiditatẽ arteriæ comitatur, quã humidiorem efficiunt ex rebus quidẽ non naturalibus esculenta liquidiora, lauacra frequentia, somni prolixi & immoderati, uictus præterea ratio delicatior, et animi delectatio. Ex ijs uerò quæ præter naturã sunt, maligni sopores, ueterni, aquæ inter cutem, et reliqua pituitosa. Plenus autẽ pulsus, aut humorum plenitudinem, aut nimiam cibi aut potionis uini præfert redũdantiam: quemadmodũ uacuus contraria, puta famem aut inanitionem. Porrò si corus arteriæ calidius occurrit, uehementẽ cordis caliditatẽ, reliquo corpore refrigescente, aut conuulsoriam quandam arteriarũ uiolenta cõmotione incalescentiũ dispositionem insinuat. Archigenes autẽ asserit locũ arteriæ peculiariter in grauioris somni sopore (quod mali genus catochon dicunt) calidiorẽ inueniri, quemadmodũ in ijs qui cataphora, id est graui in somnum delatione conflictantur. Pulsus autem quem secundũ rhythmũ fieri diximus, si in motu & quiete fuerit æqualis,

 incul-

inculpatam totius corporis temperiem significat: quantum in semetipso, uel exiguam à bono deprauationẽ ceu in ætate pue rili, & aliàs tẽperatis corporibus. Sin autem plus temporis in quiete quàm in motione cunctetur, calorẽ superare portendit, quemadmodũ & in ætatis flore, aut huic etiã ætati proximis, liquidò datur cernere, nõ aliter quàm in senũ corporibus æqua biliter gelidis diutius multo moratur in quiete tempore. Illud uerò latêre neminem debet, quòd rhythmi inæqualitas, intra modũ celeritatis et frequẽtiæ consistit: hæc uerò solũ materiæ rationẽ ad rhythmũ obtinet. Deficiẽtes porrò et intercidentes pulsus, oppressa et tanquã grauata uirtute, redduntur. Interci dentes quidẽ minus nocumenti, deficientes uerò noxiam maio rem faciẽtur: et in uniuersum, uirtus oppressa grauataq́;, pulsus ad inæqualitatẽ & inordinationem traducit, cùm quamcunq; aliam, tum eam quæ in uehemẽtia & magnitudine sita est. Ex pulsibus autẽ myuris, quos duplices genere esse demonstraui mus (aut enim in ea inæqualitate, quæ systematica appellatur: aut in ea quæ uno ictu deprehenditur) deficientes quidẽ extre mam uirtutis internecionẽ declarant. Repetẽtes uerò et recur rentes, & hi quidem imbecillã, sed etiamdum repugnantẽ, re sistentem, et renitentẽ uirtutem præsagiunt. Myuri autẽ unica plaga, & inclinãtes, qui epineneucotes, uel perineneucotes ap pellãtur, potißimum ijs fiunt, qui sensim contabuerũt non solu tis inflammationibus. Iam uerò & in plurimis quomodocunq; emaciatis, dũ partes quæ circa arterias sunt, emarcescũt. Cæ terùm inæquiueloces, et caprizantes, maxima ex parte feruo res febricitãtium, comitãtur. Quòd si primordia diastoles pul sus dissolueris, prope extremũ ipsius, et systoles exordium ma turauerit, putrefactionis abundantiã innuit, ad excretionẽ fu liginosa recremẽta impellente natura. Si autem cõtrà, systoles quidem principiũ soluerit, sed ad diastolen magis festinet, scito calorẽ supra modũ auctũ refrigeriũ affectare. Est autẽ horum in febre plerũq; frequẽtia comes, nonnunquã etiã magnitudo, nisi

nisi uirtutem durities instrumenti impediat. Quando autem arteriæ durities uirtute integra & robusta intenditur, pulsus dicrotos, id est bis feriẽs, accidit. Fluctuãs insuper, siue undosus, humidas plurima ex parte ægritudines comitatur: sed ex his potißimũ, Anasarca aquæ intercutẽ, ueternum, & peripneumoniam. Verùm ubi iam uirtus lãguere cœperit, sed etiã dum paululum resistit, fluctuans in uermiculantẽ transilit. Vbi extremè collapsa fuerit, etiã hunc formicãs excipit. Hecticus peculiariter aliqua tabescentibus parte, et aliàs liquefactis præsidet. Conuulsorius, quãdo neruorũ origo, inflãmata quadam affectione infestatur: quemadmodũ in phreneticis, morbo comitiali grauiter correptis, dum uidelicet in eo malo cõstituti, etiã dum calidi uitã in mortẽ cõmutant, cõtrario planè modo ijs qui animi deliquio cõcidunt, illi sanè uehementer gelidi, superstites tamen permanẽt. Turbulẽtus aũt pulsus fit, cum usus magnã diastolen expostulat, & robur uitale functione sua defungi potest. Nihil autem præter arteriæ corpus, quo minus poßit præ duritia in magnã extolli eleuationẽ, sicut in magnis inflãmationibus, et diutinis obturationibus, impotens refragatur. Serratus uerò pulsus in uniuersum inflammationis index est, et præcipuè neruosarum quarundã partiũ: maximè uerò costali morbo proprius, remittẽs quidem mollis & coctu facilis, extensus uerò difficilis et cõcoctioni renitens. quæ cum uirtute quidem debili, subitò in periculũ præcipitat: robustis uerò uiribus longo temporis spacio cõcoquitur. aut enim in suppurationem purulentã subinde transit, uel marcida tabes ipsam excipit. Neq; ignorandum, quòd inæqualitates comitatur inordinatio: rarò enim pulsum inæqualem ordinatũ reperies. Inæquales itaq; & ordinatos pulsus, minores offensæ: inæquales & inordinatos, maiores faciunt. Hæ quidem simplices pulsuum causæ, & præcognitiones sunt. Ex his uerò et cõpositas (quemadmodũ in sermone de ipsorum discrimine docuimus) haud negociosum est assequi.

De alui excrementis. Cap. 13.

DEiectionum optima quidem mollis est et compacta, et tempore quo in secunda ualetudine deijci consueuit, oletata. Cuiusmodi fuerit subrufa, cū conuenienti craßitudine, neq; admodū odore fœdo: quæ talis non est, insalubris iudicatur. Quæ igitur his quæ assumuntur colore respondet, tenuis, liquidior, aut nimis fœtida, ocyßimeq; transiens, cruda censetur. Rufum oletum & meracū, per exordia quidē bilem morbi parentem: ubi uerò declinationis quoq; tempore eiusmodi egeritur, pulchrè corpus expurgari portēdit. Viride, eruginosæ bilis: nigrū uerò cùm atræ, tum saguinis cuiuspiā indidem torrefacti indicium est. Liuens algorē quendā, uisceris q; alicuius mortificationem notabilē denūciat. Pingue oleaginūq;, liquefactionem pinguedinis quæ in corpore cōtinetur significat: quemadmodum et glutinosum, pingui deterius, animantiū partes tabe consumi insinuat. Graueolentius ualde, non exiguā putrefactionē declarat. Inter omnia autē hæc, si qualitas excrementorū his quæ ingesta sunt edulijs non conueniet, tum pari modo dispositio quoq; consideranda est. Omnium deterrimum letiferumq; habetur atrum, liuidum, pingue, & celeriter descendens.

Quæ sint urinarum notæ. Cap. 14.

PErinde atq; in oletulis, sic in urinis quoq; regula sanorum usi, agitata etiā ualetudine degentiū, notulas exequemur. Lotium itaq; saluberrimū est, quod urinis sanorū simillimum, cuius generis subrufum & subflauū ducimus: confestim uerò hoc à mictione, craßitudinē moderatā poßidet. Quum uerò lotiorum turbidorum tria sint discrimina, (aut enim micta talia paulo pòst resident, aut quàm diutißimè similia manēt: aut limpida quidē eminguntur, postea uerò cōturbantur.) perniciosum est quod tertio, salubre quod primo loco posuimus: mediū inter utrunq; locū, secundum obtinet. Extremè autem crudum exactè aquosum, ceu deploratæ coctionis uenosi generis accidens est. Quando uerò ocyus prorumpit, impotentia lotij retinendi,

mendi, qui affectus diabetes appellatur, nascitur: uerùm omnium ex crudis lotijs illud multo deterrimũ est. Post hæc tenue admodum, et instar aquæ candidũ succedit. His uicinum est alterum lotiũ, quod plerisq; in morbis apparet, tenui alboq; perquàm propinquum. Post hoc sequitur subpallidum, quod pallidũ atq; leuiter rufum modò reddetur, concoctionẽ iam quandã colore præfert. Est aũt, quod crassitudine tantũ ab aqua, quantũ & colore secedat, si probè coctionis munus absoluere debeat. Quod si urinæ colore nihil ab ea quæ secundũ naturã est recedenti, sedimentũ candidum, leue, æquale, et multum deniq; insit, absolutæ cõcoctionis indicium puta, plurimũ autem crudi humoris expurgari portendit. Non tamẽ si craßior modicè cum sedimine aliquo fuerit, crudam iam prorsus iudicabimus. Nã si craßiusculæ farinæ, aut squamulis similia, aut furfurea, aut atra, aut lurida, aut uiridia, aut graueolentia deniq; in lotio subsideant, præterquã quod unumquodq; tale cruditatem notat, etiã letiferũ est. Cæterũ boni coloris lotia, in quib. uel candidæ, leues, & æquales hypostases, aut nebulæ aliquot pares, aut sublimia cõtinentur, omniũ saluberrima sunt, præsertim ubi subsidens fuerit istiusmodi. deinde si suspẽsa: tertiò, si nubeculæ, & ut simpliciter dicã, quæ urinis probè innatãt, tantumq; bonitate præstãt, quãto magis ad inferna subsident.

Quæ sputi sint notæ. Cap. 15.

Sputa subflaua, subrufa, subspumea, & tenuia, nihil præter cruditatẽ insignis præferunt exitij. Sed exactè flaua, rufa, spumosa, porracea, uiscida, rotunda, & omniũ maximè atra, perniciosa censentur: præter enim sanguinẽ, quicunq; reliquorum humorũ syncerus fuerit, improbum statum ex feruido calore prognatũ insinuat. Cruenta igitur sputa, moderata sunt: flaua, aut atra bile tincta, periculum minãtur. Cõsidarãda est præterea screãdi ratio. nam si procliuius excreentur, liquidò iam cõstabit, eiusmodi sputa minimè mala: cõtraria uerò, perniciosa existere. Exactæ porrò cõcoctionis augurium est, spu-

tum leue, album, æquale, consistentia neq; liquidum, neq; uehementer crassum: cruditatem uerò summam testatur, si ne tantillum quidem expuitur. Quod si excreetur quidem, sed tenue, concoctionem imbecillam fatetur: si autem sincerè quod screatur rufum aut flauum fuerit, malum. Si liuens deniq; aut rubiginosum, aut atrum, perniciosissimum est.

Diariarum febrium agnitio atq; medela. Cap. 16.

DIariarum autẽ febriũ peculiaria atq; inseparabilia signa sunt, urinarum in primo statim die cõcoctio, suauitasq; caloris. Atqui post primã febris solutionẽ fidelius earũ signum exeritur. Nã arteriarum motio in hac febre per omnia sanorum motui respõdet, nulla aliarum febriũ in naturalem dispositionem reuertente. Et quod tolerat facile morbum ægrotus, summum diariæ febris habetur indicium. Prõptius autem id genus febribus corripiuntur, in quorum corpore quod transpirat, halituosum non est, sed acre & mordax, quasiq; fuliginosum: è quorum classe dicuntur, calidæ & siccæ temperaturæ, & in summa biliosi homines. Qui igitur ex laßitudine febricitant, pinguiter et molliter confricãdi atq; lauãdi sunt. Sed qui ob ariditatem ephemera infestãtur, hos minus quidẽ fricare, sed liberalius lauare expedit. Quibus ex sollicitudinibus, mœroribus, uigilijs, ira, febris oboritur, lauãdi ij quidẽ rarius, sed oleo copiosiore tepido, minusq; adstringẽte, tum pauxillulum perfricãdi, tum etiã pro cõsuetudine lauandi sunt. Quibus febrem æstus intulit, his maturrimè ab initio statim frigorificis, lauacris quàm plurimis, minimè uerò abundanti oleo, neq; frictione crebra, succurrrendum est. Sunto aũt quæ refrigerent, rosaceum, omphacinumq; oleum, sine salibus. Quib. uehementer refrigeratis sinciput perfundatur: inclinante uerò febre, lauare conuenit. Si uerò quispiã algoris iniuria affectus, febricitet, & is in declinationib. in balneum ducendus est. Si autem febris unà cum catarrho & grauedine accendatur, ante horum concoctionem lauacrum uitare expedit. Quibus æstus febrem

brem excitat, ei his etiamdũ præsentibus lauandi sunt. Algore autem quicũq; febriũt, modicè calorificis caput eorum, puta, irino uel nardino unguine irrigato. Quib. uerò ex cutis densitate febris cõtrahitur, his dulcium aquarum temperatarũ lauacrum cõfert: necnõ & ea quæ rarefaciendi uim obtinet fricatio: exercitationes, uictusq; boni succi & alimenti. Si uerò ex esurigine cibiq; abstinentia febris originẽ habuerit, hi prima statim accessione remittẽte, in balneũ ducantur. tepenteq; oleo largissimè perfusi, leni manu perfricentur, in calidaq; cisterna multum diuq; uersari debent. A` balnei statim exitu, reuocatis uirib. denuò in balneum ducendi sunt: deinde aqua calida potui exhibenda: ptisanæ item cremor, nonnunquã & lactucæ, & aliquid piscium mollioris carnis, ex albo iure. Communis autem omnib. esto uictus species, inculpati succi, & facilis concoctionis, & quæ nusquã in meatibus hæreat. Vinum cùm aspectu, tum potentia aqueum, miscendũ est. Oportet aũt nonnunquam in ipsa statim primæ accessionis inuasione, ægrotantes aliquos cibare, in quib. scilicet corporis intemperatura ad calidum & siccum cõuersa, febres accendit. Qui ex inguinum inflammationib. febrem contraxerunt, ne medicum quidem quid agendum sit, consulãt, sed ulceri quod in inguinibus ortum est, prospicientes, circa remissionem accessionis, lauãt. Ex re illis usuq; fuerit, uinum, donec inflãmationes solutæ fuerint, interdicere, & tenuiorem uictus rationem præscribere.

De putridarum febrium agnitione. Cap. 17.

Febres ex putredine euenientes deprehendimus, quòd nulla ipsas extrinsecus causa initiatrix præcedit: et quòd à rigore inchoant, neq; æstu neq; frigore uehemẽti prægresso, quod peculiare febrium, quæ ex putredine humorũ accendũtur, indiciũ est: quemadmodũ & pulsuũ oppressio. Sic aũt nominãt, quãdo auspicãte accessione, uegrãdes admodũ atq; inæquales pulsus obtinẽt. Priuatim quippe huic febriũ generi hoc præcipuũ existit. Maximũ aũt febriũ putridarũ indiciũ est, caloris qualitas,

qualitas, tam fuliginosa, ut tactum erodat. Singularis etiã harum febrium nota est cruditas urinæ, hebesq; concoctio. Magnum uerò & memorabile concoctionis signum, in primis lotijs nunquam in huiusmodi febribus apparet.

Curatio febrium putridarum. Cap. 18.

Cum uires eius qui ex putredine febricitat, ualidas exploraueris, incunctanter uenam incidere conuenit, nisi uentriculum cruditas infestet. Vbi uerò robur imbecillum, uel ætas impedimento fuerit, à mißione sanguinis abstinendum. Sanguine euacuato, putridi humores per urinam, aluum, & sudores expurgentur. Si ultro impetum in uentris hostiolum fecerint, etiam per uomitum. Alioquin non conuenit ea præter naturam irritare. Eligendæ uerò sunt materiæ, quæ citra ualidam calfactionem & exiccationem dictarum euacuationum munus subire ualeant: cuius farinæ sunt, ptisanæ cremor, mulsa, oxymeli, apomeli, & apij radix. Si aluus non respõdeat, ex aqua mulsa cum oleo clyster inijciẽdus est. Vniuersum corpus, nisi prius euacuatum fuerit, rarefacere non expedit. Euacuatum uerò, rarefacere tepidi caloris oleo conuenit: cuius classis chamæmelinum existit. In hoc tempore uinum aquosum potui datum, uniuersas excretiones promouet. Lauacrum item temperatum ex aqua dulci. At si febris magnitudo obstiterit, neq; uino, neq; balneo, neq; rarefacientibus ungentis utendum est. Aqua frigida in his febribus hausta, nisi quippiam hanc quoq; prohibeat, utilis est. Proinde siquidem uires quæ corpus regunt, omnes robustæ fuerint, & febris ardentißima, & concoctionis notæ euidenter appareant, frigidam cum fiducia exbibebis. Si uerò qui laborat, corpore quadrato sit, cõstitutioq; cœli calida & sicca, si hunc in frigidam natationem posueris, nequaquam offendetur. Modica autem febre infestante, si uires non ualidæ, cum probæ coctionis indicijs, talibus balnea, uiniq; potus, & quæcunq; arefaciendi uim obtinent unguenta, conducunt.

De

De cognitione tertianarum. Cap. 19.

FEbris tertiana, flauæ bilis agitatæ soboles, circa primordia statim cum uehementi rigore inuadit, à quartanæ rigore sic dissidēs, q; pungere et corpus sauciare uideatur. In quartanis uerò, accessionis insultus perfrigerationem uehementem habet. Quotidianas autem nullus omnino rigor præcedit, sed perfrigeratio sola infestat. Est etiam in tertianis pulsuum exactus ordo. Eadem sitim circa summum uigorem magnam inducit, & hominem exurit, neq; multo pòst in uigore consistit, & calor æquabiliter quaquauersum extenditur. Quòd si manum apposueris, primo quidem contactu calor ingēs et acris, ueluti cum uapore quodā elatus, occurrit: qui paulo pòst à manu superatur. A` potu uerò, continuò permultum uaporis calidi per cutē emergit, sudoris nunciū. Bilis uomitio superuenit. Aut uenter soluitur, & uesicæ excremēta prorumpunt biliosa. Præter hæc ad integram febris quietem finitur, cum exacerbationis tēpus duodecim, nō plurium horarum, expedierit. Febrem ergo quæ intra duodecim horas desinit, exactā tertianam appellabimus. Quæ autē diuturniorē accessionē habuerit, illi simpliciter tertianæ appellationē indemus. Quæ uerò longissimè productum paroxysmum seruauerit, paululum uerò interualli, hanc rursum tertianam extensam nominamus.

Quomodo tertianæ medendum. Cap. 20.

TErtianæ exquisitæ, tanquā morbo à flaua bile originem habenti, humectantibus & refrigerātibus occurrendum. Quicquid in uentriculum repit, per uomitum: quod uerò ad inferiora, per infernā excretionem euacuandū. Idem per lotia quoq; & sudores eliciendū. Aluum itaq; molliētibus enematis ciere, lotia cum apio et anetho proritare expedit, in potionib. simul maceratis. Quod si cōcoctionis apparuerint indicia, cū fiducia iā absinthiū præbeto. Balnea ex aqua quæ bibendo sit calida, congruunt, quib. neq; nitrū, neq; salia, neq; sinapi adijcias: sed oleo ægrū summopere calido perfusum, in lauacrum

descendere

descendere iubeto. Eos autem qui præcupidi sunt lauandi, si bis in die laueris, non delinques. Si cõcoctionis notæ ostendantur, tunc etiam si pluries laueris, nihil errabis. Vino autem in totum, quoad morbus concoquatur, interdicito. At ubi concoqui iam cœperit, tenue, aquosum, parcè primùm cum eduliis, quæ cùm humectandi, tum refrigerandi facultatem obtinent, utiliter exhibetur. Abstinendum à melle, sinapi, salsamento, et acribus cunctis, & uinis perquàm antiquis, et natura calidis. Nihil porrò mirum, si in hominib. qui se olim exercere, et frugalißimè uictitare consueuerunt, nunc autem ordine conuerso, ocio uentriq; deditis, pituitæ bilis plurima ex parte cõmixta deprehendatur. Proinde complures tertianæ aut sine rigore, aut cum perquàm exiguo rigore inuadunt, & propriã medendi rationem requirunt. Neq; enim lauacrum, neq; plenior aliquis cibus ante concoctionem tertiana laborantibus congruit: quoniam ne micæ quidem panis, & oua, & consimilia.

Tertianæ notæ curatio. Cap. 21.

Lauacra in tertianis spuriis circa initia statim non probantur, sed dum iam ostenduntur cõcoctionis indicia. Neq; singulis dieb. sed alternis tantum alendi sunt. Quies ipsis, et circa præcordia fotus conferunt. Facilis itẽ cõcoctionis sorbitiones, clysteresq; non admodũ molles aluo inditi. Et si etiã sanguinis detractio desideretur, caue ne prætermittatur. Vniuersa uerò uictus ratio neq; frigorifica ex toto, neq; humectãs esto: sed modus q magis incidat potius, aßumatur. Sũmè uerò profuerit ipsis ptisanæ cremor, adiecto pipere, aut hyssopo, aut origano, aut spica nardi. Mulsam etiam aquã, in qua piper elixatũ sit, potui dare expedit, et alia quæcunq; lotii proritandi naturam habent, exceptis uehemẽter calidis & aridis. Maximè uerò à septimo die, aquã in qua absinthium maduerit, administrabis. Iam uerò et oxymeli epotum, multis manus auxiliares præstitit, et aliqd eorũ quæ leuiter aluum deiiciunt. A' cibis statim uomere, in hac febre diutius perseuerãte præsentiß. est præsidio.

Quartanarum deprehensio. Cap. 22.

QVartana multo cum frigore impetuose ingruit, ut quæ ex gelido atræ bilis humore originem ducit, sed feruorem æstumq; febrilem instar tertianæ non habet: quin nec bilis uomitus eandem comitatur. Inter hæc si tenuia, cādidi coloris, et aquea lotia compareant, quartana erit febris. Præcipuum autem eius indicium est, pulsus paruus atq; rarus. Autumni uerò tempore potißimum oritur, erraticis succendēs febribus. Certè nonnunquam in quartum diem maximè typum constituit. Sed non rarò plurium dierum interuallo, secundum quasdam periodos acceßionem habet.

Curatio quartanarum febrium. Cap. 23.

QVartana laborantes, leniter tractare cōuenit: neq; medicamentum ullum uehemens admouere, neq; euacuationem moliri, nisi fortè sanguis insigniter redūdare uideatur, tum uena aperienda est. Victū flatuosum ac utilem minimè offerre, cōsuetisq; uentrē emollire expedit. Si hæc nihil cōferant, clysteribus inter initia quidē mollibus, posterius uerò acriorib. utendum est. A` porcinis carnibus, & ab omnib. quæ uiscida et tardi transitus sunt, infrigiditantib. item et humectantibus eduliјs omnibus abstinendum est. Vinum tenue, album, & moderatè calidum, salsamentumq;, et sinapi ex usu sunt. Medicamētum item quod è tribus piperum generib. cōstat, aut diospoliticum diebus aliquot assumendū. Et si diebus singulis pipere sine additamento ex aqua utatur, rectè fecerit. Si ægrotās in summo morbi uigore sit, nutriendus fuerit q̄ tenuißimè: protinus uerò ut quiescat quàm diutißimè, præcipietur: uiscerib. ad hæc per mollificantia renitentiaq; consulendum. Deinde medicaminibus quæ urinam proritant, utendum: mox cōcoctionis notis apparentibus, magna cum fiducia ijs quis atros humores exhauriunt: nō semel modò, sed crebrius utere. Post uerò uehemētem purgationē, etiā pharmacum ex uiperis exhibendum est, et id genus alia, quæ aduersum eiusmodi febres approbātur. Inter-

quæ

quæ in solenni usu habemus præ cæteris laudatißimum, quod è liquore Cyrenaico constat.

Quemadmodum quotidiana cognoscatur. Cap. 24.

QVotidiana nunquam cum rigore, primo statim die inuadit, sed progressu temporis algor potius quàm rigor infestat. Cum difficultate calor in ea accenditur, et diuturnum habet augmentum: uerùm tamen non comburit laborantes, neq; ad multam ac crebram respirationem cum angustia quadam compellit, neq; efflare aut gelidam bibere cogit. Accidunt autem uomitus pituitosi, & quæcunq; per aluum euacuantur, frigidiora, crudiora, & aquosiora in his febribus reperiuntur. Sudores circa primos dies minimè erumpunt, neq; ad infebricitationem desinunt, color cum pallore albicat, urinas emittunt tenues & albas, uel crassas, turbidas atq; rufas.

Curatio quotidianæ. Cap. 25.

QVotidianam curantes, oxymelite primis statim diebus utimur, & ijs quæ lotiū egregiè proritant: uniuersa ad hæc uictus rationis forma incidendi facultate sit prædita. Circa summum uerò morbi uigorem prouidendum est uentriculo, præcipuè ipsius hostiolo: deinde ægris, ut radiculis, cibarijsq; sumptis, euomant, præcipiendum. His item quæ pituitam subducunt, tantisper dum febris cessauerit, utendum.

De febre Hepialo, & rigore qui difficulter incalescit. Cap. 26.

QVum pituita uitrea, omnium aliarum frigidißima, cruda, necdum putrefactā uniuerso redundauerit corpore, tantum nō inexpugnabiles ullo calore, cum tremore algores sine febre excitat. Nam in febrib. quæ ex humorib. accenduntur, putrefactio maximè febrilem calorē suscitat. Quod si tota hæc pituita cōputruerit, quod tamē propter immēsam frigiditatē rarenter cōtingit, quotidianæ febris causa fit. Si uerò nō tota æqualiter, sed ex dimidio, aut aliquæ partes putruerint, aliquot putredinem non sentientibus, hepialum febrem hanc efficit, in qua rigescunt simul, & febricitant. Partes quippe humoris

moris eius quæ nondum putruerunt, per uniuersas corporis uenas, aut reliquam corporis molem sparsæ, rigores excitãt, sed putredinem expertæ febrem accendunt. Sortita autem nomen est hepialos, uel trãslatione à sale, dico autem mari, quod hepiõ quidem, id est, tranquillum uidetur, ab initio autem turbulentum fuerat, mutuata: uel ab ἠπίως, quod est leniter, et ἀλεαίνειν, hoc est excalfacere, ac si dicas, quoniam teporem tantum inducit. Et hæc febris de quotidianarum genere existens, ueluti à pituita ordiens, illarum curationi speciatim subijcitur: nisi quòd tanto cõmemorata quotidiana calidioribus, magisq; incidentibus indiget præsidijs, quanto & pituita frigiditate illam excedit. Cæterùm in hepialo rigor calore inexpugnabilis fermè, adhuc multo uehementioribus calorificis opus habet. Quocirca quod è tribus concinnatur piperibus medicamentum, & diacalaminthe, item quod succum Cyrenaicum recipit, his accommodatum est. Iam uerò & quæ ex castoreo, & id genus alijs præparantur auxilia, competunt. Prolixiorem autem horum curationem comperies capite quadragesimo sexto, quod de febrium rigoribus immodicis et frigoribus est. Lypyriæ insuper, ac Tiphodes, & quæcunq; aliæ præter memoratas dicuntur febres, cum sint ex relatarum grege, dictas in illis, dicendasq; remediorum suppetias expetunt.

De continuis febribus. Cap. 27.

FEbres continuæ intermittentibus singulis congeneres sunt, tertianæ quidem exquisitæ, ardens: quotidianæ uerò, ea quæ singulis diebus accessionem habet, neq; ad integram febris quietem desinit. Pari etiam modo quartanæ, quæ quarto quoq; die ingruit: quandoquidem exactus causos omnia tertianæ exquisitæ alia indicia seruans, non alio discrimine ab eadem dirimitur, q̃ quod neq; cum rigore accedit, neq; ad infebricitationem peruenit. Qui uerò singulis diebus accessionem facit causos, omnes similiter absolutæ quotidianæ febris notas obtinet. Sed quod cum integra febris quiete non cessat, à

cognata quotidiana diſsidet. Eadem ratione & quæ quarto quoq; die accedit, nec tamen ad integritatem finit, quartanæ finitima eſt. Continua igitur febris eſt, quæ non antè quàm ex toto fuerit ſoluta, deſinit ad infebricitationem. Cæterùm quæ nullam remiſsionis notam præ ſe fert, confinis hæc ardentibus eſt, à quibus ſola acrimonia diſcernitur.

Agnitio & curatio continentium febrium. Cap. 28.

CONtinentes febres ex ſanguine oriuntur, nunc quidem ex feruefacto duntaxat, nunc uerò ex putrefacto etiam propter obſtructionem: quapropter acceſsio ipſis ab initio ad finem uſq; una eſt. Notæ uerò ſunt, pulſus maximi, uehementes, ueloces, frequentes, æquales, minimè mordaces. Lotia nō multum à naturalibus urinis deficiunt. Curatio eſt, ſanguinis uſq; ad animi deliquium detractio. Quicunq; enim in hac febre cōſtituti, uenam ſecare ſuperſederint, in ſummum uitæ diſcrimen perueniunt. Quòd ſi euacuationem quæ inciſione uenarum fit, res prohibeat aliqua, alijs certandum eſt præſidijs, quæ meatus recludunt, multitudinem materiei euacuant, feruoremq; febrilem placant. Si quando autem in talibus concoctionis humorum indicia conſpexeris, neq; in principe aliqua corporis parte phlegmone quædam, aut tumor œdematis ſpeciem præferens, aut ſcyrrhus fuerit, neq; aliqua particula adeò gelida, ut in hanc nocumentum incidat, magna cum fiducia frigidā exhibeto, præſertim ſi gelibibulus ægrotās fuerit.

Æſtuantium febrium agnitio. Cap. 29.

CAuſos, id eſt, ardentes febres hæc comitantur ſymptomata: lingua arida, ſcabra & nigra, roſio uentris, alui excrementa pallida, ſitis uehemens, uigiliæ, quandoq; etiam deſipientia.

Æſtuantium curatio. Cap. 30.

AD perfectam huius mali ſolutionem, alterum fieri neceſſarium eſt: aut billioſos humores excerni, aut extingui. Excernuntur itaq; per ſudores, aut uomitus, aut uentrem inferiorem.

rem. Extinguuntur autem frigidæ potu, quo nos semper ardentes febres curauimus. Nutriendi autem sunt hac febre correpti, nō aqua dūtaxat, neq; mulsa solum, sed diluta mulsa cocto propinata. Oportet enim eos q his morbis cruciātur, solis potionib. enutrire. Lauacrum uerò his tantūmodo expedit, q nullo tumore inflāmatorio, aut erysipelatoso infestātur. Quòd si cōcoctionis etiā notæ compareāt, multo magis ex re atq; usu fuerit. Qui uerò ex salso humore, ardēti febre conflictātur, eis aliena sunt balnea. Hi & ptisanæ cremore sustinendi sunt.

Febrium ex erysipelate medela atq; cognitio. Cap. 31.

FEbres quæ ex erysipelatoso uiscerum affectu originem trahunt, tum ex interno feruore immodico, doloreq; uehementi, tum ex siti & æstu immoderato, & ut summatim perstringam, acerrimæ bilis notis, cum exiguo sanguine putrescentis, agnoscuntur. Medendum uerò ad hunc modum. abstinere à balneo oportet penitus, aqua gelida uigente morbo horrorifica, quod est frigidissima, utendum, inter morbi uerò initia minimè. Extrinsecus frigorifica applicentur: quæ si nihil contulerint, intra corpus sumere cogentur. Præcipuè uerò expediunt lactucæ, & quæ his compari potestate respondent. Foris ipse quoq; lactucæ succus idoneus est. Quin & semperuiui, & quæcunq; alia frigorificæ sunt potētiæ. Sed preciosissimo magna ex parte utimur: liquorem enim infrigidantis alicuius expressum, pilæ cum portulaca inÿcimus, deinde contusum exprimimus. In usu uerò momento polentæ admixto, & in aqua frigida merso, refrigeramus. Linteolū præterea duplicatum in eo iure rigatum à foris hypochondrÿs superintēdimus, non sinentes perēnare diutius, sed aliud frigidius imponentes. Confundimus uerò nonnunquam & oleum omphacinum.

De agnitione febrium hecticarum. Cap. 32.

HEctica febris non in humoribus modò ac spiritu, sed in solidis etiam partibus consistit, dolorisq; expers existit: qua occupati, nequaquam se febricitare autumāt: neq; enim ardo-

rem sentiunt, omnibus ad unum corporis partib. iuxtà nō admodum calentibus. Duplex uerò hecticarum febrium species est. aliæ quidem ardentibus febribus ut plurimum superueniunt, quæ tantum prorogantur, ut longitudine temporis madorem qui in cordis corpore existit, consumant, uel plurima ipsius parte seruata adhuc permanente. Quæ uerò persistente adhuc humiditate generantur, ubi corpus cordis occupauerint, hinc maximè accenduntur. Iam una quidem hecticarum febrium dicta est originatio. Reliqua est, quum à principio statim inuadunt, primā originem febrib. diarijs minimè dißimilem, ex tristitia, ira, laßitudine maiore, unà cum æstu solis fortitæ. His quippe non est arduum mederi: atqui si in marcorem, quem marasmum nuncupant, hecticæ perueniant, nullo medicamento uincuntur. Hæc sanè febris hectica coincidens marasmo, prōptißima est cognitu. Oculi nanq; perq̄ immensam cōcauitatem præferunt, & hærent lemæ in circumferentia siccæ, & squalida quædam elucet dispositio. Vitalis flos coloris ipsorum emarcuit, frōs arida est, atq; intenta: hac detenti, dormiturientium more identidē cōniuent. Nec est affecto somnus, sed uigilandi impotentia: tempora collapsa sunt, et quid aliud q̄ ossa & cutem præferunt: adeò ut si nudato corpore in partes ad uentrem attinentes oculos intendas, neq; ex intestinis, neque ex uiscerib. aliquod superesse censueris: præcordiaq; uehementer sursum cōuelluntur. Cutis summè resiccata est: pulsus tenuis, frequens & durus. Calor autem, cum primùm manus inijcitur, obscurus est: paulo uerò pòst, asperitatem & rosionem exhibet. Quandiu igitur humiditatis quippiam superest, hectica modò febris appellatur. Cum uerò piculum est, ne tantillum humoris supersit, exquisitus iam marasmus cōstituitur.

Hecticarum febrium curatio. Cap. 33.

HEctica febre correptos inter initia statim, propter mordacem humorem, ali oportet. Saluberrimum uerò his præsidium, humectans ratio uictus, est. Cōgruit itaq; in primis cùm ptisanæ

ptisanæ cremoris, tum alicæ sorbitionibus, et pane postea oblato, moderatoq; frigidæ potu languentem mederi: si neq; phlegmone, neq; humorum ulla putrefactio complicatur. At si plurimum inde periculi fore conieceris, frigida abstinere conuenit. Foris uerò epithematis frigorificis utendum. Et balnea in hac affectione constitutis, quouis tempore conducunt.

De semitertianis. Cap. 34.

QVoniam tertiana cum rigore, quotidiana uerò citra illum ingruit, ex ambarum mixtura constans, horrorem inducit, qui tanto mitior quidem est rigore, quanto uehementior est perfrictiōe. Cum igitur horror ex utriusq; extremis simul contemperatis constet, haud ab re semitertianæ nomen huiusmodi febri est inditum. Modus autem generationis duplex est. uel enim duabus exacerbationib. simul cōgredientibus, aut inter initia statim utrisq; inuicem contemperatis efficitur. Quum igitur tertiana superat, horridior febris inuadit, & per accessionem aliquid rigoris assumit: statim uerò et calidior est eiusmodi febris, & ardentior, atq; bilis quendam uomitum, aut aluum, aut madidi uaporis exhalationē adfert. Sed cum altera pituitosa præcelluerit, frigus extremitatum præpollet, horroresq; pauci exercent: neq; sitis premit, neq; ardor affligit. Cū uerò æquales magnitudine tertiana intermittens, & quotidiana cōtinua existunt, insultus accessionis cum horrore fit. Vbi uerò quæ ex pituita est, præualuerit, pulsuum cōtractiones atque horrores accidunt. At si calidior prædominetur, protinus incalescunt uehementer. Talis quidem exquisita semitertiana est, ex æquè pollente duarum febrium temperatura, tertiana uidelicet intermittente, & quotidiana cōtinente proficiscens. Sed quæ exquisita nō est, aut bilē, aut pituitam exuperantem possidet, quæ sanè facilius medelis eliditur. Promptius quippe paucus humor, copiosioris excellentia artisq; præsidio uincitur. Si pituita præpotētior fuerit, remedijs q̄ in quotidiana recēsuimus, potissimum utemur. Sin flaua bilis præualuerit, ur-

genti neceßitati in totũ incumbẽtes, ijs quorũ in tertiana mentionẽ fecimus. Sed ita, ne alterius curam prorsus abijciamus.

De passim uagantibus morbis. Cap. 35.

Morbos publicè in plurimos grassantes, populares, et communes appellitant. Quorum quemadmodũ origo, ita & causa communis est. Cõmunis itaq; alimentorũ prauitas istiusmodi ægritudines generat, publicus itẽ aquæ uitiosæ potus, labores uel nimiũ immoderati, uel præter consuetudinẽ omißi, fames ob penuriam, & satietas quæ ingentẽ annonæ prouentum succedit, & regionum naturæ, communes morbos sæpenumero intulerunt, quæ interdũ paludem uicinã, interdũ uerò barathrum finitimum habentes, lætalẽ uaporem & perniciosum expirãt. Hæc igitur frequenter euenire solent. Cæterùm circunfusus nobis aer, tẽperaturas corporũ euertit, plus æquo uel calidior, uel frigidior, aut humidior redditus. Cæteris nãq; causis nõ pariter omnes obijcimur, neq; uniuerso die in ijs uersamur: sed quia nos continens aer, omnibus circumfusus est, & per respirationẽ attrahitur, necessariò pro temperamenti immutationibus animantiũ corpora simul afficit. Qui igitur hæc cognouerit, non solũ morbos ex quacunq; aeris dispositione futuros præcognoscet, uerùm etiam ne fiat prohibebit, contrariam distemperatis circumflui aeris dispositionibus uictus rationem constituẽs. Quæ igitur ob suam intemperaturã morbis uicina sunt corpora, hæc à simili circũdãtis nos aeris temperamento arguuntur. Sed quæ cõtrarij quàm cœlum temperamenti sunt, præter hoc quod nihil læduntur, adhuc meliora euadunt, ametriam temperamenti cœli contraria ametria castigante. Quisquis hæc percalluerit, optimus incolumitatis custos habebitur, corporibus contraria semper accommodãs: nonnunquam refrigerando uidelicet: interdum, si ita oportuerit, calfaciendo. Aquæ inductionibus aut superfusione refrigerans, ocio item & ciborũ abstinentia, prolixioreq; potu: calfaciens uerò amictu ac tegmine. Exercitationibus item & cibo abundan-

abundantiore, quandoq; etiam tenuiore. Porrò si quispiam ingentem lignorum struem accenderit, egregiè quidẽ udum aera in calidum & siccum poterit conuertere, quemadmodum & Acronem Acragantinum fecisse perhibent.

De peste, ex monumentis Ruphi. Cap. 36.

FEbrem pestilentialem uastissima quæq; urgẽt, nihilq; in ea, quemadmodũ in alio quouis morbo, latet. Accidũt enim deliria, bilis uomitiones, præcordiorũ intensiones, labores, exuberãtes sudores, extremarũ partiũ perfrictiones, fluores alui biliosi, tenues, flatuosi: urinæ aquosæ, tenues, biliosæ, nigræ, sedimentis prauis, suspensionibus deprauatissimis: stillicidia narium, ardores pectoris, linguæ combustæ, sitibundæ, anxij mœrores, uigiliæ, cõuulsiones uiolentæ, et alia praua compluria. Quod si quis uenturam pestilentiã præuiderit, contemplando perniciosa anni tẽpora, et studia quæ secundæ ualetudini non conducunt, & brutorũ quæ antea perierũt obseruatione. Quibus in animo cõsideratis, et illud perpẽdito, cuiusmodi sit præsentis temporis status, simul & uniuersi etiam anni, è quib. sanè optimè licebit uniuersam uictus rationẽ odorari. Verbigratia, si tẽpus anni quod pro suo naturali statu oportebat esse siccum, humidius est redditum, necessum fuerit ratione uictus, ad siccitatẽ cõuertere, quo exuperãs humiditas exiccata cõsumetur. Cura etiã adhibenda est uẽtri, si in superiori uẽtriculo pituita sit, uomitionibus euacuato: quibus sanguis exuperat, uena secta sanguinẽ detrahito. Confert & per urinas ductio, & quæcunq; aliæ ex toto corpore purgationes. Quòd si febre ardente ferueat lãguidus, flãmaq; thoracẽ obsederit, haud alienum fuerit refrigerantia pectori admouere, atq; gelidam potionem nõ paulatim offerre (incendit enim uehemẽtius) sed cõfertim, ut flãma obruta extinguatur. Si æstuẽt ardore interius, extimæ uerò partes, cutisq; superficies frigescãt, præcordia cõtendãtur, uenter colliquamenta aliàs per superna, aliàs ꝑ inferna eijciat, uigiliæ infestãt, deliria itẽ, & linguæ scabri

cies, his calorificis opus est, quo caliditas per totum corpus diffundatur, & si qua alia ratione calor è profundo ad corporis superficiē reduci poterit. Vtendū præterea propinatione, quæ aloes partibus duabus, ammoniaci thymiamatis partibus totidem, myrrhæ parte una, constat: hæc simul in uino fragranti læuigata, dimidio quotidie cyatho propinantur. Haud scio, inquit Ruphus, an quispiam hac potione usus, pestē non euaserit. Hactenus quidem Ruphus. Galenus uerò tradit, cōtra pestilentes putredines rubricā armeniacam potu sumptam, excellentißimum esse remedium. Pari etiam modo ex uiperis theriacam magnū. Graßāte quippe Romæ pestilentia, quibuscunq;, inquit, horum alterū non profuit, ad unum omnes perierunt.

De his qui ob crudorum humorum multitudinem in syncopem delabuntur. Cap. 37.

IN nonnullis febres ob ingentem crudorū humorū collectionem, ore uentriculi simul offenso, accenduntur. Intumescunt his præcordia, & in grauiorem q̄ secundum naturam sit molem, uentris osculum augetur. Color quidem ad albidius, & aqueum magis, quibusdam uerò in nigrius mutatur. Nemini horum sanguis absq; summo dispēdio detrahitur. Inanitione quidem indigent, sed neq; sanguinis mißionem, neq; expurgationem sustinent. Vtpote qui etiā sine his syncope subitò periclitantur. Succurrendū est igitur talibus cum frictione. Auspicandum autē confestim à morbi exordio. Principio quidem à summa crurū parte deorsum, cum linteis modicè asperis, deinde et tota brachia à supremis ad infimas usq; partes fricanda sunt. Vbi uerò artus satis calere uidentur, et laßitudinis sensum metuimus, oleo relaxante utendum, ab adstringentib. cauendum. Hyberno tempore etiā aliquo quod per halitū digerat, uti expedit: cuius generis est sicyonium atq; chamæmelinum. Confricatis uerò iam eximiè membris, oleoq; insuper derterso, ad spinam inde dorsi totū te conferas, et hanc pari modo cōfricato. Post hæc rursus ad crura, inde denuò ad brachia, mox ad scapulas,

pulas, tergiq; spinam remeandum, idem tota die repetendum. Aqua mulsa in qua hyssopus ebullierit, his est commodißima. Porrò neq; alimentū, neq; sorbillamentū, neq; aquam propinabis: neq; omnino liberalius bibēdi potestas permittenda. Verùm abundè est mulsam solū, per primum triduum præbuisse, ordine quemadmodū tradidimus perfricando. Si autem firmitudinem mediocrē adhuc ægrotās pulsu moderato præferat, & aluus sua spōte nequiter respondeat, clysterem confidenter per aluum infundito. Si uerò maior quàm conueniat retrimentorum ad imum uentrē impetus fiat, principio quidē amplius mulsam decoquito, quoniā sic minus subducet. Si autē largius quàm par sit aluus deijciat, sistenda quidem nō est, sed exhibendus mulsæ loco ptisanæ cremor est. Quod si pergat fluxus, alicæ sorbitione alito. Si uerò per imbecillitatem pulsus etiam collapsam uirtutem deprehendimus, panem ex uino diluto offerre expedit, si neq; uenter, neq; iecur phlegmone infestetur: qua si laborarint, corpore crudis humoribus referto, deploratus erit ægrotans. Vbi uerò craßiores omnino humores adesse conieceris, oxymeli pro aqua mulsa aßiduè propinabitur. Si tempestas fuerit æstiua, & calidus gelidæq; potator lāguidus, huic oxymeli frigidum misceto, hyeme uerò calidum. Infestißimæ sic affectis sunt balneæ. Ad eos autem quos iam syncope opprebit accersitus, partibus, de quibus modò mētionem fecimus, non inflammatis, panis buccellam ex uino præbeto. Illicoq; inde ad frictionem accedendum, modoq; iam tradito utendum. Quibus uerò ob flauam bilem ore uentriculi affecto, syncope accidit, his gelidum assumere potum, uinumq; tenue, colore uermiculo, atq; uetustum, alienum non est.

De his qui præ tenuibus succis syncope periclitantur. Cap. 38.

QVi humorum tenuitate exoluuntur, superiorum contrarijs omnino præsidijs medendi sunt. Enimuero signa quibus discernuntur, illorum deprehendes contraria. Alendi igitur sunt paulatim iugiter. Illos autem nullo remedio curari posse ducito,

ducito, quorum uirtute iam languente, hepar aut uentriculus inflammatione laborat. In eiusmodi affectionibus, breui cadauerosa in uultu constitutio apparet. Tum quidem nutriendus est æger necessariò. Extimaq; cutis perinde densanda, atq; priora rarefacienda, cubiculiq; aër refrigerandus. Adstringentes præterea inunctione illinendæ sunt. Alimentis quæ non tam promptè diffluunt, utendum. Exhibendus itaque panis, & ex chondro sorbitiones, & fugaces fructus, austeri, & corruptioni resistentes, non tam ipsi per se, quàm cum ipso etiam pane. Vinum item aquosum statim inter initia à cibo sumptum, ijs accommmodatißimum est.

De aliis occasionibus e quibus contingunt syncopæ. Cap. 39.

SVnt porrò aliæ occasiones quibus syncopæ succedunt, quatuor: dolor uehemens, uigiliæ, uacuatio immoderata, & in his qui in sermone errant interdum commotio. Quintam, si uidetur, distemperaturam uidelicet principiorum, adijce. Celerrima itaque internecio, corde, mox cerebro, neq; ita multo pòst etiam iocinore affecto, accidit.

De dolore. Cap. 40.

REdditur itaq; dolor è gelido affectu stupidus. Pulsatorius uerò, immani phlegmonæ peculiaris est. Si uerò tanquam palo infixo, aut ueluti à terebro perforari locus uideatur, crassi intestini doloris species est. Punctuosus, circa mēbranas consistit. Cū impetu uerò discurrens dolor, in uehementißimis non solum hemicraneis, sed & cephalæis accidit. Est aūt impetuose discurrens dolor, cum tanquā à radice primitus affectæ particulæ ordiens, curriculò ad uicinas defertur. Distendētes aūt utrinq; neruorū dolores sunt, quum & laborant, et ad utrasq; extremitatū fines tenduntur. Minimè uerò afficiuntur nerui, in latitudinē distracti. Extensorios porrò et stupidos dolores, infert mēbrana sub cute distēta: quæ uerò inter carnē existit, ueluti dilaniantē dolorē. plures nāq; sunt, quæ inæqualiter inhære-

hæreſcunt, & carnem ipſam amplectuntur. Oßium uerò membranas obſidẽtes cruciatus, in profundo deliteſcunt, ipſorumq; oßium ueluti dolentium opinionem inducunt. Quando igitur nulla foris occaſio doloris oſtenditur, præcedentem uictus rationem conſidera, num inſolenti ocio emarcuerit: aut cibis largioribus, maximæq; in nutriendo poteſtatis, uſus fuerit homo: aut ſolita excretio remoretur. Nam ſi quid horum, aut omnia appareant, repletio doloris cauſa eſt, & proinde homo extemplò inaniendus. Ita namq; licebit remedijs, quæ fluxus dolentium partium repellant, ſumma cum ſecuritate uti. Sanguinis igitur copia adeò ut diſtendat, peccãte, uena ſine mora, maior, affectam propè particulam, ſecanda eſt. Si uerò deprauati duntaxat humores affligunt, expurgandi ſunt. Coëuntibus autem utriſq;, utraque euacuatione, ſanguinẽ prius detrahentes, utemur. Quòd ſi his peractis, dolor perſiſtat, conſtabit, mẽbro affecto noxium humorẽ impactum eſſe. Liquet etiam, curationem cum his quæ per halitum digerunt, eſſe molliendam. Pari curandi ratione ex flatulẽto ſpiritu prognato dolori medemur, in ipſo opitulantes potius attenuantibus edulijs. Infuſis item per anum, & cataplaſmatis, adſperginibus, fomentisq;, ambiens ipſum corpus rarefacientes. Quòd ſi tumor grauans aut contundens dolorem cauſauerit, tumori ſucurrendum eſt. ſin permordax humor cruciatum excitet, aduerſißima huic ſunt, quæ attenuandi & excalfaciendi uim obtinent. Anethum oleo elixum, & dolorem ſedat, & ſomnum conciliat: & uiride efficacius, quàm aridum.

De colliquatione. Cap. 41.

CVm per aluum quippiam excernitur, quod neq; ex alimentis, neq; ex his quæ bibita ſunt, ſed ex humoribus è corpore in aluũ defluentibus, procedit, aßimile quidẽ flauæ bili, quæ tũ per uomitũ, tũ per alui ſeceſſus iugiter reijcitur. Dißidẽs tamẽ ab ea, quòd grauiter olet, et quòd ruffius ſit excrementũ, et craßitudine ſtrigmẽtitia uiſcidũ, nõnunquam & oleagineum,

tum

tum pinguior et recentior caro, à febre urente resoluitur atq; liquescit. Si malum in uetustatē incidit, nonnihil etiam solidarum partiū tabescit. In hac difficillima febre, exhibenda gelidæ potio est, ex fonte frigidißimo. Eiusdem etiam qualitatis esse oportet cataplasmata, & epithemata, thoraci atq; præcordijs applicata. Esculēta adhæc frigorifica exhibēda sunt.

De uigilia quæ febricitantes infestat. Cap. 42.

SI uigiliæ excesserint, crura manusq; uincire, hora maximè somno capessendo consueta præcipimus, et excitari. Cogimusq; interdū genas aperire, uel cōniuere, donec abundè defatigentur. Extemplò inde uinculis solutis, lucernaq; sublata, silentiū altum mandamus. Grauius autem persistente uigilia, facies calycū atri papaueris decocto in accessionis declinatione lauanda est. Odoramentum præstat, papaueris candidi calyx torrefactus atq; friatus, & mandragoræ radicis tritæ tantundem cum uino. Ex rosaceo quoq; malagmate concinnato, frontem oblinito, & serpyllo cum meliloto in passo elixato. Quo quidem & in accessionibus utendū: aut læuigatis papauerū capitibus pane exceptis, cum rosaceo aut cerato applicamus. Nutricatus itē accuratior quodāmodo, ac magis exquisitus probatur. Adijciatur aūt sorbitionibus capitum nitidi papaueris, quantum capiūt cochlearea tria: sed holeribus cōmisceatur papaueris nigri, si folia quidē fuerint uiridia, quantum tribus digitis cōprehendi potest: sin minus, tum tria aut quatuor papaueris capita arida simul elixa seligātur. Si ne sic quidē profecerimus, lachryma papaueris aut mādragoræ succo obliniātur. Ex papauerū calyculis cōfectū eclegma, præcipuè ex defruto epotū mēsura cochlearij unius aut dimidiati, potū, somnū sæpe numero illexit. Si caput alicuius destillationibus obnoxiū non sit, huiusmodi utendū in febris remißiōe suffitu. Accipe folij amomi, costi, arnabo, singulorū unciā, carpobalsami librā, styracis, amomi, ammoniaci, bdellij Scythici, mandragoræ radicis, lachrymæ papaueris, suffitū sup lignis cupreßinis facito.

Cata-

Cataphoræ, id est, improbi soporis curatio. Cap. 43.

ABstergenda est facies posca, modicè lactis instar tepida. Extremæ corporis partes ualidè ligamētis cōprimendæ. Narib. odoramēta quæ dissecādi uim habeāt, adhibēda. In remißionib. cucurbitulæ scapulis atq; spinæ strenuè adglutinentur. Morbo perseuerāte, sternutamēta in acceßionū remißiōe, admoueantur. Alimentorū materia, incidēdi ac diducendi facultate sit prædita. Ceu libro de tuēda ualetudine exposuimus.

Curatio doloris capitis in febribus. Cap. 44.

SI caput febris ratione dolet, post conuenientē febrium euacuationē, in acceßionū remißionibus obliniatur. Principiò cōmuni oleo, è nondū maturis oliuis expresso, aut rosaceo cum momento aceti tēperato: in æstate quidē, & febri ardente, frigido; hyeme uerò, & febre non æstuante, calido aut tepido. In oleo nonnunquam tum serpylli, tum polygonij succus elixetur. In æstate etiam papaueris capita, aut papauer ipsum, quēadmodum hyeme peucedani moderata portio. Perseuerāte uerò dolore in frōte nudo pilis sincipite, cataplasma huic ex ueteri polenta et poligano, aut ex pane pariter et rosis, aut exigua myrto, siue serpyllo, inducendum. Nōnullos pulegium magis, emplastri modo adhibitū leuauit: neq; desunt quibus igneo etiam sensu existente, psyllium cum polenta temperatum auxilio fuit. aut ipsum per se elixatione in uiscum redactum, & identidem mutatum. Facit idem coriandrum polentæ permixtum. Aloē præterea cum aceto illinitur. Myrrha item et ammoniacum, pari modo & crocomagma. Pulsatiles autem dolores, ruta & mentha cum pane, rosaceoq; adiecto discutiunt. Quòd si cōmemoratis remedijs dolor manum non dederit, primùm quidem caput ad cutem usq; attondendum est, deinde pinguioribus embrochis totum inspergendum: post hæc cucurbitulæ occipiti imponendæ, partes insuper extremæ ligandæ, et manibus palpandæ. Prosunt præterea hirudines affixæ. Si quis ad destillationē aut grauedinem capitis dolorē refert, ijs

quæ

quæ suo loco describitur, succurrẽdum est præsidijs. Si à regionibus oris uetriculi, uapores sublati caput afficiunt, his etiam quemadmodum subordinauimus, prospiciendum.

Quæ stomacho adhibenda sit curatio. Cap. 45.

IMbecilli stomacho, cataplasmatis roborandi uirtute præditis cõsulendum, qualia ex palmulis, uino, polenta, croco, masticha, et aloë componuntur. Oleris item ex absinthio, melino, mastichino, nardino, uino irrigare conuenit. Si plus satis incalescat, refrigerantium quiddam admisceatur: uerbi gratia, succus cucurbitæ, lactucæ, portulacæ, solani, sereos, labruscæ. Quòd si inflammatio in uisceribus appareat, relaxandi facultatem habentia adijciantur: aspersionibus nempe, oleum chamæmelinum, cyprinum, adipem gallinæ aut anseris, & bdellium, uel ammoniacum, et consimilia. Cataplasmatis uerò seminis aliquid, apij, fœnogræci, floris altheæ, & chamæmelorum. atq; ut summatim eloquar, compositam habeant potentiam, relaxantem tenuium partium, amaramq; & stypticam.

De immoderatis febrium frigoribus & rigoribus. Cap. 46.

ALgoribus cum tremore qui diebus decretorijs acciderũt, neq; occurrere, neq; naturæ certamen dirimere cõuenit. Et frigus quod ex sudore cõtrahitur, promptè remittitur, neq; quicquam infert molestiæ. In solo autem rigore, uel frigefactione, quæ ex gelidiore atq; copiosa maximè pituita accidit, principiò quidem membra multis modis constringenda sunt: deinde oleo chamæmelino, aut cyprino, aut irino inungenda. Quòd si uehemẽtiore opus sit præsidio, piperis aliquid oleo cõfundito, aut cãchryos, aut adarcæ, aut castorei, aut frictione molli uniuersum corpus demulceto. Ne autem procliuius oleosum illud auxilium defluat, haud absurdum fuerit & ceræ pauxillum colliquefacere. Si uerò algor cum tremore, nullo calore uinci poßit, adhuc etiam efficacioribus ex his factis acopis, atq; dropacibus & sinapismis utendum est: aliæq; fomentationes affabrè

brè machinatæ, admolliendæ: & acutiora odoramẽtis perido nea, nepeta, pulegium, hyssopum. Propinanda ante accessionem mulsa, in qua elixa sint piper & ruta. Adhæc præterea succum cyrenaicum quantitate milij melli decocto formatum, duabus horis ante paroxysmũ exhibebimus. Pari etiam modo liquorem silphij, item quod in quartanis cum succo cyrenaico temperatur, multis manus præstitit. Iam uerò in oleũ largius percalidum descendentes aliqui, contumacissimos rigores abegerunt, quemadmodum tradit Archigenes. Cæterũ Galenus ante initium accessionis, cutem abrotono, aut nepeta sicca, aut cunilæ tum folijs tum floribus, aut costo, aut pyrethro, utroq; horum cum oleo, perfricãdam edocet: atq; ita uel omnino nunquam, uel certè minus rigore infestabuntur.

De sudoribus. Cap. 47.

SVdores decretorios excipere conuenit, usq; ad sufficientem euacuationẽ: adiuuare item fotu mediocri, et quiete. Cuius ergò non abstergendi: alius enim alium quoq; proritat. calido item clystere, sorbimẽto, & somno. Cæterùm in remissionibus sudores erumpentes simile iudicatorijs subeunt ministerium. Atqui de his quæ sudorem eliciunt præsidijs, in superiore uolumine, capite duodequinquagesimo satis est proditum. Vbi uerò sudores largius eruperint, absterge, & subleua ad refrigerandum operimenta. Nam si plus iusto promanauerint, adeò afficiunt, ut & animi defectionem sæpenumerò inducãt. Leui igitur stragula, udaq; operiantur: admittatur aër frigidior, somnus, & flabello uentulus. Myrtus nigra in farinam trita, corpori inspergatur, et galla cõsimiliter. Cortex piceæ, electrum præterea, et polenta, cum uino adstringente, membris sudores recipientibus imponantur, spongiaq; posca madefacta facies permadescat. Archigenes uerò calcẽ uiuã, et flocces uini cõbustas, tũ in his, tũ in nullo calore expugnabili rigore suscipit: ambo enim, inquit, igne fota exarescunt. Irrigare porrò media corporis loca præcipit succo plãtaginis, aut coriani, aut portulacæ

tulacæ

tulacæ, aut braßicæ, quò astricta sudores intus coherceat. Tempore uerò somni, creta cimolia in aqua dissoluta, dorso atque thoraci subdita eximiè prodest. Vniuersum præterea corpus rosaceo, aut melino, aut myrteo, aut lētiscino oleo, aut quæ ex illis concinnātur ceratis, delinendum est. Accōmodatiores his quippe sunt iniunctiones, quia abditos meatus obturant, & humoris transitū impediunt. Neq; quēquam fugere potest, quòd talibus alimentū aridius summopere conducit, & uina moderatè. Verùm à copiosis ingurgitationib. et præcipuè humidioribus, frequentib. itē clysteribus abstineāt. Quod si fieri potest, gestationibus indulgeāt in gelidiore aëris constitutione. Extremæq; his corporis partes quàm maximè infrigidētur. Qui cōpressu uerò, quasiq; per pelisum sudores fiūt (istiusmodi aut in dolorib. aut in cōuulsionibus eueniūt) deligatura et fotu extremorū, et refrigerio, reiiculis laneis accersito, leuiter curātur.

De tussi quæ febricitantes infestat. Cap. 48.

TVßi quæ in febribus accidit, maximè uerò cum rigore ingruentibus, occurrendum est. nam tußis intensione, febris declinās erigitur. Aduersus quod malū hypoglottia, id est, globuli qui sub lingua tenentur, ex melle cocto et coacto porrigenda sunt: linguæ uerò subiecta liquefiunt, & impedimēta facilis spiritus discutiunt. Tempus uerò exhibendi opportunum circa summos acceßionū uigores, & usq; ad imminētem acceßionis articulum, existit. Præbeto quoq; hydromeli excoctum. quibus autē de neruoso genere non timetur, his temporis progressu, cū fiducia & oxymeli propinato: si hoc displiceat, hyssopi decoctū, quod ipsis etiam cū tremore algorib. subuenit. Præterea castoreū, si febris non fuerit ardēs, hoc neruosoq; generi auxiliatur. Eclegmata adhæc è pineis cōfecta, et earundē nucleis, iride, semine lini, amygdalis amaris, et urticæ semine. Eiusmodi plurima ex parte alimentis quoq; simul adiicientur. adhæc resinam & terebinthinā in ouo exhibere, utile est. Foris uerò thoraci & partibus ad arteriam attinentibus lanam sulphure suffitam

suffitam imponito. Et pingue præterea, uel oleum rutaceum, aut irinũ, aut anethinum esto. Quin et deligatura ualida in longum exactè porrecta, tusses cohibet: dico aũt, per medias extremasq; particulas. Nec præter rationẽ fuerit, si utrouis herbæ pedicularis genere, uel syluestri uel satiuo commanducato cum mastiche, tußis profligãdæ gratia utare. Adhæc partes extremas cõfricare, demulcere, atq; ligare expedit: deinde rursum retrectationẽ soluere. Quòd si propter febris asperitatem tußis concitetur, utendũ anagargarismate ex aqua tepida: sed et frigida sæpenumerò iuuit. itẽ ex posca et palmularũ decocto, aut rosarum, aut dulcis radiculæ. Ad hæc uisceribus et cordi ipsi moderata refrigerandi facultate prædita inijciantur.

De sternutamentis. Cap. 49.

AFfligunt subinde quum febribus incidunt sternutamenta. nam caput implẽt, et uires arguunt: nõnullis sanguinẽ eliciunt, et alias id genus molestias inferunt. Occurrendũ igitur ipsis est. Cohibet autem irruentem sternutationẽ, narium, frontis, & oculorũ perfricatio, item oscitatio, palati accurata fricatio, eructuatio, contentio iliorum, capitis in altum eleuatio, conuersio in latus, mollis extremitatum cõtrectatio, musculorum maxillæ inunctio, calidi olei in aures infusio, ligaculum calidum mento subiectum. Fugere oportet repẽtinam è somno excitationem, fumum, puluerem, acutiora odoramenta, piperis, castorei, sinapis, & mentæ. Confert ad sternutationem malorum, et polentæ odor: obtundit enim sternutationũ eruptionem. Inanes etiam spongiæ marinæ. Cum autem irritus ad sternutandum impetus oboritur, neq; sternutamentum in uociferationem prorumpit, quies labij idonea est. Continua item acriorum odoramentorum experientia, & animi relaxatio.

De ciborum appetitus auersione. Cap. 50.

SI ob uitiosos succos stomachus quæ offeruntur respuit, exhibenda sunt tum esclenta, tum poculenta, quæ illiusmodi humores uel per uomitionem, uel per alui inferioris deiectionem

elidere, aut temperando emendare, comparata sunt. Quarum rerum sylua in superiore huius operis uolumine comprehensa est. Si propter uirium imbecillitatē cibum horreant, quoniam ex praua intēperie particularum, imbecilla quæuis facultas redditur, oportet distemperaturæ speciei cōtrarijs succurrere. Plurifariam igitur de escarum horrore sermonē libro tertio de stomachicis, faciemus. In febricitantibus autē, protinus inter initia odoramentis conabimur appetentiā restituere. Potißimum uerò polenta aqua madefacta, aut posca, uino copiosiore aqua diluto, aut quorundā fragrantiū aut adstringētium fructuum decocto. Illito porrò leni, mediocri item corporis totius frictione, blanda cōtractatione, collutioneq; uultus, et exigua aquæ sorbitione, appetitus reuocatur. Sed lancinatus immißione digitorum stomachus, cibi quodammodo fastidium in oblatæ alimoniæ desiderium conuertit: præsertim sublata sursum quadā biliosa aut acida materia. A primis affectionis diebus cataplasmatis quæ foris applicantur, stomachus fastidiosus ad cibū sollicitabitur: ex palmulis, malis cotoneis, œnāthe, absinthio, & aloë cōformatis. Amplius, alimenta adornentur compluria tum simplicia, tum frumentacea, & alterius materiæ uarietatem quandā sortita, quæ tamen non multum ab ijs quæ febricitantiū usui cōueniunt, discrepēt: inter quos fructus etiā fugaces numerentur, qui non facile acescūt, neq; nimium dulcescunt. Maturi uerò, non usq; ad satietatē tamen admittuntur, sed quantum duntaxat in alia edulia appetitum excitant. Adhibeantur autem ad reficiendū cibis familiares mansuetißimi, qui ægros obiurgare et solicitare poßint. Cæterū febribus solutis, perseuerante in refectionibus inappetentia, conuenient sisarum cum oxymelite coctū, & lactuca, & oliuæ sale conditæ, et capparis, & salsamentū, & bulbi, et quicquid stomacho conducere cognoueris, memoria repetitis illis ipsis dapibus, quibus sospites maximè usi sint. Deambulationes porrò & gestationes, uociferationes, & dropacismi, & frictiones, & exercitia

ercitia adhibeantur. Propinationes item succi absinthij, aut aloës. Aceti postremò scyllitici mystri mensura absorpta, bona fide & efficaciter operatur.

De pergrandi fame, quam Græci boulimon, nostri bouinam & uaccinam nominant. Cap. 51.

SI uerò in uehementem & intolerandã famem ex cibi fastidio incidant (dico autem illam insatiabilẽ famem, qua affecti cibum non sentiũt) hisce restituemus, tum alijs perodoratis, tum suillis carnibus assatis, tum etiã hœdinis: et ut summatim expediã, omnibus ingenẽ odoris suauitatẽ, nidorisq; fluxum emittẽtibus, præterita uidelicet febriũ sæuitia. Oportet præterea extremas corporis partes constringi, ipsosq; suscitare, maxillas pungendo, capillos item uel aures uellicando: recreatis, panem ex uino supra modum diluto, aut aliud quiddam, quod facile digeritur, exhibebimus.

De canina appetentia. Cap. 52.

QVanquam hoc symptoma febribus non adeò superueniat, sed nonnunquam post ipsas, ob eam tamen quam cum cibi fastidio contraxit cognationẽ, operæprecium fuerit de nimia quoq; & inexpugnabili eduliorũ appetentia sermonẽ texere. utrinq; enim naturæ modus exceditur. Quoniã igitur à pituita frequentius acida hæc affectio prouenit, erit ipsa incidentibus & abstergentibus oppugnanda: cuius farinæ cum primis esse creduntur dulcia, salsa, & quæ alioqui abstergẽt calorifica. Vinũ itaq; ipsis propinandum largius, impense calidum, cuiusmodi sunt colore uermiculo, uel rufo sine acerbitate: sed dulciora potius porrigenda, etiãsi nulla siti premantur. Oportet autẽ talibus ubi ad prandium peruenerint, primò quidem pinguia, atq; alia etiã omnia oleo copiosiore cõcinnata, omnis austeritatis astrictioris expertia offerre. Hæc quippe, etiamsi palàm contra causam non pugnent, extremũ tamen ad cibos impetum discutiunt. Horũ uerò penuria craßitudinem pituitæ quæ in stomacho hæret, cõminuit. Iam et alimẽta sale macera-

ta ministrāda sunt. Post hæc uina cōmemorata liberaliter pōtent. His lōgiori tēpore perpetratis, canina appetētia sedatur.

De siti. Cap. 53.

SItim admodum longam ex ariditate uel caliditate particularū, per quas humor ex ore in uentriculum defertur, nasci putabis. Et ariditatis quidem remedium somnus est: caliditatis uerò, uigilantia. Nonnuli autē è uino sitibundi, esculentorumq; caliditate redduntur, quibus præsidio habetur gelida potio. Vitiosas uerò potiones affectant, perinde atq; etiam cibos, qui præpollenti humoris malitiæ respondeant: unde aliquot tanta siti oppreßi sunt, ut inde etiā perierint. Noui qui cum dipsadas serpentes aliquando deuorassent, & qui uino sese ueteri ad temulentiam usq; inuitassent, & nauigātes qui aqua potabili in nauigio deficiente, maris aquā bibere non dubitātes, ad unum omnes mortem oppetierūt. Sed quæ in febribus nascitur sitis, placari potest irrigatione capitis ex gelidißimo oleo, aut rosaceo uniuersim torrētis modo cum strepitu in caput deturbata. Nigræ porrò lactucæ semē manducatū, optimè siti succurrit. Prodest consimiliter & quæ glycyrrhiza appellatur, et cucumeris semē in ore retentū. Exhibe præterea, quod sitim sedat, hoc catapotiū: cucumeris satiui drachmæ octo, tragacanthes drachmæ quatuor, dissolue tragacanthum ouorum crudorum recentium albore: et ubi dissolutū fuerit, tritumq;, semini cucumeris prius friato adiūge: quibus subactis, globulos cōformato, deinde in umbra siccato, è quibus unū sub lingua sitibundus contineat, atq; inibi dissolutum humidum deglutiat. Postremò dilutum malorū cydoniorū, uel pirorū, uel mespilorū, uel clauicularum uitis, sorbendum præbetur, aut mali punici succus.

De linguæ scabritie. Cap. 54.

SI lingua salebrosa scabrescit, humectetur, lini seminis decocto laborantibus in ore continendum porrecto. Efficacius autem operatur, si myxa cum semine lini decocta, digitoq; in eo iure infecto, lingua confricata, aqua limpida abluatur, aut

spongia

ſpongia abſtergatur, deinde roſaceo illiniatur. Verùm roſaceũ ipſum melle temperatũ id efficacius præſtat. Succus item portulacæ ore detentus. Et rhus qui in obſonijs uſum habet, mulſæ tẽperatus, probè ſuccurrit. Item Damaſcena, & myſchlion, hoc eſt, myxæ oſſa ore retenta, et linguæ circũuoluta. Facit idem lactucæ cauliculus. Archigenes autem docuit et ſal Indicum, quod colore quidem & ſubſtantia nihil à communi diſsidet, ſapore uerò mellitum eſt, lentis inſtar, uel ad ſummum fabæ quantitate comeſtum, affatim humectare. In latus inſuper decumbant, quoniam ſupina cubatio exiccat. Nec ſint ore hiante. Hiatus enim exuccũ reddit. Sternutationes deniq; accerſitæ, linguas quouis alio largius humectant.

De nauſea. Cap. 55.

QVando citra aſſumptionem cibi ægrotantem irritus ad uomitum conatus torquet, coniectari cuiuis, puto, licebit, prauos humores uentriculũ afficere. Quidã lancinantur quidem, ſed euomunt nihil, humore in uẽtriculi tunicis imbibito. Si itaq; humores pituitoſi exiſtunt, coquendi ſunt, ſeruando hominem in quiete, inedia, & ſomno. Cæterũ tenuiores, uomitus eijcit, nonunquã ptiſanæ cremore excitatus, aut mulſa. Glutinoſi uerò & craßi humores tenuibus, attenuãdiq; uirtutem habentibus, indigent, cuius generis eſt oxymeli, & ſimilia. Humiditate uerò praua tunicis imbibita, picra ex aloë, accõmodata eſt. Adſtringẽtia uerò impendiò nocẽt. Quemadmodũ rurſus, humoris ingenti copia citra malitiã occupãte, cõſtipantia primã utilitatis habẽt æſtimationẽ. Atqui medicamentũ ex aloẽ, maraſmũ inducit. Quòd ſi frigiditas humiditate copuletur, miſcẽda ſunt adſtringentibus etiã calorifica. Sed frigidæ cõſtitutionis indiciũ eſt, nihil ſitire, neq; calorẽ ullũ ſenſu percipere.

De uomitione biliosa. Cap. 56.

HIs qui uomitu bilem eijciunt, cataplaſma ex palmulis, malicorio, gallaq; uino decoctis, aut poſca, panibus ſimul læuigatis, applicandũ eſt. Acacia & hypociſtis, & balauſtium

& rhu cataplasmati admiscendum. Et cucurbitula apposita magnificè iuuat, cum flamma multa. Cibũ uerò sæpenumerò paulatim exhibebimus. Sed qui bilem atram uomũt, & stomachi inflationem experiuntur, his spongias aceto acerrimo calidoq; irrigatas impone. Vel hederæ folia uino elixa, cataplasmatis instar, adglutinabis.

De singultibus. Cap. 57.

Singultuum alius ex repletione, alius inanitione, alius eroso ab acrioribus humoribus stomacho prouenit, quibus uomitu eiectis sedatur. Plures uerò medicamẽtum ex tribus piperis generibus assumentes, si protinus uinũ superbiberint, singultu infestãtur. Quòd uerò nonnulli corrupto in stomacho cibo singultiunt, ex his quæ neminẽ fugiunt, existit. Neq; desunt, qui in algoribus cum tremore singultũ experiuntur. Vomitionem igitur ijs qui singultu ex repletione uel erosione stomachi torquentur, sufficiens præsidium cõperimus: calfactionẽ, ijs qui propter frigiditatẽ. Quando uerò ex humorum plenitate singultus oritur, uiolenta opus habet euacuatione, quã sternutatio molitur. Sed ex euacuatione singultibus prognatis, sternutamentum non medetur. Exhibenda autẽ singultientibus ruta cum uino, aut nitrum in mulsa, aut seseli, aut daucum, aut cyminũ, aut zingiber, aut nepeta, aut nardus Gallica. Hæc quippe singultibus corruptione ciborum, uel perfrictione, uel plenitatibus deniq; cõtractis, sunt auxilio. Sed qui singultum multitudini frigidorum ac uiscosorum humorum acceptum referunt, his castoreum trium obolorum pondere ex posca propinandum, idem cuti unà cum oleo ueteri sicyonio applicatum, conducit. Ex re quoq; fuerit acetum scylliticum, aut oxymeli haustum. Detentio deniq; spiritus, magnificè opitulatur.

Quæ in febribus circa aluum astrictam & lubricam obseruanda. Cap. 58.

QVæ aluum siccam excitent, libro superiore, quantum res postulare uidebatur, memoratum est. Quoniam autem & humectari

humectari hanc in febribus contingit, de ea quoq; in præsenti differendũ arbitror. Bona quippe hominũ pars non febris ratione, sed ex hoc duntaxat symptomate mortua est. Principiò igitur fluxum dimittemus, nullo remedio resistentes, quoniam à corruptione & praua cõcoctione accidit. Vltra uerò naturæ modum euacuatione facta cohibere aluum expedit. Atq; si acriora quidẽ egeruntur, oportet alimenta quæ offeruntur, boni quodammodo succi, & aliàs craßioris esse: è quorũ numero sunt chondri et ptisanæ sorbitiones. Lauacra in hac cõstitutione post morbi concoctionẽ non sunt aliena. Quum uerò pituitosiora & ualde fluida deyciuntur, ediuerso cibi aridiores & calidiores sunto, quatenus febres admittunt. Eius generis sunt, quæ ex condimentis calidis cõstituuntur. A' balneis uerò illis abstinendũ, nisi quid aliud cogat. Debilitata uerò facultate coctrice, alimentis & remedijs stipticis utendũ est. Alimentis sanè, quibus maximè mala punica aut poma cydonea aut pira, aut mespila admixta sint, uel illis ipsis, & uino tenui fragrante, adstringẽte. Remedijs uerò, cataplasmatis puta ex polentis & palmulis, absinthio, rosis, myrtis, & eiusdem generis materia. Considerandum autẽ uenit, quibus'nam potißimũ locis adhibenda sint cataplasmata. His inquam, quæ ad stomachum, uel inferiorem uentrem attinent. Nonnunquã et lumbis imponimus. Cruentas porrò deiectiones compescunt medicamenta è thure, atq; desiccant. Aut tenuißimus farinæ flos, aut pollen, cũ thure, uel mãna, in uino macerata, aut posca. Acriorem uerò humiditatẽ, etiam œnemate edulcato, quãdoq; aqua, quãdoque ptisanæ cremore, aut chondri, aut oryzæ, aut tragi herbæ, non semel quidẽ, sed identidem. In posterum uerò rosæ quoq; aridæ, aut myrti attexentur. Nonnunquam & gallæ, ouum item unà cum rosacco, aut uino tenui adstringẽte, aut rosarum decocto infusum, uel sedi modo impositum, excernendi promptitudinẽ retundit. Vbi uerò crebrior desidẽdi libido impetit, agathiũ è spissamẽtis calentib. sedi conformatũ inijcito.

De sanguinis profluuio,& eruptione eiusdem e naribus. Cap. 59.

QVoniam distillatio uniuersi corporis uel capitis redundantiam notat, ex cõpressu, aut densitudine proueniens: largior quoq; excretio ad laxãdam atq; diminuendam succorũ multitudinem idonea est. Cõsonum uerò est, inde ipsam moliri, unde natura proruperit. Hæc accurata mecum perpensione reuoluens, in quartanarum distillationibus non dubitaui narium uasa de more cum typhe sauciare: neq; tamẽ exiguo sanguinis effluxu contentos esse oportet, sed habita uirtutis ratione auferre. Spontaneas uerò in febribus nariũ sanguinis profusiones decretoriè quidẽ factas, boni consulito, sed immodicè permanantem sanguinem cohibere tentato. Extremæ itaq; ante omnia partes uinculis ualidè excipiantur, æger sublato in altum capite figurabitur. Videtur etiam præputij illigatio peculiariter sanguinis ex naribus eruptionem cõpescere. Noli autem uel emungere, uel locum irritare. Sed in grumos sanguinem coalescere sinito. Nares uerò spongia in posca macerata, infrigidentur. Cuneolum ex panniculo, medicamẽto quodam sanguinis cõpescendi uim habente illitum, naribus stillantibus inserito. Sed horum materiam, & aliam curationem de locis affectis, sequenti uolumine fusius prosequemur.

De animi defectione. Cap. 60.

QVi ex cholera, alui fluoribus, alijsq; permultis, ac subitis euacuationibus, anima deficiunt, gelida aqua aspergẽdi, et naribus apprehendendi sunt, os uentriculi perfricandum. Vomitũ præcipere, stomachũ uellicare uel digitis, uel pannis immißis expedit. quin & pluribus uinculis ualenter uinciri debent: facta euacuatione per inferiores particulas, manus per superiores, crura. Prospicere etiã sanguinem fundentibus formam situs sine dolore sublimẽ conuenit. Cucurbitula, contrarijs quæ euacuãtur partibus, retrahendi gratia, adglutinetur. Medetur & uinum aqua dilutũ resolutionibus ex immodicis euacua-

euacuationibus ortis, nisi uiscerum inflammatio, aut dolor capitis uehemens, aut stupida quædam mentis affectio, aut febris adurens, in morbo crudo, prohibeat. Nam in his uinum ingentia adfert nocumenta. Quòd si æstus fuerit, & temperaturæ calidæ, & potare laborans frigidum potum assuetus, frigidum exhibendum est uinum: sin contraria, calidum. Ex sudoris uerò nimietate animo deficientibus, cutem, ueluti antea mihi dictum, densare oportet, & aeris perspiratum aliquem frigidum præparare. Cæterùm defluxionibus in uentrem nihil horum congruit, præterquàm quæ uentri, stomachoq; firmando sunt, adhibere, & affectos lauare: quoniã illiusmodi in uentrem fluoribus lauacra, ut omnium sunt accommodatißima, ita & sanguinis eruptiones atq; sudores ubertim proritãt. Qui præ multitudine, animi deliquio corripiuntur, uino ciboq; abstineant, & lauacris si febricitent. Mulsa autem potionis loco propinatur, in qua aut thymus, aut origanum, aut pulegium, aut hyssopum elixum sit. expedit præterea oxymeli. Quòd si ex prauis humoribus in stomacho contentis animæ deliquium inciderit, hydrelæo digito uel pinnula ori immisso, uomitionem elicere impera. Si uerò nequeant uomere, oleum quodq; præstantißimum potui exhibendum. Hoc sanè per aluum quoque sæpenumerò euacuat. Absinthiũ item talib. succurrit. Deinde si propter stomachi imbecillitatem animam perdiderint, ijs stomachum corroborantibus utendum, quemadmodũ iam pridem mihi in capite eidem dedicato proditum est. Extremas adhæc partes confricare oportet. Exustos in balneum ducere. Perfrigeratis uerò diatrionpipereon, uel ipsum piper exhibere. Iam uerò ex immodico calore siue æstu, siue diuturniore in balneo mora, animam perdentibus, medetur aqua gelida aspersa: mox si aeris flatibus exponantur, deinde fricatione stomachi, ab hoc uini & cibariorum usu. At si quis ob uastitatem inflammationis, aut malignam febris affectionem in accessionibus, animo fatiscit, & perfrigerantur artus, acriter ualida

frictione fricato, foueto atq; uincito, uigilias cibiq; abstinentiam indicito: hæc quippe & ante paroxysmum sunt exequenda. Quos propter siccitatem animus deliquerit, his duabus aut tribus horis ante accessionem alimentum exhibendum est, aut chondri cremor, aut panis ex aqua, unà cum mali punici nucleis, aut malis, aut piris. Quòd si ingentis alicuius discriminis periculum sit, uinum etiam ministrandum. Iis qui subitò anima destituuntur, hoc pacto subueniendum: & ubiq; causam deliquij reputare conuenit, atq; huic unicè reniti. Nonnunquam uerò & symptomatis maior habenda est ratio, quòd quum aliàs periculum, aliàs mortem quoq; minitatur.

Hulceris os sacrum infestantis curatio. Cap. 61.

FEbribus, præsertim diutinis, etiam hic affectus, ex diuturno decubitu superuenit. Cum igitur sacri oßis regio incipit rubescere, rotam egregiè magnam ex lana facientes, loco supponemus. Post hæc rosaceum uel myrtinum cerotum, cui spuma argenti, aut cerussa misceatur, superaccommodabimus. Phlegmone autem oborta, panem cum solano, aut sanguinali, aut plantagine, aut braßica tenella, emplastri modo applicabimus. Quòd si exulceratio depascendo serpat, lenticulam cum malicorio cataplasmatis more imponito.

LIBRI SECVNDI FINIS.

HYPOTHESIS LIBRI TERTII.

In hoc uolumine uniuersi operis Tertio, de morbis secundum locos affectos sermo instituitur, quià summo capitis uertice auspicans, ad infimum pedis calcaneum receptui canit.

CAPITA TERTII LIBRI.

ac

FINIS.

PAVLI AEGINETAE LIBER TERTIVS, ALBANO

Torino interprete.

Super eis quæ capillos intentant uitiis, de Alopecia, Ophiasi, & glabricitate. Cap. 1.



Vemadmodum plantarum aliæ quidẽ humiditatis penuria inarescentes emoriuntur, nonnullæ uerò asciticijs, sibiq́; contrarijs humoribus suffocantur: ita & in hominis cæsarie usu subinde uenire conspicimus. defectione enim humoris glabreta: ex succis autem prauatis, Alopecia & Ophiasis, figura inter se duntaxat dissidentes, cõsurgunt. Hæc enim locum capitis affectum ad instar anguis glabrum describit. Alopeciæ uerò à uulpibus, quòd eo frequentissimè id animantis malo conflictetur, nomen est inditũ. Ex cutis igitur colore, redundantem humorem cõiectantes, euacuatione primitus, quæ medicamẽtis purgantibus fit, deinde quæ parti extrinsecus inijciũtur præsidijs utemur. Proinde ubi ad nigrorem admodum, aut candorẽ plurimum color uerxerit, cum hieræ antidoto, non tam pituitam quàm melancholicum quoq; humorem uacuare potente, expurgemus. Si uerò pallori propius accesserit, ei quæ ex aloe conficiuntur, globuli exhibendi sunt. Quorum uniuscuiusq; descriptionem in compositorum medicamentorũ uolumine comperies. Post uniuersi uerò corporis euacuationem, apophlegmatismo, nõ semel modò, sed crebrius ex aceto, sinapi, melleq́; composito, utendum. Conducibilius uerò multo, si in aceto origanum quoq;, aut pulegium, aut thymus, hyssopus'ue macere-tur.

tur. Quin & in cæteris quæ caput infestare solent affectibus, eadem methodo utendum: ante omnia superabundantem succum, uel purgãdi facultate præditis medicaminib. uel sanguinis detractione, euacuantes, si modò sanguinis plenitas non desit. Sic deinceps ad localem medendi rationem procedendum.

De Alopecia.

Caput prius nitro confricatum, linteoq; aspero, laneo præsertim extersum, adq; ruborem usq; confricatum, uerbenaca in sole cum aceto contrita perunge: aut halcyonium asperrimum crematum & læuigatum cum oleo ex lucerna obline: aut arundinis radicem, aut corticem amygdalæ amaræ cõbustam, oleo seu adipe ursino exceptam illinito. Mediocria quidem hæc sunt remedia: efficaciora uerò, quæ euphorbio, aut thapsia, aut adarce, oleo detrita laurino, aut liquida pice constituuntur. Aliud: Testis erinaceorum marinorum combustis adipe ursina exceptis, locum antea nitro detersum perungito. Aliud: Piperis, stercoris ouilli aridi, irionis, seminis erucæ, singulorum drachmæ quatuor, ueratri candidi drachmæ tres, muscerdæ drachma, bile taurina, aut hircina, uel suina excipiantur.

Aliud aduersus Alopeciam, experientia comprobatum:

Mandragoræ radicis, aristolochiæ, radicis ari, ceræ, picis liquidæ, cuiusq; congij octo, axungiæ porci subrumis, rhododendri herbæ meditullij exiguum. axungiam & rhododendron, donec herba liquefiat, coquito, deinde glomeratam herbam abijcito, cæteræ axungiæ confundito, & elixato: postea ceram ac liquidam picem adijcito, mox audacter in sole utitor: cumq; hulcera cicatricem contraxerint, caput uulpis combure, & alcyonium, anchusæq; nigræ folia, omnia contusa unctioni inspergito, quo caput pilis uestiatur. Aliud: Murini capitis cremati pars una, testarum marinarum tantundem cum axungia porcina: omnibus in fidelia decoctis, in usum inspergendo adhibebis. etiam ijsdem aridis utitor.

Medi-

Medicamentum e thapsia, ad omnes diutinas affectiones.

Euphorbij, thapsiæ, baccarum lauri, uniuscuiusq; uncia, sulphuris uiui uncia media, ueratri tātundē, ceræ unciæ sex, olei laurini aut rhicinini, aut ueteris, quod satis est. In robustiorib. adijcitur & nasturtij uncia, halcyonij combusti uncia. Neque hoc medicamentū ad alopeciā tantūmodo, uerùm ad quācunque etiā inueteratam perfrictionem confert. In uniuersum uerò in alopecijs prius frictione & abstersione ex nitro utendū, & rasione capitis continua: complures equidem noui, qui sola frictione & aßidua rasura capillos plantabant.

Ad glabreta, & capillorum augmenta, ex commentariis Critonis.

Leporum uētriculos quinq; aridos, accuratè in uase testaceo torrefacito, quibus adijce tertiā partē uirgultorū myrti, acaciæ fructus, acaciæ cremoris, rubi canini, par pōdus: adiāti uncias tres. his omnib. in tenuē farinā contusis, attamina tenui cribro: deinde adijciens adipis ursinæ libras quatuor, & phocæ tantundē, denuò contunde, et excepta in pyxide plumbea reconde. sed ad usum, quocunq; uidetur hedysmate diluito.

Quibus conferuentur capilli.

Polytrichi partē unā, ladani partes duas, uino oleoq; myrtino excipe, & utere. Aliud: Anemones florē tritū cum oleo illinito. Sed hic quoq; nigrorē inducit. Aliud: Verbenacam rectam cum radice exiccatā & contusam, exilibus foraminibus incerniculo attamina, admixtaq; tāta olei quātitate, quanta ad sordium craßitudinem inducēdā satis est, in uas æreum reponito: & cum subacta tabuerit, pro oleo similiter utere.

Aqua capillos augens, & nigriores reddens.

Aquæ cœlestis xestas sex, rhus Alexandrini xestas tres, polytrichi, herbæ sabinæ singulorum uncias quatuor, ladani unciam, myrti unciam, cucurbitæ aridæ tantundem, in uase uitreo per dies uiginti macerato, mouēs bis in die rude tedacea. Sequenti uerò tēpore pilis in aquā singulatim demersis, utere quotidie.

quotidie. Semen quoq; altheæ in balneo illitum, capillos non tam conſeruat quàm augmentat. Pari modo & oleum illitum in quo ipſum ſemen altheæ elixum uel impoſitum ſit.

Quæ comas extenuant.

Fici foliorum, uitis ſylueſtris albæ corticis, pumicis, teſtarum buccinorum, cretæ cimoleæ, ſingulorum mina, omnibus fideliæ nouæ ac crudæ impoſitis, & luto oblitis in fictili uaſe, decoquito & cõterito, ſpumæ nitri adijciens minã dimidiam, gallas immaturas triginta: quib. liquefactis, eximito et utere. Aliud: Spumæ nitri minis ſeptẽ, pumicis toſti minis quatuor, aluminis ſciſsilis, iridis aridæ, myrti ſylueſtris nigræ, gũmi, bryoniæ radicis, uniuſcuiuſq; drac. quatuor, lupinorũ crudorũ in pollinẽ redactorũ cõgij parte quarta utere ſine pingui.

Ad profluuium capillorum.

Aloẽn cum uino nigro, auſtero illinito, aut purpuræ operimenta cum oleo cocta, & myrrham & ladanum cum uino aut oleo myrteo, aut fimum caprillum in teſta combuſtũ cum oleo dilue, capitiq; nouacula raſo inunge.

Qui capillitium cirratum reddatur, & tincturæ eiuſdem, ex Cleopatræ libris de criſpitudine inducenda. Cap. 2.

CApite prius abſterſo, radice uerticillaris herbæ capillos cum mero oblinito. Aliud: Raſo deterſoq; capite, pineam nucem recentem, in cinerem uſq; cõbuſtã, pilæ inditam cõterito, unguento q; myrteo ad mellis uſq; craſsitudinẽ ſuper infuſo, ſic caput oblinito. Aliud: Pili myrtorum & betæ pari modo cum oleo abſterguntur. Aliud: Gallas uiginti, adianti uncias duas, aqua marina uſq; ad mellis denſitudinem coactas inunge: ſed deterſo prius urina capillitio, aut lixiuio & calida aqua abluto, pilos hoc medicamine biduum perungito: ubi tãtiſper cõtinuerit, tertio die ablue, exiccatoſq; oleo myrteo perline. Hoc quippe delicatam, & criſpatam, & nigram reddit cæſariem. Criſpior autem euadet, ſi prius capite nouacula raſo, iſthoc utare.

Quæ

Quæ canos arcent, & nigrorem inducunt.

Olei ex immaturis oliuis expreſsi ſextarios treis, ſpicæ nardi denariũ, conchulæ Indicæ odoratæ, iunci odorati floris ſingulorum denarios quatuor in oleo coquito, atq; ſeponito, acaciæ cremoris unciã uino diſſolue, & accuratè læuigato: quando uerò olei tertia pars fuerit relicta, hanc percolato, & confundens acaciæ, ſitella excipito, atq; inũgẽdo capiti utere quotidie. Aliud: Nucum uiridium corticis, radicis ilicis, cuiuſque quadrans, uini nigri ſextarij tres, ad tertias decoquuntur, ſuccusq; expreſſus cum olei myrtei ſextario contunditur, utendum eo eſt quotidie.

Aqua capillos denigrans.

Gallæ ſextarium, rhus coriariæ, myrtorum nigrarum, foliorum cyperi, uniuſcuiuſq; ſextarios duos, cinaræ quantũ manu comprehendi poteſt, papaueris nigrorum in floribus capitulorum æqualem menſuram, aquæ putealis ſextarios duodecim, pluribus antè diebus maceratas ad tertias coquito, deinde illinito. Deterſis prius et exiccatis crinibus, cretæ cymoliæ quartam partem cotylæ, & calcis uiuæ æqualem menſuram illinito. Hæc ſucco betarum elixatarum diſſoluta inungito, deinde betæ folia operculi cauſa ſuperimponito: & ubi ſatis ſic perennauerint, in lauacro expurgentur.

Quomodo rufi capilli tingantur & flaueſcant.

Myrrhæ partem unam, ſalis floris tantundem, accuratè friato, & inducto ſtrigmentorum balneorum craſſo lentore, abſterſoq; prius capite, medicamento capillos inunge, atq; ſic inhærere cum ſua nocte diem ſinito, deinde ablui præcipito. Aliud: Lupini crudi cum aqua illiniuntur. Aliud: Ex ſpumæ argenti drachma, Creticæ terræ drachmis quatuor, calcis uiuæ drachma, aquam lentam ſordium craßitudinis conficiẽs, capillos perunge, & betæ folijs per biduum aut triduum iniectis, inde abluito.

Vt nigrum capillitium flaueſcat.

Fecem uini ſtrigmento balnei excipito, & cerati craßitudine

tudine inducta, somnum inituro illinito, & mane capilli fului apparebunt. Aliud: Cyperi folijs in cremore struthij macenatis, eo diluto utere.

Tinctura auro similis.

Auri instar colorem faciunt, aluminis denarij sex, sandarachæ tãtundẽ, croci denarij duo, thapsi qua tinctores utũtur (quam Romani herbam rubiam nuncupant) denarij octo, lixiuij pilleariorum denarij quatuor. Coquito autem lixiuium & thapsum contusam, & dimidiata parte cõsumpta, exprime liquorem, in quo alumen, & sandarachã, & crocum dissolue, mox inijce uasi uitreo, & in necessitate, derterso prius capite, oblinito. Cum autem imbibitum fuerit, fœnogræci, & hordei, & cymini aqua tepida sufficiente ablue, inijciens & saponis quantũ satis est. Aliud: Fece uini cõbusta, & oleo balanino simul confusis, capilli inungantur. Aliud: Sapone quoque Gallico abstergẽdæ sunt singulis balineis comæ. Aliud impendiò utile: Rhus rubentis sextarium, gallarũ sesquilibram, celidrij uncias duas, herbæ aurescentis (quã rubiam ducunt) uncias duas, polytrichi fasciculos duos, absinthij fasciculũ. Lupinorũ delibratorũ cyathos duos, aquæ sextarios septẽ, in uase uitreo excipe, sinitoq; nouẽ integris diebus macerari, rudicula mouẽs bis quotidie. Vbi usus uenerit, tolle quod sufficit. In hoc spõgiã intingẽs, capillos perfrica, humectosq; sinito imbibere. Vbi uerò aruerint, sapone cãdida aqua liquato, ablue.

Vt capilli candidi reddantur.

Verbasci albi florem crematum, aceto irriga, & confunde saponi. Aliud: Verbasci seminis, aluminis, raphanorum corticis, cuiuslibet denarium contunde, & taurini glutini quatuor drachmas commisceto.

De porrigine & affectibus capitis cutem deturpantibus. Cap. 3.

Porrigo (quam pytiriasim Græci dicunt) est tenuium furfuracearumq; squamularum ex capitis ac reliqui corpo

ris superficie, nulla relicta exulceratione, decidua resolutio. Prouenit uerò id uitij subeunte caput prauo corporis humore, salsóue pituita, aut bilioso & atribilario sanguine. Euacuato itaq; prius uniuerso, seu proditū est, corpore, subscriptis remedijs utendum. Cretam cimoliā aqua maceratam betæ cremori cōfundito, atq; furfurationi illinito: & donec aruerit, illitum adhærere permittito. deinde loco infecto abluto, thure cū uino & oleo trito denuò perunge. Postera uerò die staphida syluestrem, hoc est, herbam pedicularem, cum oleo illinito. Aliud: Nitri, fecis ustæ, glādium unguentariarū, uniuscuiusq; libra, herbæ pedicularis libra una & dimidia, uino dilutis caput abstergé. quòd si alia corporis pars prurigine infestetur, aridis. Humidiores uerò capitis furfurationes salsugine abluito, aut lupinorū decocto. Huius equidē summū experimentū habeo.

Psydracia & exanthemata capitis.

Psydracia exiles sunt capitis excrescentiæ, pustulis similes, quæ summā cutis superficiem exasperant. Exanthemata uerò summæ cutis pustulæ sunt, & exulcerationes subrubræ atq; salebrosæ. Vtriq; tamen uitio his quæ deinceps subordinantur, remedijs succurritur. Spumæ argenti, cerussæ, singulorum drachmis quatuor, aluminis duabus, foliorū rutæ uiridium totidē, aceto myrteoq; oleo cōtritis, cuti illinito. Aliud: Rutam & alumen mellæ læuigata, deraso prius capiti illinito. Si uerò abscessibus capitis cuticula infestetur, oliuæ folia cum melle elixa cataplasmatis modo impone. Aliud: Spumæ argenteæ, cerussæ, singulorum uncias duodecim, sulphuris ignem non experti drachmas octo, cerota myrtea excipito.

Ad hulcuscula capitis densa & rubea.

Sunt hæc perexiguis admodum papillis similia, è quibus aquosi sanguinis humores eliquantur: deraso antè nouacula capite, & aqua nitroq; deterso, sulphure uiuo cum lotio humano diluto, utendum. Vel atramētum metallicum cum aceto capiti illinendum.

De manantibus capite hulceribus, quæ Græci achoras dicunt, & fauis.

Vna quædam in capitis cute affectio consurgit, quæ Græcis achor nuncupatur, Latinis manantia hulcera, tenuißimis foraminibus cutē perforās, è quibus uiscida saniesexcernitur. Haud sanè dispar huic figura et aspectu malū est, quod cerion, hoc est fauū dicitur, quoniam foraminibus amplioribus terebratum, quibus mellis instar humiditas perinde atq; in apū fauis continetur. Cæterùm originē ad nitrosam, salsamq; pituitam referunt. Melioris igitur succi cibo uesci, acri salsoq; omnino abstinere conuenit, præsertim si inflammationē redolet affectio. Et post cōuenientē superuacanei euacuationē, deraso prius capillamēto, caput bis aut ter, aut multo sæpius aqua calida in qua elixata sit myrtus, aut rubus, aut lens, aut amari lupini, aut asparagi radix, foueto. Si multa uis saniei erūpat, folia salicis cū aqua aut lēticula inducito. Illinitiones autē cretæ cimolia, aut Cretica, aut rubrica Samia, aut pompholyx, aut spodiū, aut spuma argēti, aut cadmia, aut charta cōbusta, constituant, aut quæ ex charta cōcinnatur cōpositio arida, omnia cū aceto admixto. Smegmatis præterea usus probatur, quod sulphuris, herbæ perdicij, saponis, æquali mēsura cōstat. Composita medicamēta hæc sunt: Spumæ argēti drach. sedecim, foliorū rutæ octo, herbæ pedicularis syluestris quatuor, atramēti sutorij duæ, cū aceto & myrteo redigantur in sordiū balnei craßitiem, & illinantur. Aliud: Sandicis drach. quatuor, myrrhæ tantundem, sulphuris uiui drachmas duas, mannæ quatuor, cum oleo ueteri inducito.

Ad achoras.

Qui fœtidis id genus hulcusculis infestantur, argenti recremento, uel plumbagine cōtrita oblinuntur. Aliud ad achoras, & humidas psoras: Rosarū rhododaphnes triens, sulphuris uiui tantundem, picis liquidæ, picis aridæ, singulorum quadrans, ceræ selibra, olei myrtini quantum satis est. In puerorum achoris, ea in lacte dissoluta illinantur.

De ficubus.

Ficus autem nuncupantur germina hulcerosa, rotunda, subdura, subrufa, quæ comitatur etiam dolor. Oriuntur uerò hæc magna quidem ex parte in capite, sed & reliquo itidem corpore. Præstantißimũ ad hoc remedium, alumẽ scißile, & flos æris assatus, & glutinum quod ex taurorum tergoribus confit, æquali pondere: cum æris squamulæ duplo trita, cum aceto illinito. Optimum præstant auxilium, halecularũ (quas mænidas Græci nuncupant) capita cremata, bulbi itidem elixi, & cinis denique cum aceto temperatus.

Contra capitis & menti ficosa exanthemata, Xiraphion.

Misyos drachma una et dimidia, chalcitidis drachmæ duæ & semis, squamulæ æris drachma, aluminis scißilis tantundem, probè loto aridũ superaccommodatur, & dimittitur. Postero uerò die cũ denuò lotum spongia exterseris, idem imponito. Decidit enim ramentũ densißimũ: & si rursus diebus sequentibus idẽ fiat, absq; ullo cicatricis uestigio sanatur. Neq; uerò mediocriter hoc medicamentum adglutinatur, hæretq;.

Ad pediculationem capitis, quam phthirian Græci dicunt.

Qui pediculantur in capite, lupinorum aqua decoctorũ diluto abstergantur. Aut uuam taminiã, aut sandaracham, siue utrãq; leuigatã cum oleo ueteri acetóue illinito. Aut piperis perexiguum, ne exulcerationem inducat, cũ oleo, aut hederæ cremore cum melle, aut minium synopicũ cum aceto. Aut cedrinum liquorẽ, aut picẽ liquidã cum alumine, aut baccarum lauri succum expressum, siue oleum deniq; raphaninũ applicamus. Cæterũ nos syluestrem herbã pedicularẽ aceto & oleo leuigatam induximus, & semper uoti compotes facti sumus.

De capitis dolore, quam cephalalgian Græci nominant. Cap. 4.

Dolor capitis, quam cephalalgian nuncupant quidam, ex difficillimis casibus existens, aliquando ex sola qualitate distemperata, quandoq; ex humorũ nimietate, nõnunquam ex utriusq;

utriusq; culpa consurgit. Est quando ex primitiua causa, puta, qui foris accidit æstu, frigore, temulentia, ictu. Grauißimi igitur capitis cruciatus, ex actiuis qualitatibus proficiscũtur: maximè uerò præcalida. At qui ariditatẽ sequuntur, non tãta uiolentia sæuiunt. Humida uerò qualitas omni planè sui ipsius respectu dolore uacat, nisi calori, aut frigori, aut humorũ plenitati coniuncta sit. De eo capitis dolore qui febricitantes infestat, in superiore quidẽ uolumine, cui de Febribus est inscriptio, satis differuimus, in præsens de alijs uerba facienda sunt.

De capitis dolore, qui ex calore gignitur.

Qui ex æstu capitis dolore torquentur, corũ cutis tactu calidior, & primò statim manus iniectu aridior percipitur, oculiq; rubicundi fiunt: frigidis cõspersionibus, & inunctionibus delectantur, et earũ beneficio dolore leuatur. Cæterũ illis eadẽ curatio, quã caput ex febre dolentib. præscripsimus, quadrat. Perseuerante autem capitis dolore, subscriptis utendum cataplasmatis est. Conducit fronti & temporibus applicatus panis ex posca, & rosaceo, aliquando cum amygdalis, aut rosis uel aridis, uel tenellis, aut menta cum pulegio admixto, aut panis cum persici folijs. Valet etiam ocimum cum aceto & rosaceo tritũ, aut hederæ corymbi in aceto elixi. Cõducit etiam subactam rosaceo, aut serpilli aqueo decocto triticeam farinam miscere. Cardamomũ quoque in sartagine frictũ, acetoq; & rosaceo tritum expedit. Aut fermentum cum rosaceo, aut iris arida cum aceto. Iugiter uerò unumquoduis horum mutato: nam uetustate efficaciam suam amittunt.

Pastilli aduersus cephalalgiam e calida intemperie.

Croci drachmæ quinq;, chalcanthi drachmæ decẽ, aluminis sedecim, myrrhæ septem, omphacij, chalcitidos, gũmi cuiusq; drach. tres, uini austeri quantũ opus, utere cum posca. Quòd si uigiliæ quoq; his accedãt, tũ somnificorũ quippiã applicato.

De caput ex gelida intemperie dolentibus.

Qui ex frigore, capitis dolore impetuntur, diuersa his qui

ex æstu afficiuntur, indicia præferunt. Facies enimuero ipsorum non cõcidit, sed perpallida est. Frigidis neq; delectãtur, neq; adiuuantur: uictus uerò ratio, & cætera concurrentia horum stabiliunt agnitionẽ. Inungatur itaq; oleũ rutaceum, laurinum, aut irinum, aut nardinum, aut balsami succus, maximè si cùm crassiora, tum uiscosiora fuerint retrimenta. Hũc frõte tenus, & hoc liquore, & medicamentis quæ ex pipere & euphorbio cõcinnantur, oblini conuenit. Vinum tenuiũ partium exhibendum. Motui quoque corporis indulgere, & lauacris nonnunquam calidis operam dare præcipito. Aliquando, quæ raphanis cietur, uomitione utendum. In quibus uerò qualitas absq; humorum plenitudine perseuerat, illo medicamento utitor: Piperis candidi drach. duæ, crocomagmatis drach. totidem, euphorbij recentis drach. octo s. stercoris colũbini drac. una s. aceti accerrimi quantum satis est. affectam partẽ, confricatam prius oblinito.

De dolore capitis ex biliosis humoribus orto.

Signa horum consimilia habentur ijs, quæ eundẽ affectum ex insolatu natũ portendunt. Accedit autẽ ipsis morsio maior, & pallor faciei, nonnunquã oris etiam amaritudo. Consueuit autem hæc affectio ætates potissimum in uigore consistentes, temperamenta calidiora, & uitã solicitudinibus anxiam, & bilem coaceruãtes flauã, inuadere. In horum propterea curatione, lauacris tẽperatis, inunctionibus, aquosis potionibus, & uniuersa uictus ratione humidiore, & boni succi utendũ. Euacuare præterea biliosum humorẽ absinthij diluto oportet, siue cum aloẽ, & ipsius picræ antidoto per se, aut cum momento scammonij, uel confectis ex aloẽ globulis. Inungẽda etiã frons uel croceo pastillo, uel trigono, uel alio quodam compari.

De capitis dolore per consensum.

Si uniuerso corpori caput cõpatiendi ratione condolescat, magna industria contra distemperamentum, contraq; exuperantem materiam certandum est. Si plenitudo urget, & præcipuè

cipuè in uenis, per incisionem uenæ sanguinem detrahemus. Sin modũ qualitas magis transilierit, purgatorio utamur medicamento. Si consortij lege particulæ laboranti cõpatiatur, uerbi causa, iocinori, aut uẽtri, aut stomacho, hisce succurrẽdũ est. Si calida quidẽ subsit intẽperies, panẽ è uino aquoso suppeditantes, aut ex chõdro, sorbitiones. Extrinsecus adspergines modicè infrigidantes, roburq; inducẽtes, ueluti antea demonstratũ, superfundẽdæ sunt. at si uiscidi ac craßi humores stomacho impacti, dolorẽ capitis inuexerint, illos etiã, acetosum mulsum tũ simplex, tũ Iulianũ miscẽtes, amouebimus: ex hyssopo insuper et origano remedijs, et his adhuc maiore calfaciendi et incidẽdi ui præditis. iam et quæ cũ raphanis elicitur uomitio, infusiones itẽ ex alto calidiores, et cataplasmata proficiunt.

De capitis dolore ex ebrietate.

Si uinum adhuc crudum in uentriculo fluctuat, aqua tepente potui data, uomere præcipito. At si post concoctionem quoq; caput doleat, refrigerantia & reprimentia prosunt: cuiusmodi est rosaceum per se, uel cũ aceto, aut succo hederæ, seu brassicæ. Iam eius herbæ quoq; folia in aqua calida macerata, capitiq; imposita, fasciaq; circũligata, naturæ aptitudine ebrietati aduersantur. Quin et ipsa braßica elixa estur utiliter. Lẽs insuper sumpta, his opitulabitur, potißimè humido uẽtre præditis. Alicæ porrò, malorum punicorum, malorum cotoneorum, pirorumq; esus, & aquæ potus, salutares sunt.

De capitis dolore ex ictu.

Capitis dolore ex ictu laborãtibus, nisi in summa modò cutis superficie læsi uideãtur, continuò uenã secabimus. Vincit, caput largius subinde superfundere, oleoq; dulci irrigare, & ipsum lanis cooperire. à uino & solidioribus cibis, præcipuè si febris comitetur, ægri coërcendi sunt: et omnia breuiter tanquam ad inflammationem neruosarum partium, & in primis membranarum cerebri, commodè aptemus. Porrò ubi uulnus illatum fuerit, & huic conuenientes suppetias dispiciemus.

Malagma ad capitis dolorem.

Ceræ drachmæ septē, olei amygdalini quadrans, terebinthinæ drach. octo, eruginis rasæ, cretæ cimoliæ, chalcitidis, singulorum drachmæ quatuor, pumicis drachmæ treis: æris adusti, squamæ stomomatis, uniuscuiusq; drach. duæ. Verùm ubi durius paulo esse uidebitur, amygdalino emolliendum est.

De cephalæa & hemicrania. Cap. 5.

VTerq; hic affectus ægrè cedens, ac continuus capitis dolor est, qui strepitu, clamoribus, luminis splendore, uini potu, & implentibus caput odoramentis cōcitatur & acuitur. Horum quidam totū caput percuti, alij uerò alteram modò capitis partē autumant, quos hemicraniacos nominant. Et quibus intra caluariam affectus cōsistit, ijs dolor usq; in oculorum radices penetrat. Quibus uerò extrà existit, hos circa caluā dolor impetit. Cū grauitate itaq; dolores, humorū multitudinem arguunt: cum morsu uerò, uel humorum, uel uaporum acredinem: cū pulsationibus autem infestantes, phlegmonen, sed cum extensione: siquidē sine grauitate percussuq;, spiritus tenuis & uētosi copiā indicat. sin uerò cum pulsu, inflāmationem membranosi corporis insinuat. si cum grauitate, plenitudinē intra membranas comprehēsam declarat. Cæterū si quādo putris etiam humor feruentior redditur, unà cum febre dolorē capitis patiuntur. Febricitant autē omnino, qui ob phlegmonen dolore afficiuntur. Corpore igitur uniuerso singulis ex æquo humoribus redūdāte, uenā aperire, æstimata languentis uirtute, et clysteribus acrioribus uti expedit. Si adhuc sanguis modū transilire uideatur, narīū uena etiā adaperta, quantū satis esse uideatur, euacuabis. Mox hieram acutā exhibebis. ab hoc, est apophlegmatismis utendum: deinde & per nares exinanitiones probātur, per ea quidē quæ naribus infunduntur, errhina Græci uocant: cuiusmodi est elaterij succus cum lacte infusus, siue in farinam friatum elaterium, naribus inspiratum: & cyclamini porriq; succus. Composita sunt quæ sequuntur.

Errhinum

Errhinum ad diuturnam cephalæam, & ophthalmiam, & comitiali oppressos.

Nigellæ drachmæ octo, salis ammoniaci quatuor, elaterij totidem, tritas oleo sicyonio, aut irino, aut cyprino excipe, ita ut cerati cosistentiam induat, & naribus indito.

Medicamentum pituitam extrahens naribus inspiratum.

Rapi, seu umbilici terræ aridi drachmæ octo, nitri rubicundi drachmæ quatuor: sed si nitri loco elterium inijcias, multo præstantius erit. puluis eius naribus per arundinem insufflatur. Vtere præterea epithematis circa caput, & unctionibus, si uetustas morbum magis occuparit, sequentibus.

Epithema ad cephalæam.

Vngenti irini, peucedani, castorij, singulorum denarius, baccarum lauri denarij duo, uirgultorũ rutæ denarij quatuor, cum cerato rosaceo excipiuntur, derasoq; capiti, uniuerso imponitur. Mulier quædam in hemicranicis sequenti usa epithemate, omnium ferèper ora claritate nominis uolitauit. Radicem cucumeris syluestris uiridem in tenues portiones dissecãs, pariter et absinthium in hydrelæo, donec tabescerẽt, decoxit, & hydrelæo quidem calido mediocriter partem affectam inspersit: radicẽ uerò cum absinthio in pollinẽ redactam, emplastri more imposuit: quo solò medicaminis præsidio, omnem hemicraniã siue cum febre, siue absq; febre, curauit. Quòd si exacerbatio adeò magna superuenerit, ut nequeat tolerare dolorem, utere his quæ lenire, & excrementa infestantia euocare possunt. Cuius generis est quod proximè dicetur.

Vnguentum pro cephalæa.

Liquoris peucedani drachmæ sedecim, lachrymæ papaueris, anisi, alterci, croci, myrrhæ, scãmoniæ singulorum drachmas duas aceto excipe, & in pastillos redige. Cum usus uenerit, cum aceto aut posca, his qui craßis humoribus aut flatulentis spiritibus dolorẽ adscribũt, illinito. Et dropace cõsimiliter unguento, & sinapismo utendum, quiq; è thapsia constituitur

orbiculo. Pastillus præterea ex atramento scriptorio peradmirandum in hac causa habetur remedium: quo post hæc omnia, quemadmodum infrà in opere de cōpositis dicetur, utēdum est. quin & illud admiratione dignum, in illis qui dimidia capitis parte propter crassum & uiscidum humorem dolitant: Euphorbij partē unam, & castorij tantundem aqua excipito, & in aurē affectæ partis indito: ad hæc balneum ingredi præcipito: neq; longa in eo mora facta, ipsum assumant, & solito more lauabunt, eo quippe modo probatū experientia est. Neq; alienum sit, oleo eadem subacta auribus instillare: et quod ad ischiadicos inscribitur medicamentum, etiam diuturna cephalalgia & hemicrania implicitos ex toto liberat.

Ad hemicraniam ueterem.

Allij drach. quatuor, ceræ duæ: axungiæ ueteris, cantharidum, singulorum drach. duæ. Vesperi emplastri more impositum, per noctem adhærere sinito: mane uerò disrupta pustula, parygro appellato medetor. Aliud: Baccarum lauri cortice exutarū drac. duas, foliorū rutæ tantundem, sinapis drachmam, aqua maceratas cataplasmatis modo illinito. Hoc uerò his qui ex frigida occasione conflictantur, utilißimū est, adeò ut semel modò illitū sub balneum, cōfestim medeatur affectui, ita quidem, ut à lauacro integræ sospitati restituat. Olei sabini libra, ceræ uncias tres, euphorbij unciam, quo dimidiatam frontis partem, secundum tempora uidelicet ubi musculi sunt, illinito. In quibus uerò non multa frigiditas exuperat, gallæ & crocomagmatis æquales partes uino leuigatas inunge. Sed quibus calidi uapores humores'ue capitis dolorem inferunt, his medicamenta ex euphorbio non offeras.

Apophlegmatismus contra cephalæam.

Succi sinapeos, aceto & melle triti uncias quartuordecim, herbæ pedicularis drach. quatuor, pyrethri tantundē: cōtusa, cribroq; excussa, mixtaq; in sole gargarizato. Quòd si ex bilioso humore aut intemperie quadā capitis dolor diutius perennaue-

rennauerit, ijs quæ mox de cephalalgia præscripsimus, utendum. Si dolor ne his quidem auxilijs elidatur, neq; cucurbitulis, neq; hirudinibus adplicatis, uisa per arterias facta fluxus distributione, non absurdum fuerit etiam post aures sectione arteriarum uti. Humidioribus uerò, balnea quoque naturalia magna utilitate adhibentur.

De agitatione mentis, siue phrenitide. Cap. 6.

PHrenitis, pāniculorum cerebri inflammatio, nunc quidem ipso cerebro pariter inflāmato, nunc uerò præter naturā caloris excessu in ipso existēte. Causa autem mali, uel sanguis exuperans, uel flauæ bilis humor existit: quādoq; flaua etiam bilis nimium torrefacta, iamq; in nigrorem tendens, unde grauißima phrenitis oritur. Nōnunquam cerebrū diaphragmati consortij lege condolescens, ex disseminatis in ipsum neruis afflictionem cōtrahit. Si uerò per summos urentißimarū febrium uigores, uel stomachi consortio, mentis alienatio accidit, non phrenitis, sed delirium modò hoc est. Comitatur autem peculiariter phreneticos magna quidē ex parte peruigiliū, nonnunquam turbulentus etiā somnus, ita ut exurgāt, exiliant, & ceu furore perciti uociferentur. Cum risu quidē hi, qui ob sanguineū humorē præpollentem: cum temeritate uerò, qui propter flauam bilem insaniunt. Quemadmodū ij qui atra bile uitium contraxerūt, immaniter et incohibiliter efferuntur, obliuiscunturq; omnium eorum quæ dixerunt & fecerunt, oculos sanguinolentos præferunt, & subinde lancinant, nūc quidem squallescentes, nunc uerò illachrymantes, et lippitudine cæcutientes. Redditur lingua asperior, ex naribus sanguinis proflu uia oriuntur, & floccos auellūt, & festucas colligunt, & per omnem morbi curriculum acutè febriunt, febre in profunditate malignius latente: pulsus paruos et obscuros habēt, cum quadam etiā duritie coniunctos: accedit respiratio magna & rara, cerebro primogenia affectione laborante. Si uerò per consensum diaphragmatis rationis error oriatur, respiratio

erit

erit inæqualis, conuelluntur sursum præcordia, et calore multo æstuãt. Veluti cum phrenitis cerebri uitio cõcitatur ardor, ruborq; subcruentus in facie cum uenarum extuberantia elucet. Quòd si bili pituitosus humor contemperetur, ut causam mixtam id malum, sic & appellationem habet compositam: uigilem enim somnum (quod coma Græci dicunt) appellant. In uniuersum quidem, bilioso præpollente humore, uigil phrenitis fit: insaniunt enim eiusmodi uigilantes. Pituitoso contrà superante, somno ueluti grauiori sopiuntur: ipsumq; hoc malum antiquiores Galeno medici, Catochon appellauerunt.

Curatio phrenitidis.

Si languentis uires permittunt, uenam in cubito confestim incidere, & copiosius detrahere expedit. Quòd si delirans manum porrigere detrectet, aut licet hãc exerat, periculum sit, ne post euacuationẽ, iactata hinc inde præ furore manu, immodicam sanguinis effusionem incurrat, uenam in fronte secantes rectam, semel quod satis est, auferemus, clysteribusq; utemur ex oleo uel rosaceo cum cremore ptisanæ. Si uigiliæ superant, rosaceo aut oxyrhodino caput irrigato. Nonnunquam etiam capite prius aqua calida perfuso, medicamentum ex papauerum calycibus compositũ propinabimus, nisi imbecilla uirtus prohibeat. Reliqua uerò uigiliarum remedia, ex superioribus huc transferenda sunt. Decumbat autem lãguens in conclaui, tum luce tum tẽperie mediocriter disposito, & diuersis imaginum picturis uacuo, quoniã hæc deterrere solent: in quod non nisi acceptissimi quidã necessarij ingrediãtur, qui laborantẽ non importunè interpellent, & nunc mansuetè consolentur, nunc austeriusculè corripiãt. Principiò aũt alimentum mulsa esto: mox deinde cremor ptisanæ, & ex chondro sorbitiones, cũ suaui aliquo potu: uerbi causa, apomelite uel hydrorhosato, aut aqua rosacea, aut rhodomelo, uel dulci hydromelo. Nã hydromelum, quod ex Cibra exiguis uasculis importatur uinosum, uitandũ est, in huiusmodi plus nocumenti quàm uinum

excitans, et maximè in capitis affectibus, et ante cõcoctionem. Lotum aqua panem exhibeamus. Intyba item, & lactucas elixas. Si immensus infestarit feruor, hæc cruda sunt exhibẽda. Cucumeris item medulla, & peponis & dorycnij, & consimilium. Aqua uerò gelida illis abstinendũ, potißimè si septi trãsuersi consortiũ affectionis causam deprehendamus. Quòd si lotium, ut par est, ob dementiam retineatur, calentis hydrelæi rore pectinẽ atq; uesicã fouebimus. deinde & digitorũ manus innixu loca prementes, proritabimus urinæ profluuiũ. Calido præterea oleo reliquam corporis molem ipsis decumbentibus perungemus. & ne sursum uersus agitentur, pro uirili cauendum: siquidẽ opulẽti fuerint, ministrorum custodia obseruentur: sin autẽ inopes, uinculis constringantur. Inordinatus quippe motus uirtutem debilitat. Alia quoq; ratione iam antea foti pedes uinculis excipiantur, et antispasis causa contrectentur. Si autem lõgior ac pertinax fuerit affectio, ab illis quæ soporem inducunt, coërcendi sunt. Admiscenda sunt autẽ quæ capiti adhibentur adsperginibus diaphoretica, succus uidelicet mentæ, aut serpylli, aut nepetæ, aut rutæ. Errhinis præterea tunc utendum, sed post septimanam. si uiscera inflammata fuerint, ex semine lini, & hordeacea farina, cum hydrelæo formato cataplasmate, mitigemus. Ad hæc cucurbitulas leues, aut concisa scalpello cute, tum ijs ipsis, tum ceruici ac spinæ imponamus. Si corpus squalidum et torridũ uidetur, et adhuc febricitet, balineis quoq; ex aqua potabili et unctione largiori utendum. Vinum tenue nullarũ fermè uiriũ, uires recuperandi gratia propinandum: nullam ex ipso mentis alienationẽ, ut consentaneũ est, orituram sperantes. aut enim nõ fit, quum adsit iam declinatio: aut iam facta facile desistit: aut remittẽte morbo, gestationibus, & decenti uirium refectione utendum. Cæterùm mente capti ad se reuertentur, si ebrietatem, iram, ciborum corruptelam, atque præ alijs omnibus, æstum solis fugiant.

De inflammatione cerebri. Cap. 7.

CErebrum inflammatione oppressum, in tumorem sæpe adeò attollitur, ut testæ commissuræ distendantur: dolor grauissimus & diuturnus, cibiq; uehemens fastidium siue angor comitatur, rubor multus in facie cum tumore laxo, oculi proterui, exerti, et caput turgidum euadunt. Vena sic affectis incidenda, uasa cubiti euacuanda, ex naribus & uasis sub lingua sitis sanguis exhauriēdus. Vtere porrò ad capitis inflammationes, superfusionibus, cataplasmatis item quæ tum humectandi, tum maturandi facultatem habent.

De erysipelate cerebri. Cap. 8.

ORitur etiam in cerebro erysipelas, cui obnoxius patitur eiusmodi: percipit cruciatum uniuerso capite, quasi in eo flāma exardescat, facies subpallida frigescit, os inarescit. Ad hunc igitur modum habenti sanguinem detrahe, maximè de uenis linguæ subditis, quoniam malum leuius reddit. Frigorificæ præterea facultatis remedia adhibe, quibus in alijs pariter ignitis cum inflammatione rubedinibus utimur.

De ueterno, qui lethargus Græcis dicitur. Cap. 9.

LEthargus, cum itidem rationalis uis quædam noxa sit, eundem quē phrenitis locum, cerebrū inquā, occupat: sed contrariam habet materiā, pituitam scilicet, humidiorē & frigidiorem, cerebrum irrigantē. Comitatur autē ueternosos lenta quædā & ignaua febricula, non admodū mordax, cum delatione in somnū profunda. Pulsus magni, rari, & undosi. Respiratio nimis rara & imbecillis, somniq; inuictum desiderium: inactuosi, & marcore quodam languidi sunt, ægrè uocantibus respondent, obliuiosi, desipientes, oscitant crebrò, & ore aliquandiu distento manent, quasi id claudere obliti. Deijciunt autem per aluū pleriq; humidiora, quibusdam uerò cōtrario modo uenter arescit. lotiū iumentorū urinæ similē reddunt. Nonnulli ex eis intremiscunt, & undiq; sudant. Cæterū Caros ex eadem lethargi materia proueniens, eo tantum ab illo dissidet, quòd

quòd Carum febris uehementior præcedit, Lethargum sequitur: quodq; Carus aliis aliquod symptomatis superuenit, febrium puta exacerbationibus plerūq;, & comitialibus, & coarctationibus cerebri, nūc quidē fracta caluaria, nūc uerò mēbrana anteriorem cerebri uentriculū ambitu seruante oblæsa. Verùm lethargus peculiarem quandam cōstitutionem habet.

Curatio lethargi.

Si uires ægri permittunt, etiam hic uena incidēda est: si non concedūt, acribus clysteriis utemur. Decumbat æger in ædibus amplis, et mediocrē lucis splendorem obtinentibus: caput olei imbre fouendū, cui adiectum sit castoreū. Neq; desunt, qui olei loco oxyrhodinū cū castorio usurpant, robur inde pariter & calorem capiti indentes. Reliquam uerò corporis molem, & præsertim extrema, oleo ueteri oblinentes, cum nitro tosto, aut pyrethro, aut pipere, aut grano Gnidio detergūt. Potest uerò quis & cerato ex his unà cum castorio cōfecto uti. Odoramenta præterea offeremus, thymum, aut origanum, aut pulegium aceto leuigatum. Os porrò, & palati cœlum, sinapi trito cum exiguo mellis, illinito: adhærentē glomeratamq; digitis pituitam eiicito. Quod si admiserint, & apophlegmatismo utitor ex oxymelite cū hyssopo, pulegio, aut origano, aut ipso etiam sinapi. Propinabis aliquid eorū quæ ocyssimè transeunt, præsertim diospolitici quantū capit cochleariū unum cum posca. In diuturnis autē tremoribus exhibendū est castoreum scrupulorum duorū aut trium pondere. Vbi uerò humorum extiterit nimietas, neq; quicquā aliud prohibet, scammoniā unius scrupuli pōdere castoreo admiscebimus. Perseuerante uerò etiamdum affectione, derasum nouacula caput, salibus, milio, et consimilibus, lineo sacculo inditis, fouere expedit. Ad hæc sinapismis secundum caput, & his quæ sternutamentū proliciunt utendū: deinde cucurbitulæ occipitio sunt admouēdæ, partim leues cum multa flāma, partim uerò incisa scalpello cute. Naturalium interim excretionum nunquam obliuisci conuenit,

tum

tum iniectionibus, tum ijs quæ cient lotium. Irrigabis autẽ pectinẽ oleo rutaceo, aut Sicyonio, cũ momento castorei. Crebrius uerò ut deglutiant admonendi sunt, calidæ aquæ dulcẽ aliquã potionẽ, præcipuè ex melle ori instillãtes bombylio, angusti oris calyce. Et sicubi mediã quoq; regionẽ occupauerit aliqua inflãmatio, huic itidẽ adspergines et cataplasmatis medendum. Naribus sinapi aceto leuigatũ, aut castoreum combustum, admoueto. Ptisanæ uescãtur cremore, aut auenæ, aut alicæ, cum aceto mulso, aut sale, aut pulegio, nunc quidẽ quotidie, nunc uerò alternis diebus: post cibum uinculis stringãtur, partes extremæ quamplurimũ percellantur, cruraq; pungentur, pili nonnunquã uiolentius excitentur euellendi. Iam femora & crura rubicunda medicamentis exulcerantibus facta, sæpiusculè iuuant. Declinante uerò iam affectione, alterna sublevatione, reclinationeq;, gestationem uocant, utendũ: atq; in balneũ ducendi: refectrix deniq; educatio cõuenienter adhibenda.

De catocho, aut peruigili comate. Cap. 10.

IAm in sermone de phrenitide habito, huius morbi rationem perstrinximus. Notas in uniuersum habet cum phrenitide ac lethargo aliquo modo cõmunes, sed pro exuperante materia uariantes. Priuatim uerò has obtinet: Opprimitur ac decumbit laborans supinus, protensus, facie interdũ subtumescente & mediocriter pallida, lethargicis persimili: quãdoq; uerò & rubor in ipsorũ uultu efflorescit, & sursum uersus palpebra superior conuelli uidetur, & ita extare, ut nequeant conniuere: nulla apparet respiratio, sed æger tanquã extinctus iacet, paruum atq; obscurũ retinet arteriarum pulsum, & uehementer crebrum: urinæ & aluus cohibentur, uel exiguè redduntur. Qui meliusculè habẽt, liquorẽ per fauces infusum deglutiunt: qui uerò malo succumbunt, regurgitando per nares reijciunt. Quum igitur pituita bilẽ superat, à lethargicis eo separãtur, quòd neq; tumet facies, neq; liuida cernitur, quemadmodum lethargici, nisi quòd paulatim leuiq; sudore diffluunt.

Grauiore

Grauiore in periculo sunt, qui uigilijs continenter defatigantur, si lotia non procedunt, & suspiriũ interruptũ intenditur, sudor erumpit, haustuq; ipso potus in nares ebullit & regurgitat. Quòd si mulier hoc malo cõflictabitur, ab ea quæ uterinæ suffocationi obnoxia est, hac nota discernetur, quòd secundum naturã uideatur iacere, & ea quæ dicuntur percipere, et nunc exurgere, nunc denuò graui somno recumbere. Est ubi diuersum à uigili comate catochon tradunt, non compositã, sed simplicem quandam causam habentem: frigidiorem quippe et aridiorem materiã, quæ posteriore cerebri sinu obturato, affectionem hanc effecerit, qua subitò deprehensus, in codẽ habitu in quo correptus est, permanet: uerbi causa, stans, aut sedens, clausis oculis, aut respiciens. quapropter uetustiores Græci catochos, catechomenos (id est, occupatos & deprehensos) in eo malo constitutos nuncupauerunt. Recentiores uerò catochin & catalipsin, quasi detensionẽ et deprehensionẽ dicat aliquis, nominauerunt. Curatio persimilis quidem prædictis est, symptomatum uerò discrimina diuersis auxilijs indigent.

Curatio catochi.

In hoc quoq; somni marcore sanguinẽ detrahere expedit, potissimum in quibus facies rubicundior existit, uirtute corporis permittente: aut clysteribus utendũ, nunc quidem pituitam modum naturæ excedentẽ elicientibus, nunc uerò bilem redundantẽ placantibus. Pari modo aliorum quoq; præsidiorum ratione utendũ, eodemq; modo ægrum nutrire, nunc diebus quidem singulis, nunc uerò alternis, conuenit. Affectus uerò ualde periculosus est, si ex aliquo cibi aut potus errore contingit. qui ut uomant, protinus cogẽdi sunt, & cõtractiori uictus ratione compescendi, aluus irritetur, uiscera superfusionibus ex cymino aut ruta irrigentur. Cæterũ qui ex temulentia id mali contraxerunt, ijs ebrietate discussa, humidiori alimẽto succurrendum, cuius generis ptisanæ cremor cẽsetur. caput ad hæc conuenientibus illinitionibus humectandũ: æstate quidẽ, frigidis:

hyeme uerò tepidis. Si crapula non soluatur, neq; ad sobrietatem reuertantur, deploratæ ualetudinis ægro manus admouenda non est.

De memoriæ iactura, & ratiocinationis labe, Caro & Morosi. Cap. 11.

NAscitur quãdoq; memoriæ abolitio priuatim, quandoq; facultate rationali simul uiolata: quemadmodũ et mentis seu ratiocinatricis animæ offẽsa primò per se cõtingit, deinde sortitur memoriæ iacturã comitẽ. Verùm utraq; mẽtis scilicet & memoriæ, parte malè affecta, morosis, id est, fatuitas creatur. Obtinẽt uerò cõmunem ex malo tẽperamento illic existente, causam. Quod ubi udũ modò fuerit, memoriæ et ratiocinationis noxam, torporesq́; & grauiores somni impetus (quas cataphoras appellãtãt) et altos deniq; prolixosq́; somnos inducit. At si humori frigus quoq; accesserit, nõ tam caros, id est, sopores, quàm lethargũ inuehit. Non dißimili etiã modo cum sola affuerit ariditas, uigilias tantũ: si uerò ariditati accesserit feruor, deliria & phrenitides cõciliat. Cæterũ mala hæc tẽperamenta nũc quidẽ in humoribus, nũc uerò in cerebri cauernis, aut ipsius uasis, aut in humiditate inspersa, aut in ipsomet cerebri corpore, aut temporũ musculis huiusmodi quid patientibus oboriũtur. Si quãdo uerò humores cũ ipsis cõmiscentur, parẽ quoq; affectũ afferũt. sed simplex'ne an cõmixtum efficiẽs tẽperamentũ sit, ex recrementorũ specie facile deprehẽdes. Cæterùm memoriæ & ratiocinationis iacturã frigoris esse prolem nõ ignoramus: an uerò cum humiditate uel ariditate iũcta cõtigerit, id quidẽ ex egestionib. laborãtis habitu, tẽperamento, uictus ratione, tempore anni, ac regione datur cognoscere.

Curatio.

Si frigida fuerit intẽperies, calfacienda est contrarijs: si humiditas accesserit, etiã siccanda: si cõtrà ariditas cõiuncta sit, humectare pariter & calfacere conuenit. Eodẽ etiã modo ubi calida distemperatura, refrigerandũ: si ariditas accesserit, humectandum: sin humiditas, tam refrigerare, quàm arefacere condu-

conducit. In quibus uerò sanguinem plus iusto abundare comperies, uenam incidere, uel clysteribus acribus uti, deinde hieram propinare, tum apophlegmatismos usurpare oportet. Circumlinitiones porrò capitis ex oleo, frigorificis & exiccantibus rebus adiectis, rosis inquam, myrto, lentisco, & huius farinæ cæteris conferunt. Vniuerso etiam corpori cõsulendum. Quod si ex feruore et lassitudine scaturit, caput aceto rosaceo perfundatur. Et reliqua curandi ratio, in alijs cùm esculentis, tum poculentis, infrigidandi humectandiq; naturã habeat. Si Carus Morosi, aut obliuioni superuenerit, huic quoq; prospiciendum, quemadmodum antè de lethargicis tradidimus, ubi eorum etiam discrimen ob oculos expositum est.

De uertiginosis. Cap. 12.

ACcidit affectio uertiginosa, cum cerebrum gelidus glutinosusq; humor occupat: unde ea correpti, etiã leui de causa facile cõcidunt. ut si quando extrinsecus circumagi aliqua, uerbi gratia rotas, uortices, turbines'ue cõspexerint, uel si ipsi quoq; in gyrũ uertãtur: interdũ uerò cum capite incalescunt, cõmotis in eo humoribus, aut etiã spiritu. Nõnunquã uerò coarctatis in angustũ anterioribus cerebri cauernis, perforatu cranij rupti, ex quibus sanè uehemẽtissimi cruciatus oriuntur. Præcedit autem primigeniã affectionem, capitis dolor uiolentus, caros, sonores & sibila aurium. Læduntur nonnulli quidem odoratu, aliqui uerò gustu: quibus uerò per consensum oris uentriculi uertigo accidit, cardiogmus hos & nauseæ consequuntur.

Curatio.

Vertiginosi in accessione quidẽ concinnis odoramentis, frictionibus, ac alijs cõsimilib. excitãdi sunt. In relaxatione uerò discutiẽdæ affectionis gratia, sanguis ante omnia detrahẽdus, deinde hiera purgandũ. Interposito tẽporis spacio, clystere acriori utendum, ex cẽtaurij aut colocynthidos decocto. Post huiusmodi inanitiones caput cucurbitulis occipitio adglutinatis, incisa cute salpello laniabitur: post hæc apophlegmatismis &

sternutamentis utendum. Quos uerò calor capitis & aurium tinnitus molestat, ueluti cum uapores calidi per arterias ascendunt, etiam arteriarum post aures incisio adhibenda est, ut de Chirurgicis exequemur.

De morbo comitiali. Cap. 13.

Comitialis morbus, cum totius corporis conuulsio sit, non sine principum animæ functionũ offensa, partim in ipsa quidem cerebri substantia, partim uerò in ipsius uẽtriculis omnibus cõsistentem habet causam, nunc quidẽ pituitosum, nunc uerò melancholicum humorem. Quin & ex ostio uentriculi affecto per consensum nascitur, quemadmodũ in Colicis, ceu in sermone qui de illis habetur, explicabimus. Vel certè ex aliarum etiã partium cõmunicatione, cum aura quædam frigida ad cerebrũ effertur: interim à cruribus, interim à manus digitis oboritur. Visus est nonnunquã & à locellis in quadam muliercula, tẽpore quo uterum gerebat, prouenisse: post partum uerò cessauit. Accidit affectus iste potißimũ pueris, eisq́; recenter in lucem editis: post hos adolescentibus & adultis, minimè uerò senibus & decrepitis. Præcedit igitur epilepticos, corporis et animæ status quidã inuolũtarius, mœstitia, familiarium, aut eorum quæ auscultauerunt, obliuio, insomniorũ imagines turbulẽtæ, dolor capitis, & continuata eiusdẽ repletio, ex iracundia maximè, pallor itẽ faciei, & inordinatus linguæ motus: nec desunt qui eam cõmordent. Qui stomachi uitio comitiali cõflictantur, hos tremor ipsius præcedit, fluctuatioq́;, et erosio: ieiunijsq́; seu tarda cibi assumptione exacerbantur: imminente uerò symptomate, subitò concidunt, cõuelluntur, & obscurè interdũ & indiscretè uociferantur. Præcipuum uerò illorum indiciũ est, oris spuma, cum cætera cõmuniter quodammodo & alijs morbis eueniant. Quibusdam uerò præter uoluntatem cùm lotium, tum oletulũ excernitur. Nec desunt, quibus & genitale semen. In quibus itaq; morbus acutißimus est, protinus interficit continuitate exacerbationum, & eorum quæ

super-

superueniunt uehementia. Cæterùm magna ex parte longus est: ideoq; si nõ in pubertate, aut mulierũ expurgationum, aut conceptus tẽpore cessauerit, aut si post hoc tempus inuaserit, plerunq; ad mortis usq; diem comitatur, nisi peraccõmoda remedia fuerit nactus. Arguit autẽ comitiali correptos, ex bitumine, aut gagate lapide, aut cornu caprino suffitus: comestum item ietur hircinum, aut iocinoris aßi nidor.

Curatio morbi comitialis.

Si comitiali implicitus infans adhuc fuerit, nihil satagere conuenit: ætate nanq; usq; in statum biliosiorẽ & aridiorem uergente, uictusq; frugalioris usu, sua sponte plerunq; affectio cessat. Oportet autẽ infantulorum & lactescentiũ uictus duntaxat rationẽ obseruare. Qui post primam pueritiæ ætatem incidunt in epilepsiã, eorum conuulsas & distortas corporis partes pingui irrigare, constringere, & in rectũ redigere, deinde ori diducto, digitũ aut pinnã oleo irino imbutã inserere ad detrahendã pituitam, consilium est. Sensus odoramentis ad hæc excitandus est: uerbi causa, peucedano, cyrenẽsi succo, bitumine, & pice cedrica. Post acceßiones uerò (nisi quid prohibeat) sanguis è cubito mittendus est. Acceßione uerò nihil remittente, extremas corporis partes sinapismo obline, cucurbitulamq; præcordijs applica. Quòd si hæc nulla comitetur intermißio, minima salutis spes est. Confidenter tamen medicus castorium ori uim faciens infundat, & liquorem cyrenaicum, cum melle & aceto: per sedẽ decoctum centaurij uel colocynthidos immittet. Exurgentes uerò à comitiali paroxysmo, refecto uirium robore, purgatione hieræ euacuari debent. Hæc utiq; recẽtis & acuti comitialis medela est: deinceps uerò quæ ad arcendum inueteratum morbũ faciunt, trademus. Affecti igitur potu aquæ quàm diutißimè continendi sunt. Exorsi curationẽ à sectione uenarũ, si nihil dehortetur: interpositis quatuor aut quinq; diebus, corpusculũ reficiemus, ac tum medicamento purgante euacuemus, maximè ueratro nigro, aut colo-

cynthide, uel certè ſcammonia. Oportet autē ueratrum abſq;
medulla cōtuſum, & per ſubcerniculū traiectū mulſæ cyathis
quinis aut ſenis inſpargere, uel melle diſcocto cū exiguo pipe
re excipere. Colocynthida uerò, ſemine abiecto, interiore far-
ctu ſeruato, paſſo implere, & ſolidā noctē macerari: matutino
uerò diluculo appetēte, paſſum à colocynthide tollere, & pro
pinare. Aut ex cādido ueratro medicamentū purgās uſurpan
dum. Eſt autē id eiuſmodi: Baccarū lauri decorticatarū, pipe
ris albi, alypiadis, euphorbij, ueratri albi, uniuſcuiuſq; drach.
octo. hæc quidē exhibebis una doſi cū paſſo, quod in colocyn-
thide pnoctauit, pulchrè quidē euacuat per uomitū. Satis uerò
purgati, lauādi ſunt: tertiò uerò die cucurbitulæ præcordijs
& ſcapulis, conciſa ſcalpello cute, ſunt imponendæ. Poſt hæc
pluſculis aliquot diebus interiectis, corpuſculo rurſus recreato
hiera ex cucurbita ſylueſtri aluus ſollicitanda eſt. Quibus per
actis, cucurbitulæ capiti & occipitio defigētur. Sequēti uerò
die, laboranti panis mulſa decoctus & cōtritus cū amygdalis
amaris, aut ſerpillo, aut mēta, aut nepeta, ruthâue, catapla-
ſmatis inſtar applicādus: id per triduū cōtinuè agendum. Poſt
hæc tōdi caput, et peucedani ſucco cū aceto diluto, in quo ſpon
dylium ſit elixū, perungi debet. Rurſus ſpacio interpoſito, et
corpore refecto, antidoti è colocynthide obolos nouē in aqua
mulſa corrigito: & interpoſitis iterū diebus, exhibe antidoti
obolos tres, mox inde pharmacis quæ ſternutamenta citēt, ute
re. Poſt quinq; aut decē dies, caſtoreū in mulſo propina. Quie
te denuò intercalata, aluus clyſtere ex cētaurij & colocynthi-
dis decocto eluēda eſt: rurſum deinde hierā ſuppedita, & apo
phlegmatiſmis deinceps, & purgātibus per nares, ad hæc ſi-
napiſmo qui capiti inducatur, cibis item acrioribus tēpeſtiuè
utendū. Cōfert his quoq; oxymel ſcylliticū quotidie epotū: atq;
mel in quo ſcylla ſit liquefacta, mēſura cochlearij. Victus por-
rò ratio illis expedit, quæ incidēdi extenuandiq; facultatē ha
bet. Proinde & capparis aſsiduè cōmanſus, & ſalſamentum
conducunt.

cõducunt. Abſtinẽdũ uerò à carnib. leguminib. et uino immodico, à uenere itẽ immoderata, balneisq́; et ſinapi, potuq́; cõfeſtim à balneo, potißimũ meri. Vtẽdũ uerò exercitijs et fricationib. quæ poſt omnes corporis partes, capiti quoq; adhibendæ ſunt.

De iis qui ſtomachi conſenſu comitialiter concidunt.

Quòd ſi primarius ſtomachi affectus comitialem inuexerit, ut probè cõcoquat, ægrotãti ſolicitius proſpiciendũ eſt. Ad horã igitur tertiã panis accuratè præparatus, ex uino aſſumendus diluto, modicè adſtringẽte, & albo. Exhibebimus itẽ medicamentũ ex aloẽ, bis aut ter quolibet anno. Noui quãdoq; puerum (inquit Galenus) nunquam ſanè poſtea comitiali morbo conflictatũ, quãdiu radicẽ glycyſidis (quã pæoniã nuncupat) magnã et recentẽ collo ſuſpẽſam geſtauerat. Præterea et agaricum eo morbo oppreßis ſubuenit, ſeſeliq́; ac ſpõdylij tũ ſemẽ, tum etiã radix. Necnõ et ariſtolochia rotũda cũ aqua ſumpta. Opitulatur aũt magnificè crurũ ſcarificatio iugiter adhibita.

De iis qui alicuius membri uitio comitiali uexantur.

Ingruẽte iam ſymptomate, cũ ſentiunt ab aliqua particula ſiue pes uel manus ſit, excitari, oportet laqueo brachiũ aut tibiam fortiter ligare. Inclinãte autẽ morbo, à laßitudine uindicare, adurens aliquod medicamẽtũ affectæ parti inducẽtes: cuius farinæ lepidiũ eſt, aut quod ex cãtharidibus cõſarcinatur, & id genus. Iulianiũ porrò oxymel in ea affectione cõſtitutis præſentißimã opem adfert, particulatim emolliẽs materiam. Poſt omnia autẽ quæ recenſuimus, theriaca quoq; & ſponte emergẽtia lauacra locũ habent. Per uniuerſum uerò uitæ ſpacium à cruditate cauendũ eſt ſummopere, et ne cibus ante concoctionem alius ſuperingeratur, craßi item ſucci edulia. Vitẽt tardũ cibationẽ, cõmotionem corporis turbulentã, crapulã, et potu (ut diximus) cõfeſtim à balneo, præcipuè meracũ, uinum ualde uetulũ et craſſæ ſubſtantiæ: acria, et uehementer odorata, quæ caput infarciunt, fixis oculis ex alto diſpicere, diutinam in balneo moram, & capitis ob inſolatum exuſtionem.

De melancholia, mania, & enthesiasticis. Cap. 14.

MElancholia, alienatio quædam mentis est sine febri, quæ ex melancholico humore intellectus sedē occupante, magna ex parte prouenit, nunc ipsomet cerebro per se affecto, nunc uniuersi corporis lege cōsortij cōmutato. Et tertia quædam melancholiæ species est, quæ flatuosa hypochondriacaq; à præcordijs nuncupatur, ex inflammatione præcordiorū circa stomachū oboriens, quæ nunc quidem auras quaspiā uitiosas, nūc uerò essentiæ humoris partem ad caput sursum transmittunt. Communes omnium notæ sunt, terror, animi mœror, hominum odiū. Sunt qui sese animalia quædā bruta autumēt, & æmulantur uoces eorū: alij uerò uasa testacea, & ne frangantur, expauescunt. Alij mortis desiderio tenentur: quidam mortis formidine torquentur. Aliqui perpetuò rident: aliqui cum fletu lugent. Nōnulli incitari se maiore quodam numine uidentur, uaticinanturq; futura, haud aliter quàm diuinaculi & numine afflati, quos entheasticos Græci priuatim appellitant. Peculiares autem notæ sunt, eorum qui per consensum totius corporis melancholia cōflictātur: Gracilitas corporis, nigredo, hirtitudo, & nihil aliud esse quàm melācholicū, siue natura, siue ex aduētitio fuerit, puta per quasdā solicitudines, uel uigilias, uel uitiosi succi eduliorū assumptionē, uel hæmorrhoidum uel muliebrium mēsium retentionem. Sed qui in eam affectionem præcordiorū uitio incidunt, eos cruditates, acidæ ructationes, feruor, & ipsorum grauitas, arguunt, et quod hypochondrium sursum conuellitur, & nonnunquā phlegmone tētatur: quodq; circa exordium, deinde uerò his adauctis, atræ bilis comitātur symptomata, quæ utiq; cōcoctionibus, aut excretionibus, aut flatibus multis, aut uomitionibus, aut ructibus leuātur. Nullo uerò horum, aut paucißimis ex illis apparentibus, melancholica quæ apparent signa, cerebrum per se atræ bilis humore affici testantur. Si quando uerò flauæ bilis plus æquo assatæ, in atram facta fuerit permutatio, manian, id est,

id est, furiosam dementiam inferet, in qua ferocius ferarum more sæuiunt, ut eos qui incautius circa ipsos accesserint, uiolenta manu uapulent, aut interficiant.

Curatio melancholiæ.

Primigenio igitur cerebri affectu melancholicis, lauacris frequentibus, uictu boni succi & humectante, cum opportuna animi uoluptate, citra alterius præsidij opem medetur, quãdo humor infestans temporis diuturnitate nondũ euacuationi resistit: tunc enim potentiora, magisq; uaria adhibere oportet remediorum auxilia. Purgandi itaq; sunt principiò epithymo, aut aloë. Horum quippe uel momentũ unaquaq; die sumptum, plurimum opitulatur, clemẽterq; aluũ subducit. Postquã purgatus fuerit, sicut cõprehensum est, absinthium præbeto, nunc herbam in aquæ duorum cyathorum mensura maceratam et elixatã, nunc uerò eius succi drachmã mediam cum aqua aßiduè liquefactã. Aceti quàm acerrimi momentũ sorbitioni sub somnum porrigitur, ex quo multa obsonia madefacta manducent. Satius uerò fuerit, aceto scyllã permiscere, & polium, et tenuem aristolochiã. Quum uerò inchoante morbo ad curationem accesseris, qui ex lege consortij totius, ut dictũ est, corporis sit, constante uiriũ robore, omnino à sanguinis detractione auspicandũ est. A' uenæ incisione, recreatũ per inferna medicamento, ex colocynthide aut helleboro nigro purgare conuenit. Oraq; hæmorrhoidũ aperire, & muliebres purgationes ciere, si propter harum suppreßionem affectio cõflata fuerit. Probantur etiã remedia cùm quæ urinam proritant, tum quæ per sudores purgãt. At si è præcordiorũ uitio hæc paßio constiterit, etiam horũ curam habere conuenit, fouendaq; eadem decocto rutæ, anethi, absinthij, pulegij, seminis uiticis, & baccarum lauri superfuso: nam hæc dolores mitigant, & flatus communiunt. Coquãtur autẽ in oleo, & cataplasmatis modo imponantur: sed horum cataplasmata, etiã ea quæ flatus dißipant, apium, aut anisum, aut cyminum habeant: neq; malũ, si

cyperus, iris, & libanotis, cataplasmatis iniiciantur. Hæc autē diutius interdū etiam siue comederit, siue ieiunus sit, permaneant: quumq; ea detraxeris, uelamē aliud latū ex lana superapplicato. Cucurbitulis porrò oportet, ad discutiēdos spiritus, leuibus uti: aduersus uerò dolores & inflāmationes, cū scarificatione. Si cū medicina diligentiam coniunctam uis, noli sinapis obliuisci. Vtere ad hæc acribus, exterendi facultate præditis, & dropacibus dorso tenus, & super uentrem. Si uitium in uetustate incidit, præsentißimum est præsidium, quæ cum ueratro per uomitiones fit purgatio. Victus insuper cunctis boni succi, & modicè humectans conuenit. Vitare debent carnes bubulas, atq; ceruinas, lentes, & braßicas, cochleas, uina crassa et nigra, et quæcunq;, uno uerbo, atram bilem pariunt.

Curatio maniæ, siue furiosæ dementiæ.

Mania laborantibusp erinde atq; melācholicis succurritur. Priuatim uerò horū capiti rosaceū, & acetū rosarū adhibeantur: et picræ antidoto, incisa prius uena, purgētur. Admouendæ sunt etiā capiti hirudines. Potißimū autē auxiliatur ipsis erratici fœniculi radix, semenq; ipsius ex aqua epotū, et bryoniæ radicis drach. cū aqua quotidie sumpta. Si uerò ad potionem pharmacorū purgantiū induci nequeant mentis inopes, admiscēda sunt ea clanculū, partim sanè ferculis ipsorū, uerbi causa, buccellis, aut caricis, aut palmulis: partim etiā poculētis adiiciēda. Ante omnia uerò uel in culcitra uinciēdi sunt maniaci, ne malè uel semetipsos, aut familiares quibus incidunt, afficiāt: uel gestandi in lecticulo intra gygartum, hoc est cubile quoddam mente captis consecratum, ex alto pensili.

De Phaunorum, incuborumq; ludibriis, Græci ephialten & epibolen nuncupant. Cap. 15.

Ephialten, quem nostri incubonem dicunt, alii à uiro nomen duxisse autumāt, aut à phantasia, qua patientes aggredi se se ab aliquo imaginātur (ἐφάλλεσθαι enim insilire alteri est, et inuadere.) Themison uero decimo Epistolarū uolumine, à suffocando nimirū pnigaliona, quòd ægrotātes præfocet, appellauit.

pellauit. Id mali potißimè crapulosis, et iugiter stomacho crudis euenit. Comitatur ista affectione possessos, difficilis motus, atq; torpidus per somniū sensus, ac præfocationis in mēte obuersatio, & ueluti ingruētis opprimētisq; alicuius occupatio. ita ut uociferatio supprimatur, aut uox obscura indiscretaq; edatur. Quidā inani phantasia ducti, etiā audire sæpe eum qui se oppresserit, ac uenerē exigere credunt: sed eos digitis pectinatim coniunctis, siue contractis, in pedes sese conijcere. Occurrendū itaq; malo accuratè statim inter primordia. Nā si multo procrastinatur tēpore, iugiter noctu inuadens, grauius aliquod malū denunciat: morbū attonitum, furiosam insaniā, & morbū comitialē, quamprimū in caput uitij huius materia irrepserit. Quæcunq; enim epileptici interdiu, eadem noctu per quietē ephialtici patiuntur. Expedit igitur, secta prius uena, purgationibus uniuersum laborātis corpus euacuare. Egregiè autē præter cætera hoc malo detentis, ater helleborus drach. unius pōdere subuenit. Scāmonia admixtis obolis tribus, atq; bene fragrātiū odoramētorū aliquod, anisonēpe, dauco, petroselino. Quæ ex sicyonia cōficitur hiera, efficacius succurrit. Refertur autē hoc medicamētū ad Ruphū. Victus tenuis esto, et flatu penitus carēs. Præsidio erit ipsi patiēti pœoniæ semē. Quindecim autē grana eius nigra cū aqua idētidē propināda.

De Lycaone, aut Lycano. Lycanthropó ue. Cap. 16.

QVi lycanthropia correpti sunt, per noctē domo exilientes lupos per omnia imitātur, & quoad dilucescat, circa defunctorū monimēta plerūq; diuersantur. Notis uerò sequētib. eo morbo oppreßū deprehēdes: perpallidi sunt, cernūt imbecilliter et obtuse, oculis aridis & lingua aridißima, nullā saliuā expuūt, siti excruciantur. Tibiæ, quoniā frequēter impingūt, ita exhulcerātur, ut curationē nō recipiāt. Hactenus indicia. Cognoscendū q. lycāthropia melācholiæ species est, cui circa tēpus acceßionis morbi succurrēdū, sanguinis usq; ad animi deliquiū detractione, educatione laborātis cū boni succi alimētis:

Lauacris

Lauacris dulcibus, deinde seri lactis per triduum usu, & purgatione hieræ è colocynthide bis aut ter repetita. A' purgationibus uerò, ea quæ ex uiperis constituitur theriaca, & cæteris quæ de melancholia memorauimus. Accedente iam morbo, solennibus soporiferis caput irrigandum, opioq; in somnum uersis, nares inungendæ.

De iis qui amore insaniunt. Cap. 17.

CVm amores solicitudinibus curisq; constent, neutiquam absurdum fuerit, eos cerebri affectibus adnectere. Cura uerò animæ quædã est affectio, in motu laborioso ratiocinatione occupata. Comites autem uesaniæ huius notæ habentur, oculi concaui, lachrymas nullas effundunt, sed uoluptate quasi perpetua perfusi apparent: palpebræ crebrò mouẽtur. Cæterisq; corporis partibus non collabantibus, soli illi amatoribus concidunt. Pulsus proprius amantium nullus est, quemadmodũ autumauerunt quidã, sed qualis eorum qui solicitudinibus multis sunt impliciti. Cæterùm cum recordatio rei amatæ, uisu uel auditu, præcipuè ex improuiso subierit, tum protinus perculsa mente pulsus pariter cõmutatur, neq; naturalẽ æquabilitatem neq; ordinẽ seruat. Hos igitur mœstos & peruigiles, cum quidam dispositionem nõ satis pernossent, uinculis, solitudine, tenuiq; uictus ratione cõsumpserunt. Ex quibus cordatiores, deprehenso amante, in lauacra, & comessatũ, & gestationes, et spectacula, fabulasq; animũ abducunt. Quibusdam terrorem incutere cõuenit. Qui amori perpetuò uacant, malũ indelebile efficiunt. Oportet igitur illis cõtentiones proponere quasdam eius generis, quod prosecutus est antea quisque, prorsusq; ad alias solicitudines mentem & cogitationem transferre.

De morbo attonito, quam apoplexiam Græci: & diminuta apoplexia, quam hemiplexiam, aut resolutione, quam paralysin appellitant. Cap. 18.

QVando communis neruorũ origo afficitur, atq; inde uniuersæ corporis partes sensu simul & motu spoliantur, morbus

morbus attonitus Romanis, Græcis apoplexia nominatur, principalibus animæ functionibus oblæsis. Si in alterutra capitis parte obstructio fiat, hemiplagia atq; paralysis nuncupatur. Si in alterius partis aliquã particulã incubuerit oblæsio, eius tantũmodo partis affectio dicetur. Crus itaq;, inquit Hippocrates, ipsi apoplecton euaserat, pro eo quod erat resolutum. Quocirca seruatur in attonitis exigua quædã respiratio: quæ si plurimũ à naturali operatione recesserit, summam esse affectionem arbitrare: si paululũ, exiguã. Pessima uerò est, quum intermittitur, uel magna etiã cum uiolẽtia trahitur. Fit autem affectio, gelida pituita semel & cõfertim principalissimos cerebri sinus infarciente. Si quãdo uniuersum spinæ principium dicto modo conflictatur, omnes quæ sub facie constitutæ sunt partes, ipsa manente incolumi, resoluũtur: eo quòd partes quæ inibi habẽtur, cùm sensationis, tum motionis uires cerebro acceptum referant. Si uerò ex medietate affligitur, illarum partium resolutio constituitur. Vbi uerò odorãdi facultas interit, uel anteriorum cerebri uentriculorũ intemperie affectorũ, uel meatuum qui ethmoides à colando dicuntur, obturatorũ, affectio est. Attoniti igitur procumbunt sine uoce, sine motu, citra sensum, & absq; febre. Præcedit eam affectionẽ, capitis repentinus et acutus dolor, pulsus uenarũ circa guttur (sphagitides Græci appellant) turgentes, uertigines, tenebricosa lucis obscuritate oculis obuersante: oculorũ incerti et discurrentes lucis splendores, frigus extremitatum absq; causa, totius corporis tremor, difficilis motio, dentium in somno stridores, lotium quasi rubiginosum, atrum, paucum, cum corpulentiore farinæ simili hypostasi. Eo morbo facilius tentantur circa senium, maximè pituitosioris temperaturæ homines, & eiusdem naturæ uictus ratione utentes. Si quem in iuuentute atq; æstiuo tempore oppresserit, summam necessitatem arguit.

Apoplexiæ, & hemiplexiæ, paralysis ue curatio:

Morbus apoplexiæ uel nullam, uel difficilẽ admitit curationem,

tionem, mortē quippe minatur subitam. Si quo etiam medio elī ditur, cum paralysi plerūq; partis alicuius corporis discedit. In quibus itaq; ulla salutis spes est, ijs uena quāprimum incidenda est: et si remißionē quandā adipiscantur, eodem die, siue sequente sanguen auferendū est. Aluus quoq; acri clystere muria & melle mixtis subducēda. Deinde oleo copiosiore sulphurato uniuersum corpus inungendū. Caput chamæmelino, uel anethino oleo, in quo scilicet spōdyliū aut nepeta fuerit elixa, irrigandū. Mulsam præterea instillato, et quæ ingentē odoris fluxū emittūt, naribus admoueto: Opoponaca scilicet, aut sagapenū, galbanū item, uel castorium. Oportet autē ori quoq; uiolēter aperto, digitū aut pennā oleo madidum, ut ea quæ molesta sunt, eijciātur, intus mittere: sedē quoq; ijs quæ flatus subducunt et discutiūt, oblinire. Potui aquā mulsam, siue oxymel exhibere cōuenit. Vtemur etiā apophlegmatismis, è thymo uel origano in aceto elixis. Vbi uerò malū remiserit, mollē & facilis digestionis, succulentūq; cibū assumamus. Mutitate uerò permanente, si per uirtutē integrū fuerit, cucurbitulā cum scarificatione ceruici applicemus. Si liceat, etiā præcordijs: deinde gestentur biga, aut uehiculo, aut pensili culcitra. Vsurpāda sunt et ea que sternutamentum proliciunt crebrius, neq; his etiam minus apophlegmatismi. Post decimū uerò ac quartum diē, ad reliquas gestationes perducemus. Sermocinationis præterea curā habere oportet: et peruetustum apomeli ministrabimus cū micis uel alica: post hæc exhibēda est hieræ quàm minimū, à uicesimoprimo die in balneū ducētur: uinū tenerū calēti aquæ diluiū potioni datur. Vires inde balineis atq; illinitionib. restituendæ sunt. Perducātur, si fieri potest, in loca maritima.

Resolutionis, quam paresin nuncupant, curatio.

Quòd si principalibus animæ functionibus illæsis, omnes uel quædā corporis partes resoluātur, etiā hic qui infestat humor, qualiscūq; fuerit, euacuādus est. Mox hierā, quæ castorij partem admixtā habeat, porrigito: à dimidio quidē drachmæ auspicans

auſpicans, cum momento mellis & calida aqua dilutam, uel per ſe, et piperis dimidiato ſcrupulo adiecto: poſt hæc quatuor diebus interpoſitis, integrã drach. exhibebimus: ab hoc ſeſqui drach. poſtremè duas ac tres, atq; tum rurſum totidem diebus intercalatis quatuor drachmæ ſunt offerẽdæ (ſi modò per languentẽ liceat) addito mellis cochleario. Mẽbris uerò medicamenta quæ diſcutiendi facultatẽ habeant, quæq; exaſperando cruentũ ruborẽ cutis excitare poßint, applicãda: quibus cum caſtoriũ, aut piper, aut pyrethrũ, aut ſemẽ roris marini, aut euphorbiũ cõmiſcebimus. Super hæc uerò embrochæ etiã proſunt, quæ oleo rutaceo, aut ſicyonio, aut alioqui peruetuſto conſtant. Eſculẽta cõueniunt frumẽtacea, & quæ ſorberi cõmodè poſſunt, aut aliàs nõ difficilis cõcoctionis, et ſuperuacaneis recrimẽtis exortia. Cucurbitulæ partibus reſolutis, ſi plures fuerint, diuiſim: ſi paucæ, uni adglutinẽtur. Poſt cucurbitularũ uſum, cataplaſmata ex pice, aut reſina, aut mãna, illinito. Ex re aũt & uſu fuerit, artemiſia elixa cum nepeta, conyla et nitro, aquæ tãtillo quæ elixãdo cõſumetur, admixto. Aluus denuò ſubducatur, uel cum aloẽ, uel polypodio, uel ſcãmonia, uel pulte ex colocynthide. Vnguẽta itẽ proſunt ex oleo ueteri illita, in quo ſcilla macerata dies quadraginta ſub ſole fuerit. Si huius copia non ſit, ſcillæ uncias duas in oleo coquito, atq; circunlinito: aut ſemẽ roris marini cõſimiliter præparatũ. admiſcẽda uerò ceræ eſt uncia, ne diffluãt. Quòd ſi galbani quoq; et caſtorij, euphorbij, adarces, atq; nitri, ſingulorũ ſemiunciam aßũpſerit, multo efficacius in medẽdo fuerit. Amuſſatim porrò quadrabit et ranũculus herba oleo elixa, et inſolata. Cõducũt potiones caſtorij drach. unius põdere, et opopanacis fabæ inſtar deuoratum. Mirum quantum opis adferat etiam ſagapenum erui magnitudine in mulſa: caſtoriũ pariter cum opopanace, ſuccoq; Cyrenaico, milij quantitate. Confert etiam quæ è tribus piperum generibus conſtat antidotus. Quin & calorificis acopis apophlegmatiſmisq;: poſt decimum & quartum

diem,

diem, plenioribus cibis utemur. Plusculo iam auxilij cõciliato, balneo credemus. Post tricesimũ diem dropace quoq; utendum, atq; lauandũ, deinde sinapi emplastri modo inducẽdum, in his in quibus motus atq; sensus perijt. Aduertentes tamen, ne (quoniã ustionẽ non sentiũt) plus satis perurantur. His uerò qui sensu minimè destituũtur, cutẽ cruẽtare dũtaxat cõuenit: pòst tumorẽ inductũ, in balneũ deducere, et cerotis mollib. mederi. A cœna uomitione, uel radicula citata utãtur. Gestationibus itẽ sellæ, uel plaustri manualis, aut rhedæ. Reliquo uerò tẽpore in naturalia lauacra deducãtur. Magna postremò cum utilitate uictus siccior, potionis frugalitas, atq; fricatio adhibetur. Epulis itaq; siccis uescãtur, sitis pro uiribus tolerantes.

De iis qui laxatione aut extensione resoluti sunt.

Quoniam autẽ artus resolutionẽ experti uel conuelluntur, uel relaxantur, idq; interdũ plenitate, interdũ uerò uacuitate, rursum attendendũ est, partim sanguinem esse detrahendum, partim uerò minimè. Deinde in partibus quidẽ relaxatis, remedijs laxantibus ea quæ astringunt misceto. In contrarijs, relaxantibus solummodo utendũ, cum perfrictione molli. Complectatur autẽ oleum, quod relaxatis adhibetur, nitri contriti, fecisq; uini crematæ paululũ. Fotus erunt ex aqua admodum calida, præcipuè marina: in qua elixentur lauri, uel agni germina, aut sampsychum, uel aliud quiddã eiusmodi. Aestiuo uerò tẽpore in mari natationes, et summæ cutis exasperationes, uel inprimis conferunt. Vapulent itaq; partes afflictæ ferulis, aut ramulis urticæ. si resolutio perseueret, oportet flaccescentem ac resolutã inter articulos carnem attractam comburere, transfigentes candentibus ferris exilibus & tenuibus: sed contractis partibus, dropacem continuò superaccommodare.

De ea quæ in unoquoq; membro consistit resolutione.

Quæ dissectis neruis accidit paresis, nullo medicamine uincitur. Sed quam intemperantia, aut humor aliquis cõciliauit, huic in genere quidẽ facultatibus prædictis succurritur. Sunt

uerò

uerò peculiares quædam singulis ipsorum, quas subnectemus, medelæ. In his igitur qui canina cõuulsione raptu'ue impetuntur, per phorceã instrumentum quod uocãt, ex æquo in diuersum deduces. Sanguinisq; ex subiectis linguæ uasis detractio competit. Cucurbitulæ item circa priorem dorsi uertebrã adglutinatæ, atq; apophlegmatismi & per nariũ infundibulum factæ purgationes cõferunt. Sciendum igitur est, nõ eam quæ diuaricasse uidetur mandibulam, resolutionẽ expertam, sed oppositam. Ingluuie uerò uulsa paresi, cucurbitulæ mẽto sunt defigendæ. Vtendum præterea, quæ castoreo, sagapeno et succo Parthico cõstant, illitionibus. Confert etiam gargarismus ex rebus acribus. Lingua porrò paresi infestata, uenæ ipsius secãdæ sunt cucurbitulæ mento apponendæ, utendum apophlegmatismis ex sinapi, & exercitationibus linguæ. Vocalibus uerò instrumentis resolutionem expertis, thoraci afferenda sunt præsidia, spirationis suppreßione, exlamationeq; utendum. In superciliorum uerò paralysi, palpebrarum inunctiones pariter cõducunt: prodest etiam cõsutio. Vesica autem resoluta, siue lotium cohibeatur, siue citra uoluntatem excludatur, pectini et tauro medicamento adhibenda sunt. Sedi uerò oleum rutaceum, aut sicyonium, adiecto butyro et castorio, aut galbano, aut opopanace, aut lasere infundendum: quæ quidem per colem uesicæ immissa, plurimum opis contulerunt, aut sola etiam suffecerunt. E`centaurio præterea et colocynthide clysteres cum sicyonio intestinis non inutiles sunt. Prosunt item pharmaca quæ lotiũ proritandi facultatem obtinent epota et castorium consimiliter: sed ante omnia, ijs qui nihil lotij emittunt, id per siphonculos uesicarios (quos catheteras Græci uocant) eliciendum est. Balneis porrò relaxantibus insidendũ et cataplasmatis inde confectis utendũ. Si uerò præter uoluntatem lotium excernitur, cum roborantibus præsidijs adstringendũ, alimenta arida, et potus gelidos usurpandum. Quum instaurantur, rubores in summa cute cõcitare, & naturalibus balneis frigidis

uti conuenit. Resolutio uerò spinæ ob uulnus, aut casum, aut luxationem uertebræ, lethalibus symptomatis cõfluentibus nullo remedio eliditur. Quòd si penis resolutus est, iisdẽ quæ ad uesicam pertinent, utendũ. In iisdẽ partibus atq; lũbis, etiã iis quæ intendendi uim obtinẽt, utemur. Improbatur lac, caseus, & reliqua bellaria, lactucæ cũ cæteris oleribus. Recto aũt intestino resoluto, quandoq; ab inuitis oletulũ excernitur, quandoq; retinetur, iisdẽ utendũ est remediis, aliàs quidẽ eadẽ p clysterẽ immittẽdo, aliàs uerò astringentia: uerbi causa, decoctũ cupreßi, lẽtisci, rubi: aliàs remittẽtia, cuiusmodi sunt adeps suillus, aut anserinus, et oleũ maluaceũ: nonnunq̃ et mordẽtia, ueluti salsugo, aut colocynthidos, aut similiũ decoctũ. perinde enim motiones, atq; ipsa agitatio promouet. Si autẽ frigus apprehẽderit, acopũ ex euphorbio cũ oleo dilutũ immittito. Membra postremò resoluta, cõmuni cura flectito, perfricato, et quẽadmodum prædiximus, distendito: summa nanq; spes in frictione sita est.

De paralysi ex colico morbo contracta.

Colica quædam affectio nostra ætate incruduit, quam (et præcipuè eos qui euasuri erãt) motionis exacta quædam membrorũ orbitas comitabatur, sensu tactus incolumi, ut uidetur, cõseruato, tanquã iudicatorio aliquo trãsitu ex corporis profunditate in extremas particulas facto. Proinde citra medicamentorũ subsidiũ ultro plerisq;, motus postliminio reuersus est: alios uerò qui difficilioris curationis fuere, etiam simpliciora ex prædictis unguenta persanauere. Præcipua uerò his inuenta sunt, tum id quod è populo nigra, tũ quod ex abiete concinnatur acopon. Plures uerò medicamenta quæ robur inserunt, & mediocriter refrigerant, magnificè iuuerunt.

De conuulsionibus. Cap. 19.

HAbito de Paralysi sermone, consequens est, ut de Conuulsionibus agatur: quoniã utraq; neruorũ est affectio. Cuius rei quoq; gratia de tremoribus deinceps subnectemus. Quando igitur circa morbi statim exordium, uel haud longè ab initio conuulsiones orsæ diutius perennant, à plenitate trahunt originem.

ginem. Cũ uerò copiosos sudores, aut uomitiones, aut excremẽtorum deiectiones, aut sanguinis profluuiũ, aut uigilias, aut famem, aut permultas & uehementes cõmotiones sequuntur, à uacuitate oriuntur. Vbi uerò aliquis sospitũ subitò cõuellitur, à plenitudine fieri necessum est. Verùm si ex febribus adurentibus totius corporis moles et nerui inanuerint, illaq; ariditate conuulsio oriatur, exitiosissimũ, & tantũ nõ immedicabile malum est. Primùm igitur membra quæ cõtrahuntur, ualidè continenda sunt, inordinatisq; motibus occurrendũ. Cõfricentur oleo rutaceo, aut sicyonio, aut ueteri, aut huius farinæ quopiam alio. Propinanda etiã mulsa est. Cæterũ qui ex inanitione, conuulsione cõflictantur, oleo, aut hydrelæo calẽte fouẽdi sunt. In lauacrũ quoq;, nisi quid prohibeat, ducẽdi: tẽperatoq; solio cũ oleo ac frictione leniβima utendũ. Nutriemus autem sic affectos, quæ ex chõdro et alica fiunt sorbitionibus, et uino tenui, facilisq; digestionis, aquoso, nisi infestet febris: tum enim ptisanæ cremore utendũ, somnoq; uacandũ. Sed quæ ex plenitudine aut phlegmone cõuulsiones cõtrahuntur, plenitatis euacuatione curãtur, phlegmonẽ peculiaribus suis præsidijs medendo. Fiunt præterea cõuulsa nonnunquã, cum uomentes lancinantur uehemẽtius. Succurrit ipsis et acantij radix, et spinæ albæ semẽ in potu sumptũ. Aegyptiæ quoq; acãthæ: nonnullẽ centaurij tenuis succũ potui præbent, cũ uidelicet ex plenitate cõtrahitur cõuulsio. Neq; ad bibẽdũ modò porrigito, sed et foris quoq; cuti, castoriũ unà cũ sicyonio illinito. Quòd si his perpetratis nõ cessauerit cõuulsio, cucurbitulas, cute scalpello circuncisa, imponito: cruribus quidẽ cõtractis, coxendicibus et extremæ uertebræ: manibus uerò cõuulsis, dorso et primæ ipsius uertebræ, partiq; humero superiacenti. Vno uerbo, si toto corpore ab affectione libero, labiũ, aut palpebra, siue lingua contrahatur, dirũ symptoma putandũ est, magnos secũ terrores adferens, licet exiles corporis partes affectæ uideantur. In his itaq; ab occipitio et primis uertebris fiat sanguinis detractio:

De Tetano, & differentiis eius Cap. 20.

Rigor, qui tetanus dicitur, cum & ipse conuulsio quædam existat, euenit ceu gelu concretis, corporis, præsertim spinæ musculis, frigido humore foris & intus adstringēte: unde in ea affectione cōstituti, seipsos flectere non possunt. Vbi igitur corporis mēbra anterius tenduntur, appellauerunt Græci emprosthotonū, nos rigorē in pectus. Quādo retrorsum, Græcis opisthotonus, Romanis rigor in scapulas uocatur. Quādo autem ceruix æquabiliter in utrāq; partem rectà intenditur, tetanus ab illa, rigor simpliciter ab hac gente appellatur. Verùm Pelops affectiones has musculorū neruorumq; ceruicis, quorum beneficio in anteriorē, posteriorem partē, & quoquo uersum ceruix flectitur, tensionem & contensionem nominat. At qui si in posteriores musculos colli rigeat, opisthotonus ex accidēte: si uerò in anteriores partes, emprosthotonus: sin rectà in utrāq;, tetanus nuncupatur. Causam huius mali asserit, musculis repletis spiritu et aëre crasso ac nebuloso. Affirmat eundē supra modum frigidum & cōcretū esse, ac ideo difficulter mobilē: unde fit, ut sic affectis fomenta sicca magis conueniant quàm humida. Et hæ quidem tetani sunt differentiæ: sed omnes cōmuni, non diuersa ratione curātur. Præsentissimum igitur est præsidium febris superueniēs, quæ nō fuerit à principio. Arguit uerò has angusta respiratio, pulsus rarus et paruus, nonnunquam risus etiā Sardonius eos inuadit, & rubor faciei, oculi intumescere magis uidentur, & uel nihil omnino meiūt, uel instar aquæ lotium, uel cruentum, cum quibusdam ampullis reddunt, aluus exiccatur, uigilijs magis infestantur: & sæpenumerò conuulsionibis ita cōflictantur, ut periculum sit, ne de cubili decidant: quandoq; singultire incipiūt, & è dolore laborant: alij quidem capite, alij uerò utrisq; clauiculis, humeris & lūbis, nōnulli uerò ipsorum subtremuli quoq; reddūtur. Facit autem affectionem hāc etsi rarius, laßitudo, humi dormitio, pōderis eleuatio, casus, uulnus, æstus, plaga, & alia

quæ

quæ eiuſmodi neruis noxiam inferre poſſunt. Medendum autem his quemadmodum illis qui ex inanitione conuelluntur.

Tetancrum curatio.

Rigore neruorum ceruice in rectũ intenta, ſanguis ſtatim inter initia mittendus eſt, partes eorum lanis oleo ſicyonio aut caſtorio cum ueteri oleo imbutis cooperiẽdæ, aut ueſica quoq; latior calente oleo referta, tendinibus eſt imponenda. Conciſa deinde ſcalpello cute, cucurbitulæ agglutinentur, leues enim etiã lædunt. Applicentur autem interdum ceruici et ab utraq; ſcapularum parte, & lacertoſioribus pectoris locis atq; præcordijs, nõnunquam uerò regioni ueſicæ atq; renũ. Nihil uerò detractioni parcendum, modò non confertim, ſed ſenſim pluribusq; uicibus auferatur. Sudores porrò lanis oleo madefactis detergendi ſunt, ne refrigerati euaneſcãt. Quòd ſi tetanos inueterauerit, in oleum bis in die deſcendere iubeas, & haud diu in ipſo morã trahere: nihil enim uirtutẽ perinde atq; olei inſeſſus deijcit. Bibendũ eſt hydromeli craſſum ad dimidias uſq; decoctum. Ad hæc panacis ſucci drachmam robuſti hauriant, imbecilliores autem hemidrachmiũ, uel ad minimum, obolum. Videri autem poßit cuipiam hoc officere ſtomacho. Exhibendum etiã ammoniacũ: aut ſucci cyrenenſis quantitas orobi, excocto melle oblita deglutiatur: laſerpitijq; radicis cochlearia duo, mulſæ cyathis tribus indita, aut elixatio eius, potui exhibeantur, uel myrrhæ drachmã ex aqua mulſa, hyſſopiq; decoctũ. Omnium uerò inculpatißimum expeditißimumq; erit, caſtorij exhibere cochlearia duo aut tria, diſtributa tamen hac quantitate. Nihil enim officiet, etiam ſi poſt cibum ex ipſo dederis. Præter reliqua uerò ipſe quoq; potus aliquandiu uacationem habeat, minutatimq; ſumatur: ægrè enim potantibus in nares potus rebullit, unde uehementer lãcinati ad conuulſionem irritantur. Illinienda uerò ſedes eſt oleo rutaceo, cum opopanace, immittaturq; ipſis per inferna. frigidæ porrò ſuperfuſionem, cum ſit (quemadmodũ Hippocrates aſſerit) maximè temera-

ria, & ob hoc à recentioribus (ut arbitror) reprehensa, etiam nosipsi deuitamus. Vnguentum probatur, quod accipit nardi sextarium, ceræ sexantem: folij, amomi, styracis, mastiches, castorij, adarcæ, euphorbij, piperis, spicæ nardi, cremoris balsami, singulorum unciam.

Opisthotonicis potio.

Panacis radicis, piperis albi, costi, myrrhæ, succi papaueris, paria cuiuslibet pōdera, sub somnum instar cicerculæ exhibebis. Conducit etiam orthopnoicis. Esto præterea in hac affectione constitutis uictus extenuans, expeditæ digestionis, & minimè recrementosus.

De tremoribus. Cap. 20.

TRemor uniuersim ex imbecillitate neruorum originē trahit, cuius rei testis senectus est. Priuatim uerò plures et diuersæ causæ tremorē efficiunt, frigidius uidelicet naturæ temperamentum, importunus frigidæ potus, præsertim in febribus, gelidi & glutinosi humoris abundantia, & immodicus uini usus. Qui igitur ex delictis admissis apertè tremunt, à nociuis abstineant. Perseuerantibus uerò diutiusculè, factis in febri tremoribus, principiò quidem uniuersum corpus oleo Sabino, sed in relaxationibus accessionum, peruetusto, aut sicyonio, irrigato: extimas uerò corporis partes illitas mollibus lanis cooperito. Deinde cucurbitulæ à prima spinæ uertebra usq; ad scapulas & lumbos defigendæ, membris antea atq; præcordijs cataplasmate ex hordeacea polenta illitis. Iam eadē hæc membra lanis oleo ueteri aut Sicyonio infectis contegantur. Quòd si febres in uetustatē inciderint, alternis diebus in oleum uel hydrelæum descendendum. Frictionibus ad hæc mollibus utendum. Si uerò diutius durauerit affectio (frigiditate iam suspecta) propinanda mulsa & castorium sunt. Calidis pariter locis gestationem fieri conuenit. Cibum promptæ digestionis exhibebimus: primo quidem loco sorbilem, deinde uolucrium, atq; piscium mollem carnem habentium. Finitis autem febribus,

bus,lauandum, sed à gelido lauacro & uini potione abstinendum. Quòd si multitudo crassorũ & glutinosorum humorum fuerit, incidentibus,& extenuantibus utendum. cuius generis est: Accipe ramusculi rutæ, spondylij, quantum tribus digitis capi potest, castorij, nitri, uniuscuiusq; obolos duos, dato quotidie cochlearium cum oxymelite, per uniuersum triduum ieiuno. Aut panacis et piperis grana quinq; propinato in mulsæ cyatho. Simplicia ante potata trementibus succurrunt: uerbi causa, castorium, leporis in cibo cerebrum, althææ radicis elixatio, damasonij foliorum drachmæ quatuor in mulsa, eupatorium cum aqua. Frigore autem modũ excedente, & Zodymi unguento, ac ijs quæ contra paresim scripta sunt, acopis et unguentis, & summæ cutis rubrificationibus utantur, et exercitationibus, perfricationibusq;. Cæterùm ob temulentiam tremuli, à uino, donec exactè malo liberentur, coërcendi sunt.

Ocularia, & primo de dolore, ex decretis Galeni. Cap. 22.

QVando oculos acerbißimi dolores infestant, considerato quo'nã ex affectu corporis ijdem in inflãmationibus proueniant. Aut enim propter rosionem uehementẽ ex dira in oculos decumbentiũ humorum acrimonia, uel ob tensionem fartarum tunicarum, aut propter intensionẽ aliquam crassorum humorum, aut spirituũ flatulentorum, grauißimi in ipsis cruciatus emergunt. Rosionibus itaq; purgantibus præsidijs quæ mordaces humores educunt, opitulabimur, & oui albore oculis infuso. Vbi uerò maturitatem acquisierit inflammatio, & corpus excrementis uacarit, balneis nullum inuenias commodius auxilium. Sed ijs quæ rudimenta ad plenitatem referunt, inflammationibus, euacuatione sanguinis, subductione uẽtris, & infernarum partium frictionibus, mederi competit. Intensionibus uerò, euacuato prius toto corpore, & humoribus qui sursum impetuose uergebant, ad ima reuulsis: deinde remedijs topicis, quæ discutiendi uim habent, succurrendũ. Fotus igitur ipsis applicandi sunt, & fænogræci decoctum infundendum.

Vbi uerò craßi ſanguinis humor oculorum uenulas intendit, ſiue reliqui corporis ſuccorum redundantia intendit, potio uini, quod leniter calfaciendi, euacuandi, atque aperiendi, uim habeat, non inutilis eſt.

De lucis oculorum perturbatione, & priuatim de Ophthalmia, id eſt lippitudine.

Perturbatio humiditas oculi eſt, ſimulq; cum rubore præter naturam calor, non ex corpore, ſed foris aliqua occaſione adueniente: uerbi cauſa, ſole, fumo, puluere, oleoq; ſuſcitatus: proinde diſcreta ipſius cauſa facillime diſcutitur. In genere perturbationis huius ophthalmia cenſetur: non modò forinſecus, uerùm citra euidentem quoq; cauſam ingruens, & ad tertium, quartum, aut quintum diem plerunq; permanens. Medetur ei citra negotium, præcautione eorum quæ irritando foris officiunt, nutricatu exiguo, aquæ potu, aut deambulatione, aluiq; cita deiectione.

De inflammatione.

Quum oculi inflammatione tentantur, poſt totius corporis purgationem, ungentis utendũ, quæ humoris pituitoſi fluxum reprimere, & irritationem placare poßint: uerbi cauſa, Nilei diarodon, aut Mediacum et Nardinum. Tunica uerò adnata, inflãmatione correpta, collyrijs quæ ab affectus celeritate monemera dicuntur, cum oui albore infuſis utemur: poſtridie uerò, niſi phlegmone intendatur, oleum nardinum illinendũ eſt. Fomentis autẽ ex decocto meliloti & fœnogræci, uti cõſilium eſt. Quòd ſi ex craſſo humore lippitudo proueniat, medicamenta quæ neq; obſtruendi, neq; humoris incraſſandi, ſed quæ diffundendi, humectandi, & excernendi facultatem habent, utilia ſunt: cuius generis eſt Chiacũ. Quòd ſi humores capiti fuerint impacti, cucurbitulã occipitio impone, uel ſacrificato, uel hirudines fronti iuxta affectum oculum admoueto, aut cataplaſma ex pane ſyncero aqua macerato, cum exiguo roſaceo: aut polentis in capitũ papaueris decocto elixatis, ſuperaccommodato.

modato. Efficaciore etiam utendum est cataplasmate è croco, meliloto, & palmularum carnibus, & tenerioribus coriandri folijs, uitellisq; ouorum aßis, & micis panis in defruto maceratis, & exiguo rosaceo, capitumq; papaueris læuigatorum decocto. Semen quoq; papauerum quandoq; mitigandi doloris gratia miscetur. Quòd si doloris uehemens fuerit neceßitas, momentum opij adijcitur. Sine intenso dolore, deuitanda sunt narcotica. Si mediocris phlegmone urgeat, aloën per se, aut aqua aut oui albore dilutā illinito. Sed quo præsentius fiat auxilium, croci drach. sex, aloës sedecim, gummi nouem simul, aqua cœlesti excipe, collyriaq; concinna: sed & diaroca nuncupata remedia, ab ophthalmiæ principio peraccommodata habentur. Quos uerò prementi digito cedens, turgidiusculus et percandidus circa palpebras, adnatamq; oculi tunicam tumor, absq; tunicarum offensa infestat, his quamplurimum opis afferent liquida collyria, hygrocolluria Græcè appellata, tum è croco, tum atramento sutorio, melleq; confecta. Illud uerò saluberrimum censetur:

Liquidum collyrium indolorium.

Metallici atramenti sutorij, mellis Attci, cremoris fœnograeci, pares singulorum portiones, ad mellis usq; consistentiam elixabis, deinde nucleo specilli utrumq; hircum attingito.

Ad Epiphoram defluxionum.

Aduersus defluxionum impetus (quas epiphoras Græci dicunt) in principio statim congruit inedia, aquæ potus, & omnium maximè concubitus abstinentia. Adhæc aluus subducatur, posca aquosa madefiat facies, præcipuè si feruens fuerit defluxio: sin minus, atramento sutorio cū melle frontē atq; palpebras oblinito. Nōnulli uerò atramentum sutorium aqua maceratum, ad collutionē exhibent. Sed qui citra inflāmationem huiusmodi destillatione afficiuntur: aut etiam cum inflammatione quidē, sed ita, ut supra os caluariæ consistat opifex materia, adglutinamentis in fronte utendum: uerbi gratia, ex sim-

plicibus quidem, uirentibus uitis folijs, aut rubi cremore, aut portulacæ, aut cotoneorum cum tenui polenta, aut galla trita cum uino, et tenuißimo farinæ polline, aut cicuta, aut pulicari herba cum aqua, aut solano, aut cochleis cũ testis in liuorẽ contritis, instar cataplasmatis à tẽpore ad alterũ tempus illitis: & ut summatim perstringã, adstringentibus atq; frigorificis. Ex cõpositis uerò pollen frumẽtaceum, aut myrrha, aut thus, cum oui albore illinatur: aut Samia terra, cũ myrrha & mãna, similiter cũ candido oui liquore. In frigidioribus porrò fluxionibus, sulphuris uiui, bituminis, picis, colophoniæ, uniuscuiusq; drach. duæ, pariter etiã musa trochiscus, et Aster, et cõsimilia, optimè fluxũ reprimũt. Theriaca item uino adstringente subacta, frontiq; illita, frigidos humorũ fluxus cõpescit. Hæc ipsa in potu quidẽ sumpta, magnificè succurrit. ipsi uerò oculo cùm lanã, tum panniculũ tenuem, albore oui infecta, imponito. Caseus ad hæc recẽs pari modo oculo applicatus, acutas maximè fluxiones cohibet. Collyria item cognomẽto, quia reprimunt, staltica, cùm illita, tum instillata aqueo oui idem præstant. Si uerò in profundo et sub calua, humor cõtentus lõgo tẽporis spacio perennauerit, post uniuersales corporis euacuationes medicamẽtis quæ per nares repurgãt, et apophlegmatismis utendum. Capitis tonsura, et quæ cutẽ eius rubicundã reddũt, probantur. Cæterũ in his curationem etiã manuũ in capite accersunt: uerbi causa, angiologiã, et arteriarũ sectionẽ, tum hypospasthismũ, tum periscyphismum, atq; circa uerticẽ usq; ad os combustionẽ. Cucurbitulæ autem occipitio cum scarificatu impositæ, fluxionis impetũ reuellere possunt. Signa porrò fluoris extra caluariã, ex uenarum cõceptaculis deprehenduntur: quoniã ea circa frontẽ atq; tẽpora supra modũ tument, & caput ueluti reuinctum cernitur, et quæ siccandi uim habent adglutinamenta auxilio sunt. Quòd si horum nihil adsit, humorum impetu durante, et sternutamentis interim plurimum molestantibus, sub caluaria humorem hærere iudicandum est.

De

De Chemosi.

Cum ex uehementiore oculi inflammatione utræq; palpebræ ita peruertuntur, ut ægerrimè subiacentes oculos uelent, albumq; ipsius sublimius nigro supereminet, ac rubrum etiam magnam nigri partem occupat: subuenit huic sanguinis detractio, Catharticum, & diarhodum collyrium candidum, et spodiacum, cum lacte, aut oui albore: quibus illinendæ sunt palpebræ, tempora atq; frons. Fomentis præterea & cataplasmatis, quæ leniendi facultatem obtinent, utendum. Decrescēte autem inflammatione, acrioribus subungendum censeo: quale habetur diarhodum uiride.

De hyposphagmatis & Emphysematis.

Hyposphagma, ruptio quædam uenarum agnatæ tunicæ perhibetur, ex ictu ut plurimum contingens. Sanguinē igitur ipsis palumbi, aut columbæ, aut calidum lac muliebre, in quo momentū thuris diluatur: uel muriā, maximè uerò salis Capadocij instillato. Vtilis item fotus ex hyssopi decocto adhibitus. Conducit uerò laxis tumoribus, qui oculis ex plaga proueniunt, fotus è posca continuus. Spongia itidem ex posca applicata. Sphecłariū specularıumúe combustum, & stercus columbinum, pari pondere, uino aut aceto diluta inungito. Cataplasmatis instar caseum recentem, aut radiculæ corticem, aut uuam passam exacinatam, singulatim in posca aut aqua mulsa applicato. Hæc quoq; contra Emphysemata faciunt.

Ad Emphysemata pruriginosa, & Psorophthalmias.

Emphysema palpebræ excrescentia est, laxo tumori similis. Psorophthalmia uerò, pruriginosa palpebrarum scabies est, ex salso nitrosoq; humore ducens originem. Expedit ipsis ex posca, lēticulæ decocto, et rosarū fomētatio: tū illud hygro collyrium, æris drach. sex, misyos combusti, myrrhæ, uniuscuiusq; drach. tres, croci unā et semissem, piperis drach. uini Chij, & passi Cretici, singulorū sesquicyathū: coquito ad mellis usq; spissitudinē. Hoc est medicamē Erasistrati, pāchryson appellatum.

appellatum. Valet etiam ad anginam, oris hulcera, uerendorumq; & aurium dolores. Illinantur autem & oleo genæ, sub somnum. Vitentur uerò acida, salsa, & acria,

De Sclerophthalmia & Xerophthalmia.

Sclerophthalmia, durities, & difficilis est cõmotio, cum dolore ac rubedine, absq; humore. Quocirca spongijs aqua calida imbutis oculos identidem fouere, & palpebris, somnũ inituro, ouũ cum rosaceo, aut adipem anserinã imponere conuenit, fugientes frigida, quæq; duritiem cõciliant. Caput uelari, & pinguedine oblini, aluusq; subduci debet. Xerophthalmia uerò, pruritui similis oculorũ est, sine fluxione dispositio. Medendum huic lauacris, inunctionibus, & boni succi nutricatu. Vtrisq; præsidio cõmuniter fuerint medicamẽta tam acria ut lachrymas eliciãt, per quæ durities remittetur, et ariditas humescet. Huiusmodi existit et Erasistrati panchrysos, & quod appellatur dicenthetõ, & id cui cognomentum est stratiotico.

De Ectropiis.

Inuersio palpebrarum hæc est affectio, uel ad cicatricem, uel ad carnis superexcrescentiam referens originẽ. In quibus ergo subexcrescentia in uetustatem incidit, rasilis ærugo torrefacta teritur & admouetur: aut plumbo cremato cum sulphure ignem non experto, & loto: aut ambobus æquis partibus, tum æris flore, tum plumbo utitor. nam quod ex cicatrice nascitur Ectropion, ad curationem sui consummatam, manuum operam desiderat.

De Ægilope & Anchilope.

Aegilops abscessus est, qui inter maiorem oculi hircum & nares fit: qui ruptus si negligatur, usq; ad os fistulam aperit. Idem priusquã in hulcus erũpat, Anchilops appellatur. Magnificè igitur cõducit glauciũ, & crocus, unà cum succo perdicij applicata: identidem uerò permutari debent, & neq; pati dum mutentur ipsa. Aliud: Halica in aceto elixa, & scitè friata: non modò incipientibus, sed et in suppurationem iam conuersis

cõuersis succurrit, aperitq́;, & ad os usq; descẽdit. Hoc si quis utatur, non Aegilopas solùm, uerùm Anchilopas etiam medebitur. Aliud: Ruta satiua cum cinere lixiuio quod primò destillauit, trita, decocta, & imposita, ægilopas præclarè instaurat, & usq; ad os penetrat: intra initia mordens, sed postea nõ ita. Atq; suspiciendum interim, quòd nullam post se turpẽ cicatricem relinquat. Aliud: Cochleas cum testis tritas imponito. Aloë quandoq; & myrrha admixta, priusquã ægilops in saniem sit cõuersa, quod remediũ etiã post apertionem desiccat.

De Trachomate, id est scabricitate.

Trachoma genarum interiorum scabrities est. Harum extensio rigida, quæ eò peruadit, ut ueluti in fissuras exasperetur, Sycosis uocatur: quod si inueterauerit & occaluerit, Tylosis appellabitur. Collyrijs igitur utendum, tum illo quod è uino, tum eo quod è duobus lapidib. constituitur. Et ipso hæmatite lapillo aqua eloto, subiectis palpebris abstergẽda est. Atq; Hermation cum exiguo cygnario, aut diacrocu, non tam ad hæc, quàm ad psorophthalmiã sine exulceratione cõgruit, inuersæ genæ illitum. At si callus durior, his non uincatur præsidijs, genam inuersam pumice, uel testa sepiæ, uel folijs ficulneis, aut instrumẽto quod à palpebrarum rasura Blepharoxyston uocant, abradimus.

Da Chalaziis.

Chalazium est ociosi humoris in palpebra collectio, cui medendo ammoniacum aceto liquatum cũ galbano illinito. Opitulatur etiam unà cum ceroto excepta terebinthina.

De Crithe, seu hordeolo.

Hordeolum, quod crithen Græci nominant, tuberculum est quoddã exiguũ in palpebra cilio longiusculum oriens. Quod oportet cera candida fouere: aut muscæ capite amputato, reliquo corpore perfricare, aut hordeorum diluto perfundere.

De pediculatione palpebrarum.

Expurgatis antea peduncul is, aqua marina tepida abluere palpebras

palpebras expedit: mox medicamentum quod subscribitur, cilio applicare. Accipe aluminis scißilis portiones duas, staphilidis syluestris portionem unam, quibus tritis utere.

De Madarosi, siue Milphosi.

Hoc pathema casus pilorum palpebræ est. Post uniuersi igitur corporis accuratã curationẽ, smegmatis quæ cognomento calliblephara (quoniã uenustatis palpebrarum gratiã lenociniumq; inducunt) nuncupãtur, utamur. Terræ Ampelitidis, croci Celtici, ladani, æquales singulorũ partes, tritas adhibe. Aliud: Stimmeos usti & eloti drachmam, plumbi cremati & abluti drach. quatuor, croci tantundem, nardi Indicæ drach. treis, unà contere atq; utere. Aliud: Palmularum oßium crematorum drach. tribus, nardi Gallicæ duabus contritis, utere. Hoc scabiosis quoque oculis subuenit.

Neapolitæ ad palpebrarum defluuia, & diuturnos ciliorum affectus.

Stimmeos, cadmiæ, chalcitidis, misyos xenici, æquas singulorum partes obiter contunde, melleq; subacta torrefacito, læuigatisq; utitor.

De Ptillosi.

Ptillosis, palpebrarum est in callum indurata craßities, rubẽs: quam magna ex parte capillorum defluuium comitatur. Præter memorata igitur, muscerda etiam deusta, melle læuigata & illita, summè proficit.

Ad superciliorum Madarosim, uel glabreta.

Digitis oleo, seuóue anserino infectis, plumbũ contere, coq; oblinito. Aliud: Hoc nonnihil nigroris quoq; inducit: Nuces ponticas crematas, cum adipe caprino, uel ursino contere. Aliud, quod ad menti etiam alopecias cõfert: Herbæ Apollinaris drach. duabus, muscerdarũ drachmam, polytrichi tantundem, unguenti irini cochlearijs quatuor, læuigatis peraccuratè, unguentum admisceto, fotoq; prius loco illinito. Qui si nouacula antè rasus fuerit, efficacius erit.

Ad Trichiasim palpebrarum.

Pilis qui oculum pungunt prius euulsis, locũ confestim sanguine ranæ priuatim inungito, uel cum cinere chamæleõtis albi, aut sanguen cimicum, aut fumariæ inter hordeũ prognatæ succus cum gummi, aut tellinarũ salsarum cinis cum cedrino liquore, aut loti cinis, aut alumen liquidum, phorimon appellatum, aut muscæ caninæ sanguis admodum ad hoc confert.

Trichocollia, id est glutinamentum capillorum.

Conglutinant infractos pilos: Bitumen, mastiche, colophonia, gummi, cochlearum uiscosa portio.

De Encanthidibus & Rhyadibus.

Encanthis est, cum maioris hirqui naturalis caruncula excrescit, & protuberat. Rhyas contrà, eiusdem est imminutio. Encanthidas igitur ijsdem medicaminibus, quæ de Ectropio memorauimus, similibusq; rebus adurentibus, uel erodentibus comminues: non totas, ne Rhyas in uicem eius inducatur: sed ad naturalem usq; magnitudinem. Rhyades, magni quidẽ anguli carne, siue rudis chirurgici manu, siue pharmacorum carnem corrodentium culpa absumpta, nullo medicamento uinci possunt. minuta uerò ipsorũ parte, ijs quæ modicè adstringũt & carnẽ inducunt, restituas: cuiusmodi sunt, quæ è croco & glaucio & aloë componuntur, & diacrocu appellata collyria. Altercum item in uino decoctum, & impositum, & momentum aluminis cum uino.

De oculorum hulceribus.

Hulcerum quæ oculos infestare cõsueuerunt, genus quidem unũ est, sed particulares differẽtiæ plures. Nã quod in cornea tunicula cauũ angustũ, mundũq; hulcus fit, Bothriũ nuncupatur. Quod uerò latius quàm hoc, et minus profundũ, Cœloma appellatur. Argemon autem in circulo iridis natũ, ambientia comprehẽdit, ita ut extra iridem subrufum, intra uerò album appareat.

apparent. Epicauma uerò hulcus est sordidum, impurum, & crustosum: quod cum expurgatur, sæpius humida quæ sunt in oculo effluunt. Et alia innumera fermè hulcerũ sunt discrimina, de quibus cõmunius uerba faciemus. Proinde si hulcus cum phlegmone ortum habuerit, curatio illis quæ phlegmones leniendæ et maturandæ potestatem habent, peragatur adhibita peculiari hulceris medela: cuiusmodi quidem sunt collyria, Libanium, cygnus, et quæ pelaria appellantur: item aster, et similia: præterea quæcunq; ex amylo, terra astere, cerussaq; cõstant. Scimus autem omnium præstantißimum anodynum esse Ilamonem: cæterùm in eius usu perseuerandũ nõ est, quoniam uehementißimè stuporem inducit. Vtilißimum autem diazematon, nihil stuporis inferens. Quòd si cum fluxu hulcus fuerit, ex collyrijs aliquod illi admiscebimus: quale est diahydras & chiacum, & fuluus cygnus, et breuiter quæ reprimendi sine rosione facultatem obtinent. Aduersus autem sordida ocellorũ hulcera, mulsa modicè aquosa ac fœnogræci decocto utamur per se, et adiectis etiam quæ ad eam rem facta sunt collyrijs. Acutiora quidem si fuerint hulcera, albis, Seberiano, & quod ex fœnogræci diluto cõtexitur. Vbi uerò acria non sunt, collyrijs quæ myrrhã habent, et nardinis utendum. Cæterùm hulceribus expurgatis, Cleon medicamentum pulchrè potest cicatricem inducere, & eidem similem colorem induere.

De proptosi hoc est, procidentia oculi.

Proptosis casus est uueæ tunicæ, ab erosione siue disruptione corneæ proueniẽs, quæ exigua adhuc, ita ut muscæ caput referat, Myocephalon nuncupatur: aucta uerò amplius instar uuæ acini, Staphyloma dicitur. Vbi uerò plurimum succreuerit, adeoq; egreditur, ut palpebras transiliat, Melon: cum deniq; obcalluerit, Clauus Græcè Elos appellatur. Quocirca si mediocriter tantũ oculus, ueluti ad muscæ capitis instar à suo iusto modo procidit, medicamentis quæ reprimendi, astringendiq; potẽtiam obtinẽt, utendum: uerbi causa, Chio, Phæo, Nardino,

dino, & Theodotio. Et eo quod è summo oleæ coliculo, & ex cornu conficitur. Spongia, posca, aut uino adstringente, aut rosarum decocto imbuta, oculis leniter alligetur, aut splenium. Præcipuum uerò bonitatis honorē aduersus procidentias & omnia hulcera habet Olympiacum, aut Olympus appellatum, cum cremore oleæ, aut polygonij, aut polij. Eadē & hulceri Clauo cōgruentia sunt, & staphylomatis priusquam albescant. Nam quæ maculas candidas contraxerunt, & calli instar obduruerunt, insanabilia censentur.

De oculi sugillationibus, suppurationibus ue.

Hypopyon in cornea oculi membrana quandoq; nascitur, nunc quidē in imo, nūc uerò in summo, ungui humano formæ non dißimilis suppuratio: quæ causa est, ut unguis oculi etiam hoc malū appelletur. Scopus itaq; curationis huius est, ut pus quod in tunicula coit, per ea quæ non uiolēter discutiunt, dißipetur: cuius farinæ sunt aqua mulsa, & fœnogræci cremor, et quæ ex eodē cōtexuntur collyria, atq; libaniū, & quicquid è thure cōcinnatur. Aut cōfringatur uomica, & cum ualētioribus expurgetur: è quorū albo sunt diasmyrnes, & hygidiū. Atqui hypopyis absq; exulceratione medendis, etiā illo utendum est liquido collyrio, cōposito ex atramenti sutorij, croci, singulorum drach. octo, myrrhæ quatuor, mellis libra. Cæterùm phlyctæna cum corneæ membranæ extuberantia sit, ex humore compagem ipsius excoriante, curationi subijcitur sugillatorū. Medicamē humidū ad hypopya: Baßi, croci, aloes, myrrhæ, uniuscuiusq; uncia, uini quadrans, mellis optimi unciæ sex, diluatur crocus cū uino exiguo, deinde aloë cum myrrha, & simulatq; craßitudinē prætulerint, inijcitur mel. Vnita uase uitreo reponuntur: bis quolibet die, ter'ue, si neceßitas urgeat, illinito. Vna quippe opera oculum purgat, carnē reficit, & cicatricem inducit.

De cicatricibus & leucomatis.

Cicatrices quæ in superficie oculi innascūtur, à quibusdam

generali nomine cicatrices, à nonnullis uerò nebulæ: quæ altius delitescunt, leucomata, id est albugines dicuntur. Quibus medicamenta abstergendi purgandiq; facultate prædita subueniunt. Leuiores uerò maculas, nebulas inquã, anemones succus exterit, atq; minoris cẽtaurij succus cum melle. Eas autem quæ longiore temporis spacio perseuerauerunt, cedriæ liquor extenuat. Aes itẽ per se aqua instar collyrij tritum: & detergentia collyria, cuius generis est, quod è cornu ceruino fit, & rhinarion, hecatombeq;, & similia. Sed leucomata, nitrũ oleo peruetusto accuratè maceratũ, scitè illitum, discutit. Idẽ sepiæ testa cremata, cum melle trita præstat. Inter collyria autem, hoc quidem haud inscitè & clemẽter extergit. Mamiræ, guttæ ammoniacæ, myrrhæ, troglodytidis, oletuli crocodilorũ, æquis partibus, in collyriũ redactis utere: aut cõfectis ex aqua dissoluto crocodili terrestris stercore collyrijs, maculas oblinito. Haud improbè ex Cappadocicis salib. aqua dilutis collyria, natura cõtra albugines cõparata, guttatim instillaueris.

Cicatricum tinctura.

Gallæ, acaciæ, singulorum semiuncia, atramenti sutorij drach. binæ. Collyrium præterea illud proficit: Mali Punici floris, cytinorum, atramenti sutorij, acaciæ, gummi, uniuscuiusq; uncia dimidia, stimmeos, gallæ, singulorum drach. duæ, aqua soluuntur. Cum autem mali Punici flos ad manum non fuerit, tum quæ instar mẽbranæ acinos intercedũt, admisceto.

De Pterygiis, hoc est unguibus oculorum.

Vnguis siue Pterygion, neruosa quædã adnatæ membranulæ excrescẽtia est, ab angulo quidẽ oriens, sed ad oculi usq; pupillam procedẽs: quæ supra modũ adaucta, pupillã operit. Magna igitur & inueterata pterygia, sola manu chirurgica exciduntur. Recẽtiores uerò, & mediocris magnitudinis, abstergentibus præsidijs expugnantur: cuius generis sunt, quæ palpebrarum asperitatem, & albugines propriè consumunt. Ex incompositis quidem æs crematum, aut atramentum sutorium.

rium, cum felle suillo optimè cõducit. Sed lõgè efficacius hoc, cum atramenti sutorij partem, gummi partem semissem uino macerata inungimus, uel collyria conformamus. Nonnulli uerò fel caprinum melli confusum illiniunt.

Ad Ptergia, Hypopyos & Amblyopias: Oribasii.

Lapidis magnetis, eruginis rasilis, sinopidis, guttæ ammoniaci thymiamatis, singulorũ drach. quatuor, croci drach. duæ, mellis Attici cochleariũ. Hoc etiã medẽdis albuginib. cõfert.

De Antrachosi & carcinomatis.

Carcinoma, id est cancer, in cornea oculi mẽbranula abscessus est, magni doloris, tunicarũ ruborem & dilatationem præferens, cruciatus pungens usq; ad tẽpora protenditur, potißimum si concutiantur: appetitu carent, & acribus exacerbãtur: hoc malũ remedijs nõ uincitur. Dolor tamẽ lactis potu leniendus est: frumentacearũ item & probi succi epularũ porrectione, absq; ulla acrimonia. Collyria dolorẽ sedantia infunduntur: uerbi causa, Spodiacũ, Seberianũ, atq; id genus alia. Consulendum præterea bono totius corporis temperamento. Atqui Carbunculus quoq; ipse hulcus est maleficum, difficile, crustosumq;, quod nunc quidem bulbo, nunc uerò palpebræ, quemadmodũ & alijs quibuscunq; corporis partibus contingit. In eius qui in bulbo oboritur, curatione, statim ab initio fieri debet cum clystere euacuatio: deinde lacte coctionẽ probam experto, moderata expurgatio: mox spongia foto, farinam orobinam aut triticeam in mulso elixã, adglutinare expedit. Nonnunquã & iridem tenuem emplastri modo superapplicare, lacteq; oculũ eluere. Si ulcera edendo repant, lenticulam cum melle, aut malis cydonijs decoctis accõmodare. Si latius depascendo diffunditur hulcus, folijs oliuæ elixis, malicorijs in uino concoctis cum melle contritis. Noma autem consistente, & crusta impositu medicamenti quod dicturus sum, decidẽte, cum hulcera fuerint pura, luteis ouorũ aßis tritis cũ croco et melle, donec cicatrix inducatur, oblinito. Medicamẽtũ

autē est illud: Spodij drab. quatuor, myrrhæ non admodum torrefactæ drach. treis, & obolos totidē, in Amineo uino usq; dum exiccetur macerans, passo Cretico ueteri cōmisceto: ubi simul eliquata fuerint, liquidum in pyxide fictili excipito, atq; sublinito. Sed ad carbunculos palpebrarū, malum punicū acidum totum & contusum concisum in aceto coquito. Vbi subactum frustulatim, probeq; læuigatū fuerit, linteum oppleto, et utitor: interdiu quidē bis ter'ue cōmutans, noctu uerò semel.

De Mydriasi.

Mydriasis uitium est, quo colore nihil quidē cōmutato, pupilla multo naturali habitu latior apparet, & nonnunquā uisoriam facultatem ex toto impedit, interdum uerò magna ex parte species hebescit, ut obiecta lumini longè minora esse uideantur quàm sint, cuius causa est excremētitius quidā humor. Succurrēdū est itaq; sanguinis incisa uena cubiti detractione, uel expurgatione: si uerò non, uenas in hirquis diuidito, deinde cucurbitulā occipiti imponito. Faciē itē atq; oculos aqua marina perfundito. Quòd si marinæ copia non sit, muria aut posca. Medicamentis deniq; ijsdem utendū, quæ & in medendis phlyctænis expediunt.

De Phthisi & Atrophia.

Phthisis affectus est, quo pupilla angustior, obtusior, hebetior, corrugatiorq; redditur: quæ cernūtur, maiora esse apparent quàm sint. Oritur uerò ex ariditate condensante. Dirimitur autē phthisis ab atrophia hoc discrimine: Phthisis angustiorem facit pupillā, atrophia uerò totum oculum exiliorem & humiliorē reddit. Medebimur autē huic exercitationibus, et quàm accurata capitis, uultus, & oculorū fricatione: facies ad hæc aqua fouēda, caput ungēto aliquo calorifico circumliniendum. Oculi rarefacienti medicamento aliquo ungendi, quale est quod sequitur: Guttæ ammoniacæ drachmam, crocomagmatis drachmas quatuor, croci duas, floris æris drachmam, aqua excepta in usum adhibeto.

De Nyctalope, id est acie uespertina.

Nuscitio, quē Græci nyctalopa appellant, uulgò dici consueuit, quoties acciderit, ut interdiu quidem iusta acie uideat quis: occidēte uerò sole, obtusius: noctu planè nihil. Medebitur huic, sanguinis è cubito detractione, hirquorū expurgatione, aut per clysterē inanitione: mox apophlegmatismis pituitam detrahere, aut sternutationes ciere præcipiemus. Potui hyssopum, aut rutā ante cibum offeremus. Quòd si his peractis, non ex animi sententia succedat, rursus medicamentū expurgandi facultate præditum, ex scammonia & castoreo exhibeatur. Oculi melle despumato inungantur, conniuentibusq; ipsis ac cōpreßis humida intus contineantur. Aluminis cōbusti partes duas, salis foßilis unā, cōtere cū melle, atq; sublinito. Aliud: Iecur hircinū assatur, & aquosus inter assandū inde emanās humor collectus inungitur, ipsumq; hepar edendū exhibetur: decocti quoq; iocinoris uapor oculis apertis accipi præcipitur.

De glaucomate & hypochymate, ex Rufo.

Glaucoma & hypochyma, unū idemq; mali genus esse antiqui putauere. Posteriores uerò glaucomata quidē crystallini humoris uitia, quæ ex humiditate in glaucū colorē transeunt, existimauerunt. Hypochymata uerò, suffusionē humorum, inter corneā & crystallinā tunicā concretorum. Sunt autē omnia glaucomata ex ijs quæ nullo prorsus eliduntur remedio. Hypochymata uerò sanantur, sed non omnia. Verùm illis qui suffusione tentātur, antequàm morbus consistat, sanguinis è cubito detractione, expurgatione, enematisq; acrioribus succurritur: uerbi causa, ex centaurij, aut cucumeris amaræ decocto, & alui crebriori solutione, cucurbitulisq; in occipite cum scarificatione adglutinatis. Per uniuersam uictus rationem, aquam potare, & alimentis extenuātibus uti congruit. Conferent autem temporis progressu, et apophlegmatismi per dies aliquot. Qui uerò perperam intuentur, tanquā si culices appareant, è prauo aliquo humore, aut biliosioribus uaporibus sur

ſum halantibus, his medicamentum ex aloë amarum exhibebimus continuò, aut cum illo quoq; purgabimus. In oculis itidem medicamentis utendũ, primum quidem ſimplicibus, ueluti melle & oleo cum fœniculi ſucco. Mox etiã cõpoſitis, cuiuſmodi fuerit illud: Sagapeni didrachmiũ, ſucci Cyrenẽſis, ueratri candidi, ſingulorũ drach. ſex. Alij in mellis acetabulis octo excipiunt: nos autẽ, Oribaſius inquit, ſubſcripto utimur: Cauc calidis liquoris, chamædryos, ſanguinariæ, uniuſcuiuſq; æquales partes conteruntur. Faciunt uerò bene etiam collyria, & quod ex ſucco fœniculi cõſit. Proteus præterea, & Thalaſſerus, & è ſucco balſami confectũ, & ex his contexta collyria, opitulari poſſunt. Ad hæc fœniculi decoctum in principijs ſuperfuſum auxiliatur, medicamẽtumq; ex ſuccis opobalſami, oleo ueteri, & id genus confectis.

De Amauroſi & Amblyopya.

Caligatio, quã amauroſim Græcè nominant, eſt totius plerunq; cernendi uſus abſq; manifeſto oculorũ uitio impedimentum. Obtuſio uerò, quã amblyopiam Græci uocant, hebetudo uidendi eſt, ex clandeſtina quadã cauſa proueniẽs. Curatio ei in uniuerſum eadẽ quadrat, quam antea in ſuffuſionibus oculorũ explicauimus. Speciatim uerò ex oculorũ hirquis ſanguinis euacuatio, hirudinũ circa tempora adiectio, et infernarum partium frictio. Progreſſu uerò tẽporis, ſternutationem cientibus utendũ, & ante cibũ uomitionibus, & inunctionibus primò quidẽ ex mellis & olei æquis partibus, deinde ex his quæ ſequũtur cõcinnato: Croci oboli bini, fellis hyenæ drach. piperis cõmunis grana octogintaquinq;, cremoris fœniculi drach. ſedecim, guttæ ammoniacæ thymiamatis drach. una, diſſolutis pulueribus cũ ſucco cõponũtur, mellis cochlearia quatuor adijciuntur, præparata & ærea pyxide excepta utere. Ante inunctionẽ autẽ oculi in calidã aquã marinã immerſi fouẽtur.

De Strabiſmo.

Infantes à generatione ſtrabiſmũ patientes, curantur, perſona

sona siue larua ita faciei, ut in rectum necessariò intueantur, imposita. Strabismus enim conuulsiua musculorum qui bolbū mouent, est affectio: & lucerna è regione posita, non ex obliquo apparente, emendatur. Sed quādo nares uersum oculi detorquentur, floccos rubro colore suffusos, oculorum hirquis, qui circa tempora sunt, adglutinato, ut ad hos fixis luminibus directè intuentes, corrigant oculos.

De Ecpiesmo.

Ita exprimuntur ac eliduntur quādoq; oculi, ut exerti perseuerēt. Quibus ex strangulatu uitiū oritur, incisio uenæ cubitus præsidio est. Si ex alia quapiā occasione usuueniat, ueratro nigro, aut scammonio aluus ducēda est. Expreßiones uerò oculorū, quæ ex dolorib. proueniūt, sæpius enim ex nisu laborantium è dolore partus contingunt, purgationibus soluuntur: proinde has moliri atq; iuuare competit. Viris autē post sanguinis detractionē, si non quieuerit malum, occipitio cucurbitulā adhibeto, lanamq; melle illitam imponito, aut floccos cum aqua, superq; linteum duplicatū, suspensa manu adalligabis. Expedit præterea, aqua marina gelida uultui superfusa. Cichorij itē, & seminalis herbæ succus cum lachryma papaueris illitus: & alia cōtrahēdi et astringēdi potestate prædita.

De oculi suffusione, quam synchysin uocant.

Confusiones ex ictu, sanguinis à cubitu detractio, sanguen item potißimè nuper perempti turturis curat. sin minus, uniuersum oculū sanguine columbino oppletū: deinde lanas molles in ouum contusum cum uino, & rosaceo maceratum imponitur & alligatur: sequenti die idem faciendum: tertio fouendum, lac instillandum, & ex rebus idoneis cataplasma adglutinandum. postremò collyrijs, quæ ad ueteres affectiones faciunt, perungantur: uerbi causa, Chiaco.

De Myopiasi.

Lusciosi, quos myopas Græci uocāt, dicūtur, qui statim ab ortu quidē ipso, oculis propius admota cernūt, sed procul dißita spectare nequeūt. Insanabilis sanè istiusmodi affectus est, ob

spiritus uisiui, unde nascitur, debilitatē. His contraria patiuntur decrepiti. nam quæ longius distāt, exactius quàm quæ admota sunt oculis, conspiciunt.

Auricularia, & de aurium dolore. Cap. 23.

POstquam aurium dolorem algore contractū ex anni tempore, anteacta uictus ratione, uel laborantis interrogatione, utrum ex euidente causa prouenerit, cognouerimus, & ex eo quod dolor in ima aure sine grauitate, uel distensione, uel ardore fixus sit, calorificis curabitur præsidijs, auditili meatui oleum rutaceum calidū, aut nardinū, aut laurinum calidum, aut amaracinū, aut phulliatum, aut spicatū, aut cōmune, cum euphorbio, aut pipere, aut castorio, aut commagenū quod uocant ungentū, aut succum balsami instillādo. Et oleum in quo feruefactum sit alliū, uel cepa, auribus instillatum, auxilio est. Ex calida uerò intemperie contracto dolori, in quo feruorem quendam citra grauitatē aut distensionem sentiunt, contrarijs occurrendū, cādido oui liquore colliquato auri infuso, perinde atq; in oculo, & lacte muliebri, cum aliquo ex anodynis collyrijs, aut succo perdicij, cum exiguo rosaceo, eodemq; ipso, aut oxyrhodino, aut succo solani, aut coriādri, aut albuci, aut oleo in quo lumbrici, aut multipedes aselli, qui in locis uliginosis, sub situlis'ue reperiūtur, decocti sint: aut oleo amygdalino per se: uel uiuentia buccina tria in eo elixa, à natura faciunt. Cæterum ex uiscidis & crassis conceptū humoribus dolorē, è capitis, ipsarumq; auriū grauitate, & præcedēte uictus ratione cognosces. Sola absq; grauitate auriū distentio, spiritū flatulentū inclusum colluctari intus testatur. Vtēdū itaq; in utrisq;, aperientibus & incidentibus medicamentis: cuius generis est, aphronitrū cum aceto et melle, atq; bilis ouina cum oleo communi, siue amygdalino: necnon & porri atq; cepæ succus tepens cū melle, aut origanum cum melle, lacteq; muliebri contritum, stillatim infusum. Aduersus autē uehementiores frigiditates, fel caprinum cum porri succo instilletur. Quibus uerò dolor

dolor ingens est ac diuturnus, & grauitas auditus, etiam hisce utendum: cuiusmodi sunt, dracunculi succus, ari, bryoniæ, & huius farinæ cætera. Priuatim uerò eis qui auris cruciatu propter flatulentũ spiritum torquentur, cucurbitula aqua calẽte prius calefacta, circa aurẽ agglutinata, magnificè succurrit. Quòd si grauitas, distẽtio, pariterq; calor, & dolor pulsatilis, aut febris etiã tentet, inflammationẽ subesse censeto. atq; ante omnia quidẽ incisione uenarum utendum: deinde cum auriculario specillo lana inuoluto, oleo dulci calido frequẽter fouere expedit. Adeps ad hæc anserinus meatui instillandus est, aut uulpinus, aut Basilicũ medicamẽtũ cum rosaceo, aut cyprino, aut irino. Foris porrò cataplasmatis modo illinẽda sunt, quæ leniendi dolorem pariter & concoquendi potestatem habent. Sed dolore uiolentius sæuiente, ijs quæ mediocriter sensum stupefaciũt, utemur: haud enim leue inde periculũ cerebro, quod auditorio neruo inflammato uicinũ est, incumbit. Pulchrè igitur dolorẽ placat, quod habet opij partem unam, castorij partes duas cum lacte muliebri, aut candido oui, aut uino dulci, si tepidũ auribus instillatur. Crocodes quoq; pastillus, & Aster, & Philonis antidotus, ita afflictos sæpenumerò adiuuit. Iam uerò aurẽ aßiduè uel oleo communi, uel aliquo calido fotu fouere ex usu est. Lanam eo ipso intinctã in aurẽ demittere, ita quidem ut minimè, quantum fieri potest, particulæ ab inflammatione infestatæ attingantur. Vbi autẽ dolor inueterarit, & iam in suppurationẽ conuerti cœperit, medicamento è succo seminis lini utitor: instillãs id ipsum cum rosaceo, aut chamæmelino solutũ. Vbi uerò aqua medicamentosa auditorio meatui inhærens offenderit, siquidẽ plurima fuerit, oris suctu, aut calamo in aurẽ demisso, ipsam extrahito. Sin pauca, lana auriculari specillo inuoluta, extergens hanc, oleum aliquod tenuium partiũ, aut rosaceum, aut oui album, aut muliebre lac, instillato. Cuncta autem moderatè calida esse oportet, quæ auribus adhibentur.

Ad hulcera cum inflammatione infestantia.

Lyciū & meconiū, pari quantitate cū melle trita indūtur.

Ad maximos dolores, pus, & grauem auditum.

Amygdalarū delibratarum, spumæ nitri, opij, thuris, singulorum drach. treis, croci quatuor, galbani duas, myrrhæ unā, aceto læuigata, instillato, dolore quidē infestante rosaceo diluta: si purulentia adsit, mulso aut oxymelite: sin difficultas auditus, aceto. Hulcera porrò recētia, glaucium aceto subactum, medetur, & quæ ex eo cōficiuntur collyria. Faciūt idem diarhodon, diacrocu, et diasmyrnes. Quemadmodū rursus suppurantia citra dolorē, spurcitia ferri cū aceto diutius læuigata.

Ad sordes aurium induratas.

Nitro aceto soluto cum aqua aurem colluito, & abstersis sordibus, nitrum aceto dilutum cum rosaceo instillabis. Aliud ad sordes: Cardamomi & nitri momentū cum caricis exacinatis exceptum, in collyria digestum, auribus inijcitur, & per triduum gestata, educūt sordis plurimū, & haud mediocriter leuant. Conducit autē insuper excrescentijs carnium, diutinis doloribus et exhulcerationibus, quod habet, aloes, thuris, myrrhæ, singulorum drachmā, misyos quatuor, quibus cum aceto in pastillos coactis, ubi utendū fuerit, aceto & rosaceo soluta, infundito: pastillumq; Andronis, Heræ, & Musæ.

Ad inueterata hulcera.

Cedrinum liquorē melli confusum, illinito. Aliud: Misy combustū, & in farinā tritū, inspiratur. Aures cum oriculario clystere, posca, aut oxymelite, aut mulso, aut iure alicuius repellendi uim habētis, ueluti lenticulæ, aut rosarū, eluuntur.

Ad aures cruorem exudantes.

Elue auriculam rotundi odorati iunci decocto, polygonij uerò succum cum momento aceti instillato, aut lycium, aut amurcam, aut acaciam, aut porri liquorem.

Ad carnium excrescentias.

Auris nitro ex aqua calida, unà cum squamæ æris, & sandaraches,

daraches, æquis partibus illuitur: crusta uerò obducta, melle repurgatur.

Ad aures uerminosas.

Absinthij, aut centaurij, aut porri decocto colluatur. Instillabis item capparis foliorũ recẽtium, aut fructus eiusdem succum, aut liquorẽ cedrinũ, aut humanum lotium peruetustum, aut ueratrum album cum melle, aut nepetæ succum, aut scammoniã cum aceto, aut succum absinthij. Oleum quoq; meatui instillatum usq; ad summum, ipsos euocat. Præstat autẽ oleum aceto temperatum. Et aduersus animalcula quæ auribus incidunt, ijsdem utitor.

De calculis, & consimilibus quæ auribus inciderunt, extrahendis.

Auricularium specillum lana inuolutum, terebinthina, aut gummi, aut alio quopiam glutinoso madefactũ in aurem demitte, atq; ita ipsum extrahes. Quòd si per id parum profeceris, oleum calidum meatui aßiduè instillato. Si ne tum quidem eijciatur, aut cõprehendatur, alia aggrediunda est ratio, uelu ti in uolumine de Chirurgia prosequemur.

De sonoribus ac sibilis aurium.

Si aurium tinnitus in febribus, aut earundem decretorijs prouenerint, noli quid negotij facessere. propediẽ nanq; cum plurimũ, spontè hæc murmura cessant. At si post ægrotationem perdurauerint, absinthij decocto auribus fotis, acetũ atq; rosaceum infunde, aut radiculæ succum cum rosaceo, aut helleborі nigri cum aceto. Cõtra ueteres aurium sonos ex craßis & uiscidis humoribus obortos (deprehendes autem id, quod non uniuersim, sed particulatim obueniunt, consistantq;) aceto et nitro et melle aures eluito. Aliud: Veratri candidi drach. duas, castorij tantundem, croci tres, nitri sedecim, in aceto dilutas dirige in rotulas, & utitor.

Ad diuturnos aurium tinnitus & sibilos.

Euphorbium oleo cyprino dilutum calfactumq; inijcitur, quibus

quibus ex nimio sensus acumine caput euaporationibus et flatulentis spiritibus tentatur, his castorium, & semen cicutæ in aceto læuigatum instillato.

De grauitate auditus, & surditate.

Surditates quæ è primo statim ortu, aut post partũ quidem, sed diuturnæ, & absolutæ constituuntur, curationẽ non recipiunt. Quæ autẽ absolutæ non sunt, sed inueteratæ tamen, & ipsæ insanabiles sunt, aut ægerrimè curantur. Quæ ex bilioso humore sursum uergente conflantur, non admodũ difficulter euacuationibus, quæ medicamentis bilem deducentibus fiunt, discutiũtur. Nonnullæ etiã nulla medela adhibita, bile per inferna deiecta abolentur. Surditates uerò, uel audiendi grauitatem, è crudis & craßis humoribus prognatas, sectione uenæ, aut omnino purgatione cum hiera curato: apophlegmatismis item & errhinis utens, naturalibusq; aut ex marina lauacris. In auditorium autẽ meatum instillare quæ ad auriũ tinnitum præscripta sunt, cõuenit. peculiariter autẽ hæc: lotium & fel caprinum, aut solummodo fel, aut rutæ succus cum melle, aut castoriũ cum oleo anethino, aut œsipũ medicamentũ cum unguine nardino, aut fel caprillũ cum galbano. Aut quod habet castorij drach. duas: nitri, ueratri cãdidi, singulorum drach.

Ad contusionem aurium, quam thlasin nominant.

Hippocrates quidem nihil ipsis admouendũ asserit. Quoniam autẽ à laborantibus sæpenumerò impellimur, utendum utiq; his: Myrrhæ, aloës, thuris, acaciæ, æquas partes, cũ aceto, aut oui cãdido oblinito. Aut panis calidi medullã cũ melle in mortario cõtusam, cataplasmatis modo inducito. Vel quod recipit, Bituminis, thuris, aloës, cochlearũ carnis, bulborum Aphricanorum, pares singulorũ portiones aceto contritas imponito. Si phlegmone accedat, sesamo soluta illinito, aut chondro cum aceto elixo. Atqui cataplasmata in hac affectione laxiora sunto, absq; deligatura: uel leuiter modò uinciantur, lanamq; oleo infusam sinuoso auris specui imponito.

De Parotidibus.

Parotis, glandularũ iuxta aures est affectio, quæ eructante inibi materia, nunc ex capite humoribus in eo impactis, nunc ex reliquo corpore in febribus decretoriũ facientibus, exoritur. Quocirca si etiamdũ in profundo delitescens, parotis non assurgit in tumorẽ, extrahentia præsidia exhibentes, aut cucurbitulam affigentes, aut fomentationib. crebris utentes, ne si in altũ remeet materia, periculum afflicti non effugiant. Si uerò in tumorẽ fastigiatum cum inflãmatione attollatur, contrarijs omnino cataplasmatis, leniendi & maturandi uiribus præditis, utemur: uerbi causa, ex farina hordeacea, aut triticea, aut seminis lini farina cum mulsa, aut fœnogræci, aut altheæ, aut chamæmeli iure decocto: et quod ex rumice & axũgia sine sale constat. Si sanguis modũ excedere uideatur, euacuãdus est ante omnia ipsius incisione uenarũ, siquidẽ per uirtutẽ laborãtis integrũ sit. Sed si tumor nõ discutiatur, medicamentis quæ suppurationẽ inducunt, utendum: cuius generis est farina triticea, cum caricarum decocto & oleo: atq; id quod è polline, itẽ id quod è fermento cõponitur medicamentũ. Commeante uerò iam ad suppurationẽ abscessu, uel dissectione purulẽtia excernetur, uel acri medicamine cõfringetur. Et quorum albo censetur, nuncupatũ similium, & quod ex allijs constituitur. Parotides autem leuiores fotu è muria discutiuntur: item diaperanu medicamẽto. Hoc quidem non prius modò iam maturatum dissipat, sed indoloriũ etiã præ omnibus cæteris est efficacissimum. Ad inueteratas parotidas, buccinorum aut purpurarum crematarũ cinerem cum melle aut axungia imponamus, aut ficus marinas coctas, aut marrubiũ cũ sale. Iam obduratas emollit, tum Mnasæi, tum Ariobarzanios cõfectio. Præsentissima uerò est, quæ ex lentitia seminis lini texitur. Ante uerò hæc illinito ammoniacum, mixta cum cataplasmatis pice liquida, aut adipe taurino, aut bdellio, aut styrace, aut medulla ceruina.

De narium odoratusque uitiis Cap. 24.

SI olfaciendi potestate læsa, uox incolumis seruetur, anteriorum cerebri uentriculorũ affectionis suspicio est, qui uel simplicis intemperiei culpa noxã conceperunt, uel prauorũ humorum exuperantia. Si uox autẽ simul læsa fuerit, ac laboriosior quodãmodo, propter obstructionem meatuum, qui ethmoides à colando uocantur, euaserit, malum rursus ex uitiosis humoribus conceptũ putato. Proinde cerebri intemperatura ex notis sæpius enumeratis cognita, cõtrarijs utitor remediorum adminiculis, caputque calida marina perfundito: humores apophlegmatismis euacuato, maximè uerò quæ ualidè per nares educunt errhinis. Odoramentaque subtiliũ partium, quemadmodũ in destillationibus exhibeto. Si humorũ copia in uniuerso corpore uersetur, hanc prius uel detractione sanguinis, uel purgatione cũ hiera euacuato. Sic et in polypo, & ozæna agendum censeo: deinde loco forinsecus inijciẽda sunt auxilia. Theriaca quoque pota sæpißimè opem præsentißimam attulit. Est autem polypus, tuberculũ præter naturam in naribus obortum, substãtia, polypodis marini carnem referens. Eiusdem uerò naturæ est et sarcoma, hoc est, carunculæ in naribus præter naturam incrementum. Ozæna uerò hulcus est cariosum, ac putridum, ex acrium humorum illuuie prognatum.

Ad Polypodas & Sarcomata.

Squamulæ æris unciam, atramenti sutorij drach. sex, sandarachæ quatuor, ueratri nigri duas, naribus flatu impellito: & utere perinde atque præstantißimo: nam in tredecim diebus opem præbet notatu dignam. Conducit & atramentum sutorium, cum aceto. Aliud: Corticũ mali granati sesquiunciam, atramenti sutorij drach. decem, chalciteos octo, bilis taurinæ, amomi, myrrhæ, nepetæ, marrubij, singulorũ drach. quatuor, croci duas, ueratri candidi quatuor: arido utere. Aliud: Diphryge læuigato nares attingito, & peniculo ex linamento funiculari prius patentes facito.

Ad Ozænas.

Misyos, chalcitidis, myrrhæ, uniuscuiusq; drach. septem, atramenti sutorij sex, aluminis fißilis, gallæ, squamulæ æris, singulorum drach. quatuor, aluminis rotũdi duæ, thuris una, aceti sextarius, totum in uase æreo ad mellis usq; cõsistentiam elixatur, ex carptisq; linamentis penicillo adhibetur. Aliud: Aeruginis & æris squamæ paria põdera in puluerem redacta, conferunt.

Aduersus fœditatem odoris narium.

Myrrhæ, acaciæ, amomi, singulorum drachmã, melle despumato exceptã, summo nariũ intersepto adglutinare mandato. Aliud: Amomi, myrrhæ, rosarum siccarum, æquali pondere, unguento nardino exceptum, illinito. Cõducit etiam graueolentiæ narium, malagma Hedychroi cum uino.

Ad hulcera quæ naribus insident.

Cerussæ libram, spumæ argenti uncias treis, scoriæ plumbi tantundem, uel plumbi cremati: singula probè lota, uino oleoq; myrteo excipe.

Ad ea quæ Glycea dicuntur hulcera.

Spumæ argenti, rutæ recentis, singulorum drach. quatuor, aluminis scißilis duæ, oleo myrteo atq; aceto subiguntur.

Sternutationes prolicientia.

Sternutamentum citat helleborus albus, aut castoreũ, aut piper, aut struthion, aut uno fasce omnia: neq; tamẽ inspirare, sed pinna aut digitulo ad intimam nasi partem inserere conuenit. Sternutamentũ autem plus æquò citatũ, medicamine compescendum est: nardinum igitur, aut rosaceũ, aut glycelæum, infunduntur. Quin & odoramẽta sternutamenta sistunt, anisum, ocimi stipulæ contusæ. Sed inter hæc omnia caput smegmatis ex nitro & pumice factis exiccandum est, aut eo quod Asclepium cognomentum habet, & Constantini sapone, & Cappadocico sale, & alijs id genus utendum.

De sanguinis profluuio e naribus.

Super sanguinis ex naribus eruptione, quæ febricitantes infestat, libro secundo inter febres recensuimus. De quacunq; uerò

uerò alia, quæ ægrè compesci potest, in præsentia agemus. Chalcitidis pollinem ellychnio siue funiculo lucernario concocto, aut priapisco excipe, & foraminibus nasi indito: aut oui calycis cinerē admisceto, & gallæ dimidium: lycióue Indico attinge, aut stercoris asinarij cremati cinerē inspirato, aut succum eius elicitū instillato, aut molaris lapidis extincti aceto uaporem naribus hauriendum præbeto. aut obstruenti hoc unguine utitor: Mannæ thuris partē, aloës semissem, oui candido excipe, & utere, per linteolum ex elychnijs intortum, forinsecus leporinis pilis unctulo adiectis: aut lucernarius funiculus in nares conijcitur. Aut cucurbitulā leuem directè hypochondrio naris, unde sanguinis eruptio fit, bene magnā et constanter applicato: uel aures ualentius obturentur, frontē spongijs gelida aqua imbutis foueto, uel sycia cum sanguinis detractione occipiti adglutinato. Quandoq; uenam secare, nisi quid interdicat, & extremas partes deligare expedit: præcipuè brachia atq; crura, quemadmodum in uenæ sectione solitum est. Ad hæc agitari cōcutiq; easdem particulas imperato, manus quidem perfricando, pedes uerò obambulando. nam uenis indidem sanguine fartis, narium uasa inaniuntur. Spongia gelida posca madens, forisq; manantibus sanguine naribus strictim applicata, quod desideratur, identidē absoluit. Satius autem, si antè naribus cuneoli instar penicillus prælongus ex linamentis carptis contortus inseratur.

Aduersus faciei uitia, & antidotum quo facies a rugis conseruetur. Cap. 25.

THuris drach. quatuor, fuci tres, spumæ argenti, piperis, uniuscuiusq; octo, omnibus ex ichthyocollæ tunsæ diluto solutis, & in rotulas conformatis, utendum. Aliud: Ramenti eburnei drach. octo, thuris masculi, ichthyocollæ, paria pondera: utere, quemadmodum dictum est.

Ad faciei nigredines.

Ireos, aut ptisanæ lomenti, singulorum sextarius unus & semis,

ſemis, ſalis ammoniaci, cornu ceruini cremati, ammoniaci thymiamatis, uniuſcuiuſq; ſextans, aqua diſſoluta in paſtillos dirigũtur, rurſusq; aqua diluta ante balneũ illinuntur. Aliud: *Ptiſanæ, erui, thuris, illyridis, ſpumæ nitri, ſingulorũ chœnices quatuor, coſti, amygdalarũ amararũ, uniuſcuiuſq; drach. uiginti, ouorum cãdido liquore, et lacte aſinino excipito, atq; eo quo diximus modo utere. Vincit etiã paſtillus* Peponatos.

Ad aſperam & diſcolorem ceu a ſole cutem, & lentigines.

Cretæ cimoliæ torrefactæ cõgius ſemis, ſpumæ nitri aſſati uncia, ſiliquæ eruaceæ uncia media, fellis taurini, ſcobis eburnei, utrobiq; uncia, contritis faciẽ defricato. Aliud: *Fecis uini, erui farinæ, lomẽti, ſingulorũ drach. decẽ: ueratri cãdidi quinque, ſpumæ nitri decẽ, halcyonij tãtundẽ læuigata infricãtur.*

Ad ſugillata, quæ Græci hypopya appellant.

Oculis inter initia quidẽ, decocto fœnogræci, deinde uerò & meliloti fotis, Nili *collyrium diarhodon aqua dilutum circumlinito, poſt hæc diaſmyrnes. Quòd ſi nihil profeceris, cõpoſitum ex ſandyce crematũ inunge, aut hyſſopum cum aqua impone, uel in panniculũ uincto hyſſopo, & calida aqua madẽte, liuores foueto, aut muria acri cõſimiliter. Præterea corticẽ radiculæ cum melle tritũ applicato, & hoc inueteratos liuores exterit. Cæterũ ad expungenda quæ uetuſtas occupauit faciei ſugillata, et uibices ipſius liuidas, tordyli partes duas, rubricæ Samiæ partẽ, cũ melle imponito: cauẽs interim, ne exhulceratiõẽ inducat. Aliud deterſoriũ: Hyſſopi, thapſiæ, caſiæ, ceræ, ſingulorum drach. duas, terebinthinæ unam, adglutinato: cura adhibita, ne locus exhulceretur, & ob id quidem identidem tollendum.*

Ad uaros.

Sunt autẽ uari, exiles, duriq; in facie tumores, quibus oxymeli infricando circumlinito: aut ſpumã argenti cum terebinthina, & puſillo olei albi tritã inunge, ſimiliter infricans: aut fißile alumen cũ terebinthina, aut amygdala amara aceto eli

quata infricantur. Sed in callū duratos uaros, saponis Gallici uncia dimidia, thuris, guttæ ammoniacæ, uniuscuiusq; drachma, aqua dilutis illinito, & hora transacta abluito.

Ad uaros, pilos, & asperedines faciei.

Ceræ drach. decem, terebinthinæ unam uisci duas, colliquefacito, superq; oleū infundito, atq; eo medicamine uultum tergito: tollit enim radicitus. Aliud: *Papauer læuigatum, aut pulegiū cum sale atq; aceto, cataplasmatis modo illinito.*

Cerotum Thaidis, ad rubicundum uultum faciendum.

Croci, rubiæ radicis, fuci, thuris, myrrhæ, singulorum drachmas duas adipe uitulino, & oleo mastichino excipe, deinde illinito, interualloq; temporis imposito, spongia calida imbuta abstergito. Cæterum faciei medicamēta uniuerso quoque corpori congruunt.

De affectibus oris, & primo de dentium cruciatu. Cap. 26.

Dentium absq; gingiuarum phlegmone cruciatus, interdum quidem in suo corpore, nonnunquā uerò in neruo qui ad dentes pertinet, fieri consueuit. Validißimis igitur opus habet remedijs, quocirca pleraq; ipsorum aceto quàm acerrimo componuntur. Cum uerò gingiuæ propter phlegmonē dolore infestantur, omnium præstantißimū medicamētum est oleum lentiscinum, bene temperatū, ore retētum. Esto id autē recens, quoniā uetus tantū bonitate recenti cedit, quantū uetustate superat. Cōmunis autē etiā inpræsentiarū obseruetur medēdi ratio, ut prius qui toto corpore modū excedit humor, euacuetur.

Ad inflammationem dentium.

Colluantur aceto, in quo elixa sit galla, aut halicacabi radix, aut herbæ apollinaris semē, aut eius folia, aut pulegium, aut solani succus, aut capparis radix, aut myrti folia, aut polium, aut cucumeris syluestris radix, aut folia rutæ cum oxymelite, aut cornu ceruinū, aut acetum scilliticū, aut pyrethrum cum hyssopo. In exesam uerò dentis concauitatē styrax cum opio inditur, aut galbanū, aut sulphur ignē non expertū cum

lycio

lycio, uel alterci seminis uapor per infundibulum recipiatur. Philonis præterea antidotus denti illita, indolentiã conciliat. Vbi uerò ex fluxu dentes dolore conflictantur, myrti & lentisci, & gallæ decocto, aut rhu Syriaci, aut florũ agrestis punicæ, aut malicoriorum iure colluito. Applicatis salis portionibus duabus, aluminis tosti, et aceto extincti læuigatiq; parte una, postea uino colluantur. Gingiuis cruentis, tenue alumen inspergitur, aut aloë et uino colluũtur, aut rubi radice uino elixata, aut rhu Syriaco. Gingiuas uerò cruentas & defluxione pressas, salsamẽti crudi in olla ad carbones usq; deusti, cinere attingito. Aloë porrò dentes concussos, si inspergatur, firmat. Rhus itẽ Syriacus, aut fißile alumen, aut galla, aut rubi radix per se, uel in uino elixa. Aliud: Nucis uiridis corticẽ læuigato, atq; ius ipsorum si habes, myrrhã ueram, alumenq; scissile in ipsum cõijcito. ubi unita fuerint, in usum infundito, atq; gingiuis qua dens afficitur, imponito, præsenti erit remedio. Aliud: Allium, & piper, & syluestrẽ staphida, trita, si funiculo laneo in cuneolos exiles redegeris, atq; identidem ore uersaueris, aut permutaueris, humiditatem capitis purgabis, dentesq; sanabis.

Ad quassatos dentes, & gingiuas fluxibus tentatas, & unumquodq; depascendo serpens in ore hulcus.

Chalcitidos assæ drach. duodecim, cadmiæ octo, utere hoc puluere, adiecto aceto: sine dolore dentes tollit. Farina cum liquore tithymalli inditur, et super hederæ folium accommodatur, & horam permittitur: sponte enim dens conteretur.

Dentium smegma, & ad parulidas.

Aluminis later cularij, salis ammoniaci, singulorum triens: myrrhæ, costi, pyrethri, uniuscuiusq; drachmæ quatuor, piperis grana octoginta.

Ad parulidas.

Sulphuris ignẽ non experti, piperis, aluminis fißilis, æquales partes. Et parulis inflammatio quidem est, in aliqua gingi

uarum parte orta: quæ nisi dissoluatur, suppurat: cum uerò suppurauerit, scalpello dissecta, linamẽtis insertis distẽdetur. Epulis uerò, carnis quædam excrescentia est, quæ ab inflammatione exurgens, ad intimum molarem pertinet, cui febris interdum dolorq; iungitur. Opus itaq; cum habeat reprimentibus, rasili ferrugine per se, aut cum eiusdem ponderis galla, utendum. Aut sori tosto, aut alumine quocunq; combusto, aut galla priuatim, aut squama æris cum aceto cumplurimis diebus emollita & arefacta.

Dentium smegma.

Aristolochiæ radix cremata, cornu cerui tostum cum pauxillo mastiches, sal album melle conspersum, folijsq; ficulneis circunuolutum, combustumq;, donec in carbones uertatur. Aliud: Buccina sale respersa & adusta, cochleæ itẽ terrestres cum melle exustæ, lana succida cũ exiguo sale exusta: singulis aũt horũ fragrãtiæ causa admisceatur flos rotũdi iũci odorati, aut spicæ nardi, aut foliũ malabathri, aut cypirus, aut iris.

Dentes dealbans, gingiuas restringens, & iucundum oris odorem præstans.

Pumicis, salis assi, iridis, singulorũ drach. quatuor, cyperi quinq;, spicæ nardi una, piperis sex, læuigatis utere.

Ad dentium stuporem.

Dentiũ torpori portulaca manducata succurrit, aut oleum ex nondum maturis oliuis expressum, infricatum. Idem facit amurca, oleo in æneo uase, usq; ad mellis constitutionem decocta, si inueterata illiniatur.

Aduersus dentes attritos.

Dentibus attritis baccæ lauri, alumen fissile, aristolochia sarmentaria pari pondere subueniunt.

Contra gingiuas exesas.

Florum rosarum drach. octo, gallarum quatuor, myrrhæ duæ, gingiuas corrosas & humore flaccidas collutas sanant. Item lac asininũ, oliuæ foliorum decoctũ, acetum scilliticum.

Arida

Arida uerò adhibita ærugo ferri, cytiniq;. Cæterum ad tumores & carnis excrescentias facit portulacæ succus in ore contentus. Muria quoq; conditarũ oliuarum, oleum calidũ ex oliuis nondũ maturis expressum, aut lentiscinum, aut melinum, aut amurca. Ex aridis uerò ærugo ferri, aut æris, radix aristolochiæ, plantaginis semen, diphryges, atramentum sutorium torrefactum, atq; cytini.

Ad labiorum fissuras.

Amurcam elixam, aut adipem anserinum cum melle terebinthinaq; pari pondere, floris rosarum, hyssopi, rosacei, singulorum perexiguum illinito.

Aduersus tumorem linguæ, quem Batrachum appellant.

Ranunculus tumor est cum inflãmatione sub lingua erumpens, in pueris maximè. Locum itaq; misyos, æruginis rasilis, æquis portionibus siccis perfricato. Mento autem applicabis antheram, aut sphærium, aut parygrũ ex ouis concinnatum. Venam in perfecta ætate sub lingua secare expedit. Aliud, quod ad aphthas quoq; facit: habet ferruginis rasilis, gallæ, chalcitidis, pares partes: cum passo uerò etiam os eluitur. Aliud: Bruina farina cum melle ranunculũ prius abstersum, galla item læuigata cum melle illinito, aut rosarum floribus similiter, uel iure foliorum oliuæ colluito.

Ad tonsillarum inflammationem.

Si in febricula tonsillæ & columella inflammantur, gargarissationes cum furfurũ, aut rosarum, aut palmularũ, aut myxarum, aut lentiũ decocto competunt. Sed inflammatione remittẽte, aut in summo eius uigore, mel quoq; dictis cõmiscendum est, quod ab initio facere nequaquã conueniebat, neq; in augmento, ne quem acredine defluxum cieat. At si ad suppurationem iam perducta disrũpatur, mulsa gargarissandum est, aut cum lenticulæ aut rosarum decocto: cuiusq; ad exactã solutionẽ insistendũ, aut stomaticã collutionẽ gargarissandam porriges. Vbi uerò hulcera pestilentia tonsillas occuparint,

utendum quidem præscriptis: priuatim uerò offerēda est diamoron confectio, aqua calida, uel aqua mulsa cum flore rosarum traiectarū, aut costū, aut rhus arida, uel elixa, uel glauci foliorum aridorū decoctum. Est illud peramarum quidem, sed optimè conducit, si succū, ut in collyrijs solemus, mulsa soluas: ipsius uerò fruticis aridi flatu impulsi commodissimus est usus, aut digito accōmodati. Danda autē est opera, ne omnino manibus attingātur, aut suspensa saltē manu primoribusq; digitis. Auxilio etiā fuit Andronius pastillus. Post istas irritationes, gargarismata cum iure glycyrrhizæ facito, aut eo quod scybelite, croco, terra chia, & myrrha constat: postremò uerò amylo & tragacantha. Quòd si hulcus serpens perseueret, medicamento ex lacte, & Samia creta gargarissandū. Aliud ad tonsillas & antiadas: Succus mali punici dulcis cum corticibus contusi partes sex, cum mellis una confusæ, ad mellis usq; crassitudinē decoquantur, & inungantur. Aliud: Constat ex gallæ immaturæ uncijs duabus, aluminis fissilis uncia, salis ammoniaci torrefacti uncia. hoc puluere leniter attinge.

Aliud: Gallæ drach. octo, misyos duæ, salis assi quinq;, arido utere. Est autem Antias, tonsillarum tumor durior.

De oris columella.

Quando gurgulio, quam uuam nuncupāt, inflammatione tentatur, gargarismatis, quorum usus in tonsillarum inflāmatione probatur, mediocriterq; astringentibus utendū: cuiusmodi est, succus mali Punici, cochleario aut instrumēto quod Staphylepartū nominant, subditus, tum priuatim, tum cum melle quantum satis est decocto, aut dulcis radix mali Punici liquorē permixta. Benefacit etiam dulcis radicis succus cum melle inditus. Reprimit uuā hæmatites lapis, & Phrygius crematus, & ueluti non senescens, ageratus dictus, & confectio ex Phrygio lapide, pudēdis dicata, & terra Samia, & eretrias, & rubrica sinopis, & Lemnia, & omphaciū per se, et cum horum aliquo, spinæ item Aegyptiæ fructus, & alumen scissile. Rosæ

uerò

uerò cùm semen, tum folia, mitiorem exerũt efficaciã. Adhuc etiam lenius operantur, gummi, tragacantha, sarcocolla, amylum: quibus utiq; potißimè utendũ, si uua magis torqueatur, ab astringentibus cõstricta. Si æqualiter crassa fuerit ipsa, quod malum columellã appellãt, gargarismatis fidendum quæ ex myrrha, croco, & cypero constant. Cæterũ contusiones solicitius obseruandæ sunt, & ob id quidẽ penna potius circumlinienda: permixtum uerò medicamentũ proficit, rhus Syriaci drach. octo, croci quatuor, costi octo, seminis rosarũ quatuor. Ad hæc gingiuis cõducit linamentũ è purpura marina, quod uiperæ collo circundatũ ipsam strãgulauerit: deinde tonsillis circumapplicatum. Mirum quantum hoc opis cùm ad tonsillas, tum ad quæcunq; faucium uitia conferat, teste Galeno.

Ad sanguinis eruptiones ex ore.

Porri folia contusa imponito, aut spongiam nouam pici crudæ immersam concremato, læuigatamq; in usum adhibe. utilißima est. Oris item collutiones, ex rosis aridis seu uiridibus: decoctum itidem frigidum, aut capreolorum uitis, aut lentisci foliorum, aut rubi, aut malorum cotoniorum, aut rosarum, aut acinorum uuæ, aut lenticularum.

De angina, eiusq; differentiis, inibiq; de strangulatis, aut alias quodammodo suffocatis agitur. Cap. 27.

INflammatis faucium interioribus musculis, angina, quæ Græcis synanche dicitur, accidit: exterioribus autẽ, parasynanche. Pari modo & gutturis interiores musculi, si inflammationem experiantur, cynanchen: si exteriores, paracynanchen excitant. Omnium eadẽ euenta sunt. Recta ceruice spiratio, & dolor cũ difficili spiritu. Nonnullis etiã febris, ruborq; uultus, colliq; & tumor in quibusdã accidit: os ipsorum hiat, & deglutire nequeunt. Cynanchen nonnunquã suffocatio comitata est. Hoc affectu pueri rarenter conflictantur, cum uertebræ ceruicis affectæ loco suo excidunt. Cæterũ his tanquam deploratis, manus admouẽda non est. Reliquis e uestigio uena

subiti aperienda. Sed non semel confertim euacuandū, uerùm in plures euacuationes humorum multitudinē separātes. nam cum ex cumulata et semel facta inanitione in animi deliquium incidunt, suffocationis periculū superuenit, prorumpēte uniuersim in affectā partem materia. Si his malū non cedit, uenæ quoq; sub lingua secandæ sunt: aut lingua etiam ipsa, si exerta tumentiorq; uideatur, scalpello cōcidenda est. Aluusq; acriore clystere ducēda, pedes ad hæc aqua calida fouēdi, extremæq; corporis partes ualidè deligādæ. Lanis collū succidis, uel oleo imbutis uelari, & ex hordeacea polenta cruda, cataplasmate adiuuari debet. Ab initio porrò ijsdē quæ de phlegmone tonsillarū memorata sunt, gargarizandū: aut simplici diamoron, cū elixatione rhois. Nobilius autem fuerit, quod ex syluestrib. moris institutū est, diamoron. Post hæc uerò & cōposito diamoro, aut diataryon utendū. Morbo uerò in summo incremento uigēte, nitri quoq; pauxillum admiscendū est, aut sulphuris etiam ignē non experti, nisi acredo aliqua prohibeat. Oletum præterea caninū aridum contritum, cumq; melle illitū, præsentißimū est remediū, atq; ex hoc colore candidū præcipuè: & syluestrium hirundinū cinis similiter prodest. Moram diutius trahente malo, illitione ex semine rutæ, quod besasa appellant, utendum. Interdum quidē eius potentiā aliorum medicaminum mixtione remittentes, nonnunquā denuò intendentes. Probatur etiā cucurbitularum & hirudinum sub mento, circaq; ceruicē applicatio. Ad hæc gargarismatis ex iride, hyssopo, melanthio, abrotono, glycyrrhiza, ficis in aqua mulsa decoctis, aut rutæ succo cum lacte, aut sinapi cū oxymelite utendum. Si qua uerò asperitas inde acrior percipiatur, oleū quàm præstantißimū calidū, aut rosaceum per se, aut cum cremore ptisanæ, aut fœnogræci gargarizandum exhibetur. Alimentum aqua mulsa per triduum esto, à quo cremor ptisanæ cum potione aliqua suaui propinādus est, deinde & ouorum uitelli per liquidi. Emēdata iam ingluuie (ita ut deglutiant) sorbitio

nibus

nibus ex chondro, & cibis languentiũ uirtuti conuenientibus, utendum. Malo autẽ remittente, ægrum cùm ad inambulationes, tum in lauacrum perducemus. Locum affectum cerato ex oleo rutaceo contegamus, & reliqua educatione, ut decet, uirium refocillatrice utamur. Nemini strãgulatorũ, quibus spuma circa os extiterit, manus admoliri debet, suadente Hippocrate. Alij uerò uitæ restituuntur aceti infusione, & piperis, aut urticæ seminis in aceto acerrimo cõtriti: sed quoniã ægrè admodum suscipiunt, cogendi sunt. Dissolutis uerò colli ruboribus, statim suspiciunt, & ad se redeunt. Consimiliter & in naufragis, & uno uerbo, in omnibus qui præfocantur. Excitatur enim his, recreaturq; caliditas.

De Coryza, catarrho, arteriacis, ac tussi. Cap. 28.

COmmunis est affectibus illis, excrementitij humoris à capite in subiectas partes delatio: qui si in nares defluit, malo coryza græcè, mucus & grauedo latinè nomen est. Si in fauces & palatum, Catharrus simpliciter Græcis, destillatio nobis appellatur. Sin autẽ in guttur & asperã arteriam deferatur, ita ut interiorẽ membranam ambientem exulcerarit, et salebrosam reddiderit, uox raucosa comitatur, appellantq; affectionem Branchum, siue arteriacum, latinè raucedinem: in quibus non è capite modò, sed ex uehementiore uociferationis conatu, et è gelidi aeris inspiratu asperitas prouenit cũ inflammatione. Si prorogatur diutius malũ, fluxusq; in pectus, pulmonesq; decũbit, maleficæ ac pertinaciores generãtur tusses. Quin & ex intemperie sæpius tußis excitatur, quandoq; calidiore ceu in febribus, nonnunquã frigidiore, quemadmodũ in tempestatibus Aquilonijs, quæ aridior est. Iam uerò aliorũ sæpenumero morborũ symptoma tußis existit: uerbi causa, morbi lateralis, iocinorosorũ, phthisicorum, affectuũq; pulmonis. Proinde Galenus in diuturnis tußibus, grandines quasdam à thorace reijci prodidit. Alexander uerò calculũ quendam ponderosum, ueluti in urinarijs meatibus nascitur, in uetere tußẽ

redditum perhibet, indeq; cessasse tußim asserit. Nos autẽ inter sanguinis reiectionẽ, lapidum excretionem uidimus, quemadmodum ubi illuc peruentum erit, preßius commemorabimus. Qui igitur ex æstu, coryza, ut catarrho conflictantur, circa partes affectas caloris sensum percipiũt: fluxio quædam acrium humorũ ac tenuium cùm per nares, tum per os defluit, rubor partes faciei nariumq; inficit. Qui uerò ex frigore, his circa caput & frontem oritur distẽtio, meatusq; oßium quæ à percolandi adminiculo ethmoide uocãtur, obturatio, ita ut resonare uox deorsum per nares nequeat: quibus longiore tempore protenditur, & tusses accidunt, pituitæq; excretio, nunc quidem crudæ, nunc uerò liquidæ, interdum autem uiridis. Nonnullis uerò febris superuenit, eos qui ex æstu impetuntur, nihil adiuuans: sed iis qui ex algore infestantur, concoctionis functionem promouens.

Curatio catarrhi atq; coryzæ.

Qum igitur calida intemperies modum exuperat, eadem remediorum præsidia quæ ex tali causa caput dolẽtibus competunt, adhibenda sunt. Lauacris utendum, caput permulta calida cõspergendum. Alimenta his cõueniunt, quæ sorberi commodißimè queunt, oua sorbilia, amylum, placẽtæ quæ itria uocantur, & sesama, & amygdala, & pini fructus, et quæcunq; ex lacte concinnãtur bellaria. Ex uinis uerò, dulcia, non antiqua, eq; papauerum capitibus linctus, & quæ ad hæc cõposita sunt præsidia. Si gelida intẽperies affligit, et morbus difficulter uincitur, permodico uti oportet nutricatu, & capitis è calidis & subtilium partium rebus, nardino, rutaceoq; cõstituta inunctione. Irinum uerò nõ illinendum solum, sed & naribus instillandum. Intus eædẽ thure, & myrrha cum oleo, maximè si ex frigida causa grauedo orta sit, perungantur. Nonnullis odoramenta ex reiicula cõbusta, uel ex melanthio aut cymino crematis, detritoq; panniculo illigatis, fuerunt auxilio: Cyphi Selniacum, id est lunare, naribus admouetur, & frõti salubrè

ter circumlinitur, cui ſimul unum ex emplaſtris inflammationem profligantibus adglutinato: è quorũ numero eſt Iceſium, aut Oxera, aut Barbarus, aut Athena. Ad catarrhum uerò frigidum, Cyphi quoq; potare expedit. Thorace balſami ſuccus per lanam ſuccidam illinendus eſt: fouendum idem ab omni parte cum ſtyrace, irino, & anethino. Cibarijs calidioribus, et concoctioni nihil renitentibus utendum. Materia uerò concocta, apophlegmatiſmus qui commanducatu pituitam cit, conueniet, & ſmegmata capitis: uerbi cauſa, ſapo Conſtantini, et his ſimilia.

Raucedinis curatio.

Arteriacis branchisq; appellatis, eadem ſanè quæ ſuperius cõmemorata, conueniunt: priuatim uerò, ſi arteriã laryngaq; occupauerit inflãmatio, inter initia ſtatim, quæ tectorij modo illinũtur, remedijs meatus obſtruẽtibus, tantiſper dum inflammatio moderatior reddatur, utendũ eſt: cuius generis ſunt, confectio paßi Cretici, tragacãthæ, gummi, & amyli. Pinguium item palmularum decoctũ, et dulcis radicis cum ſapa, ad mellis craßitudinem: uſusq; hypoglottidum, ſic quòd ſub lingua teneantur, appellatarũ. Sed tunc ante omnia uino abſtinẽdum eſt: dulce autẽ uinum, ſi inflammatio remißior euaſerit, potui detur. Et bellaria ex melle, & lacte cum amylo, aut pane ſiligineo, ſorbitionesq; ex amygdalis, atq; butyrum aſſumantur. Cum uerò humiditas aliqua artus occupat, uehementius abſtergentia aggrediunda ſunt: qualia ſunt, fabaceum lomentũ, & ex melle confecta: braßicæ item, & porrum probè decoctum. Pharmaca porrò magis calorifica, & quæ ad tußim faciunt, accommodata ſunt. Et quæ ſapa ex ficis pinguibus, thure, iride, terebinthina, ſtyrace, galbano, pipere, cinamomo, caßia, et his non dißimilibus conſiunt.

De Tuſsi.

Tußibus quoq; eadem methodo medendum. illud duntaxat abſq; perpenſione non prætereundum, per conſenſum'ne cæterarum

terarum partiũ quis tußiat, uerbi causa, gurgulionis destillantis, aut capitis, et an aliis morbis superueniat. His quoad eius fieri potest, secundũ quę prædiximus, & mox dicemus modũ, prospiciendũ est. Cõposita uerò præsidia deinceps exponam.

Catapotia, medendo catarrho ac tussi.

Styracis, myrrhæ, opij, galbani, pares uniuscuiusq; portiones, passo exceptæ, aut singulatim in mortario cõtusæ, ad erui instar digeruntur, noctuq; lectum petenti trina aut quaterna, quina' ue propinantur, passumq; insuper sorbetur. Hæc quippe ad acrem & subtilem faciunt destillationem. Aliud: Herbæ apollinaris seminis drach. duodecim, pinearũ nucum sex, croci duas, defruto aut passo excipe, & utere.

Ecligma, seu linctus.

Mellis uncia, butyri semuncia, simul coquantur, & exhibeantur. Hyssopi præterea & ficuum, & nucleorum pineorum, & iridis decoctum bauriatur.

Catapotia ad diuturniorem tussim.

Styracis drach. sex, myrrhæ duas et semissem, terebinthinæ, galbani, opopanacis, ireos, singulorum drach. duas, piperis albi, nitri, seminis alterci, succi papaueris, uniuscuiusque drachmam, absq; ullo liquore in pila contusa, in catapotia digerito, atq; eo quo docuimus modo utitor.

Arcendis salebris gutturis, tussi, cruentisq; sputis.

Amygdalas amaras decorticatas uigintiquinq;, seminis lini torrefacti drach. quatuor, tragacanthæ duas, nuclei pinei grana triginta, oui in adipe tosti croceũ: ipsa tragacãtha in aqua liquatur, totum uerò passo excipitur. Quòd si fractæ quoq; uocis sonus edatur, paßi loco mellis aliquid confundito, præsertim in quibus nonnihil sursum ferri ac eijci expedit.

Arteriace hypoglossis, his qui uocem amiserunt, raucis & anaphoricis accommodata.

Tragacanthæ, gummi, singulorum drach. sex, myrrhæ unam, thuris unam & semis, piperis candidi grana uiginti, croci

croci drach. succi glycyrrhizæ sex, trium palmularum carnem, paßi Cretici quantũ satis est. Et ipse solus tragacanthæ succus in uicẽ succi glycyrrhizæ linguæ suppositus, decoctũq; ipsius ad craßitudinẽ usq; elixum, quadrupla mẽsura inditur.

Ad amissum uocis sonum, & his qui uocem exercent efficax arteriace.

Porra sex ad tertias usq; decoquito, & ipsa quidem porri cito: liquorẽ uerò alicæ cum melle iuri ipsorum commisceto, & ouorum antea elixatorum lutea terna unà decoquito, anethi rudicula subinde commouens.

Bechicum tussientibus utile.

Pulegij uncias duas, nucleorum pineæ, seminis cnici, seminis lini, uniuscuiusq; unciã, piperis cocti uncias quatuor, melli elixato miscebis. Aliud: Hyssopi, pulegij, piperis, singulorum uncia, petroselini uncia semis, mellis hemina excipiũtur.

Maturatiuum inueteratæ tussis.

Vbi mellis drach. sedecim, terebinthinæ duæ, galbani quatuordecim unà coxerint, in rotellas digerito, quæ fabæ magnitudinem æquent, & instar nucis ponticæ, & ex his deligatur. Aliud: Tußi aridæ arteriaca medentur, & feruentis aquæ interdũ sorbillatio. sputũ enim propter craßitudinem pituitæ nõ reijcientes, liquidis aliquantulũ adiuuabuntur. Cõfert præterea ipsis, hyssopi, iridos, & nucis pineæ decoctum.

Trochiscus Capnistos ad tussim continuam.

Styracis, piperis, mastiches, petroselini, singulorũ unciam, sandarachæ diobolos sex, baccas lauri duas, melle excepta in pastillos dirige, qui carbonibus iniecti, fumo suo nidorẽ exhibent utilẽ, si per infundibulum in fauces tußiẽtis admittatur. Prodest etiam quocunq; modo perfrigeratis.

De Orthopnœa, Asthmate, & Dyspnœa. Cap. 29.

QVi sine febre crebra respiratione, tanquã à citatiore cursu agitati, conflictantur, ab eo quod comitatur accidente, asthmatici, hoc est anhelosi nuncupãtur. Eidem quod strangulari

lari

lari formidantes, ad respirationẽ recto pectore toto nituntur, orthopnoici dicuntur. Oritur autẽ affectio, craßis & glutinosis humoribus, fistulosis pulmonum cartilaginibus, cauitatibusúe infarctis. Dyspnœa uerò, hoc est spiritus et animæ difficultas, commune est accidens, cùm hæc, tum alia plurima mala comitans. Anhelosorum medendi scopus est, uiscidos crassosq; humores, medicamentis attenuantibus & abstergẽtibus consumere. Proinde acetum scilliticum hoc malo oppreßis accommodatißimũ est: & inde confectum oxymel in potu sumptum, ipsaq; scylla tosta, cum melle trita. Ex antidotis hiera, et alia medicamenta ualidißima, quæ aluũ continenter deiectionibus solicitant, & cum raphanis citati uomitus, aristolochia rotunda bibita, centaurij maioris radix, spondylij semen & radix, nepetæ fructus, hyssopũ, iris, melanthium. asellorũ qui uligi nosis & aquaticis degunt, sextariũ uasi inijciens fictili, super carbonibus torrefacito: ubi uerò candorem induere cœperint, conterito, melleq; despumato excipiens, mystrum cùm ante, tum post cibum porrigito. Quòd si neceßitas urgeat, ante hæc omnia uenam aperito, & secundum laborantis uires euacuato: aluus item clysteribus irritanda. foris thoraci ficus, lolij farinã, & hordeaceam cataplasmatis modo imponito, resina interim ceraq; et melle adiecta. Inspergatur etiã illi iris, mannaq;. Non alienũ fuerit, farinã hordeaceam cum resina, cera, iride, mannaq; emplastri more adglutinare. Vngentis uerò utendũ admodũ calorificis, irino, anethino, & rutaceo. Peculiarius multo est, pumicis partẽ, sphecles (quæ est fex uini) crematæ partes quatuor, spumæ nitri ceratiũ, contusa & cribrata ungentis excipiuntur, & throaci infricantur. Malagmatum usus est, quæ sanies & serosos sanguinis humores extrahendi potestatem obtinent.

Pro suspiriosis potio.

Anhelatoribus polij, abrotoni, castorij, chamæpityos, guttæ ammoniaci thymiamatis, singulorũ partes æquales melle

subactus exhibeto. Aliter: Sunt nonnulli qui spumæ nitri cochlearium, tribus mulsæ cyathis mixtum propinant.

Aliud: Spumæ nitri dodrãs, piperis drach. laserpitij drach. semis, cochlearium ex aqua propinatur. Aliud: Castorij, guttæ ammoniaci thymiamatis, singulorum drachmæ sex, piperis grana quadraginta, passo excipiuntur. fabæ magnitudo cum mulsa exhibetur. Aliud: Sinapis drachmam, spumæ nitri ternos obolos, elaterij semiobolum, totum hoc in orbiculos octo cõformato, per biduum binos exhibeto: purgant namque per superna, citra molestiam. His qui ueluti qui obtorto collo tantum non suffocantur, dato spumæ nitri drach. treis, cum hydromelitis cyathis ternis, atq; cum cardamomo nonnunquam, confestim opitulatur. Plurimum quoq; coxendice laborantibus confert.

De peripneumonia. Cap. 30.

PEripneumonia, pulmonis inflammatio est, quæ plurimum ex ualentiore in eam partem destillatione, aut angina, aut suspirio, aut dolore laterali, aut alijs ex morbis prouenit: nonnunquam affectus à sola inflãmatione auspicatur. Comitatur spiritus angustia, febris acuta & comburens, grauitas, distentioq; pectoris, tumor, & ingẽs in facie repletio, materia ad superiora impetum instar ignis faciente. Malæ rubentes sunt, oculi turgescunt. nutant supercilia deorsum, & corneæ oculi tunicæ subpinguiusculæ apparẽt. Quũ hæc indicia ad æstum feruentiorem declinant, ignita rubedo cum inflammatione pulmonis coniectanda est. In his igitur qui ex morbis alijs in hunc deciderunt, uenæ incisio recusanda est: maximè si diutius perseuerauerit malum, aut ab initio sanguinem detraxerint. Aluus durior, in morbi inclinatione clysteribus ducenda est. Aut cucurbitulæ peringentes complures' que, circumcisa scalpello cute, pectori & lateribus, si nihil obstet, adglutinandæ sunt. Quòd si peripneumoniæ confestim ab initio inuaserit affectio, consentientibus qui ad hoc desiderantur calculis,

uena

uena secanda est: sin minus, cucurbitulæ sunt imponendæ, sanguis pro ægri uiribus demendus. Sorbitiones ad hæc cremoris ptisanæ, chondri, cũ melle assumãtur, aut ex amygdalis amaris cum simila, aut chondro, ammixtis pariter potionibus aliquot dulcibus, hydromalo, aut apomelite, aut hydrorosato. Salubre etiã recens butyrum, quantum capiunt cochlearia tria. Propinandum autẽ ipsis ficuum cum hyssopo decoctũ, uel iridis mulsa percoctæ, uel pulueris eius mensura duûm cochleariorum, melicrato inspersorũ: hoc etiã per inferna expurgat. Quod uerò ad uirium tutelã attinet, crebrius illis melicrati potio seorsim, & cum nucleis pineis repetenda est. Cucurbitulæ uniuerso thoraci, lateribusq; adglutinandæ sunt. Cerotum cyprinum, quod iridẽ admixtam habeat: aut cerotum ex oleo rutaceo, & iride arida confectum, accõmodetur. Vel quod è cera, resina, medulla ceruina, butyro, œsypo, iride sicca, & unguine nardino constat epithema.

De sanguinis sputatione. Cap: 31.

SI cruentum sputum ex ruptis uenarum uasculis originem trahit, largior sanguinis effusio comitatur, & ex euidenti quidem interdum causa, nempe lapsu ex alto, clamore, & id genus: interdum uerò ex abdita, puta plenitate, aut frigiditate, nimium naturæ modũ transgrediunte: frigus nanq; uenas rumpere, testatur Hippocrates. Si uerò cruenta reiectio ad uenarum erosionẽ referatur, sanguis non confertim, sed per interualla sigillatim excreatur: quum acria quædã & praua edulia, aut cibi abstinentia, aut acris destillatio à capite in pectus præcesserunt. Si ex uasorum pulmonis adapertione, nihil quidem ex enumeratis, excepta interdum plenitudine, præceßit, sed uictus humidior atq; calidior, lauacrorumq; immoderatorum usus: & nimium calidis locis domiciliũ, mali causam excitare uidebitur. Et neq; per inflammationes, neq; per febres, neq; in doloribus euenit, quemadmodum in ijs qui corroso uenarum corpore, Canabrosim dicunt, in hunc affectũ incidunt.

Contrà

Contrà uerò tolerabilius habebunt, ut uerisimile est, euacuati. Cum hæmorrhoides, purgationes'ue muliebres substiterint, etiam periculis erumpente sanguine liberabuntur. Eadē accidit ualetudinis cōmoditas ijs qui uase ob redundantiam rupto sanguinē edunt, nisi propter hulcus, aut immodicam inanitionem lædantur. Iam uerò quæ ad uasorū erosionē refertur sanguinis euacuatio, nunquā prosperè succedit. Atqui si per uomitionem egeratur, confessum est, quòd ex partibus quæ ad stomachum, aut uentriculū attinēt, effertur. In quibus & per secessum ad inferna proritatus aliquando euacuatur: sin autem cum tußi, à spiritus officinis proficiscitur. At si spumosus fuerit, & elāguescens in cādidum, et ex interuallo absq; ullo dolore angustiaq; extrahatu, hunc è pulmone latum arguit. In quib. tēporis progressu & febris cōtinua sequetur, præcipuè excesis quibusdā uasis, & aliquid substātiæ pulmonis, aut asperæ arteriæ circulus, aut uena reddetur. Nouimus uerò quempiam, sanguinē è pulmone sputo eijcientem, procedente tempore maxima cum tußi, & sanguine copioso, lapides expuisse quaternos aut quinos, asperos, tribulorum modo, magnitudine siliquarū trium aut quatuor, et cōtinuò quidē leuatus meliusculè habuit: haud multo uerò pòst tabe cōsumptus, fato functus est. Si uerò pituitosa excreātur cum leuiore tußicula, aut screatu, spumosūq; ac leue egeratur, ex asperà arteria reijci cognoscito. Quòd si sanguis ater fuerit, atq; in exigua frustula, quasiq; minimos globulos cōcretus, dolorēq; loci præferat, à thorace efferri portenditur, per pulmonem siue guttur facta transumptione. Qui uerò cum screatu, ex faucib. per palatum eijcitur. Si quādo autem à capite destillauerit, cum irritatione quadā & tußi redditur, defluente eo in summitatem arteriæ, & iterum sursum regurgitāte. Hæc aūt acer magna ex parte catarrhus, aut capitis dolor, aut grauedo præcedit. Nonnunquam aūt per palatum sanguinis fit euacuatio: idq; deglutita hirudine, et indidem alicui partiū adhærescente. Cæterū in cō-

mentario de Letalibus uenenis super hac fusius prosequemur.

Curatio.

Qui catarrho afflicti sanguinẽ expuunt, ijs uenã mox aperire, nisi uehemẽter acris fuerit destillatio, et intra excessum, habita uirium perpensione, detrahere conuenit. Extremas ad hæc partes uinculis excipere, cumq; oleo ueteri calido, aut sicyonio, excepto capite, perfricare. Alantur esculentis frumentaceis, quæ succum aliquẽ austerum commixtum habeant, cuiusmodi est mali punici, pomorum, pirorũ, aut eadẽ ipsa unà decoquantur. Sub somnum orbiculos ex succino concinnatos exhibeto. Tertio die mellis despumati momẽtum delingẽdum præbeto. Si hæc à morbo diutius permanente uincantur, detonso ad cutim capiti è stercore syluestrium columbarum medicamentũ imponito: & post treis horas medicamine dẽpto, in balneũ perducito: ne tamẽ caput unquã perũgatur. Deinde ubi sorbitionibus enutriueris, noctu dormituro theriacen antidotum dato: rursumq; postridie eadẽ præstãs, pari modo corpus uniuersum præter caput perfricabis: cui utiq; ceratum è thapsia, aut aliud quoddã inducẽdum, rursusq; sorbitiones repetendæ. Si malũ non aboletur, cucurbitula occipiti adglutinanda est. At si acrior humor destillauerit, deuitanda est sanguinis detractio. Alimentis uerò & præsidijs, quorũ usum esse profligãdo catarrho suprà, huic rei dedicato sermone docuimus, atq; his quæ mox enumerabuntur, utendum. Qui propter frigoris iniuriã sanguinem expuunt, ijs calfacientibus & exiccantibus thorax fouendus est, confectioq; è duobus piperum generibus suppeditanda, unà cum eo qui ex succino constituitur pastillo. Iam uerò ex instrumentis respirationi dicatis, disruptis oris uasculorũ, aut apertis, sanguinem reijcientibus, uenam, nisi sanguinis copia erumpat, secato. Omnes uerò locis aeri expositis decũbant, lecto immobili, figura sublimi, cauentes ne uehemẽter uel respirent, uel eloquãtur. Fouendæ autem afflictæ partes spõgijs posca tepida imbutis. Post septimanam

uerò

uerò lanis ſuccidis cũ roſaceo, aut myrteo, aut lentiſcino, nunc
quidem cum aceto, nunc uerò cum uino aſtringente. Plurima
autem ſi fuerit eius quod eycitur copia, pollinem & mannam
cum aceto imponamus, aut alumen & acaciã, aut malicoria,
aut gallã cum aceto, aut palmulas cum polentis, aut malis co
tonijs in uino auſtero decoctis. Poſt hæc uerò & ex ſalicibus
emplaſtrum ſuperaccommodandũ, præcipuè ſi mediocris fue
rit ſanguinis eruptio. Per os autẽ hæc ſumpta cõferunt: Por-
tulaca cõmanducata, bene facit: efficacior uerò multo ſuccus
ipſius epotus, balauſtiũ, rubi fructus et flos, quercus fibroſum,
ſiue liber, & quæ ſubiecta eſt putamini glandis membranula.
potiſsimũ uerò ipſis elixis utãtur: phagi ilicisq; tunicæ maior
efficacia eſt. Samius aſter, ad omnem ſanguinis reiectionẽ fa-
cit. Lemniũ item ſigillũ, lapis hæmatites læuigatiſsimus cum
ſucco mali Punici, aut herbæ ſanguinalis. Lapidis uerò quan
titas erit ſcrupuli unius. Cõpoſita præſidia ſunt: Paſtillus ex
ſuccino, & qui è corallio, & qui ex Aegyptia ſpina concin-
natur. Puluis item cõpoſitus è terra Samia, quæ aſter dicitur,
Lẽnio ſigillo, corallio, ſymphyto, amylo, ſingulis æquilibrio.
Sed qui hoc malum eroſioni acceptũ referunt, his maximè, ſi
catarrhus præceſſerit, opij partem ſemiſſem admiſcemus. Et
quod accipit Samiæ terræ, agerati lapidis, Lemnij ſigilli, æ-
quale põdus: utile eſt, cochlearia duo in binis ſucci arnogloßæ
cyathis potare. Aliud: Lemnij ſigilli drachmas ſedecim Sa-
mij aſteris drach. duodeuiginti, amyli drach. octo, ſarcocollæ
quatuor, gũmi duas, pulueris eius cochleariũ cum decocti pal
mularum cyathis duob. Sorbeatur inſuper poſca gelida, aut
palmularum, aut malorũ, aut pirorum, aut capreolorũ uitis,
uel eiuſmodi cuiuſpiã decoctum. Si robur exigit, alãtur circa
horam ſecundã aut tertiam: ſin minus, circiter quartam. Eſto
autem panis lotus aqua gelida, aut halica, aut chondrus cum
ſucco quodã frigerifico: uerbi cauſa, mali Punici, aut myrto-
rum, aut omphacomelitis: aut oua ſorbilia, aut bellariorum

quiddam quod è lacte conficitur, cum aliquo astringente. Ex oleribus aũt, intybum, cichoriũ, plantago, cum oleo ex immaturis oliuis expresso, atq; aceto decocta. Ex pomis aũt fugacibus, mala, pira, mespila, mala punica, corni fructus. Potus his qui non febriunt, uinum erit aquosum, perexiguũ. Qui febre carent, aliquid ex prædictis poculentorũ, aut cibyraticum hydromalum. Sed qui sanguinẽ uomitu reijciunt, ijs dẽ nutriendi sunt: cauendum modò, ne crebrius cibi porrigantur. ex facili nanq; hoc uitio oppreßis succurritur. Quoniam remedia quæ potantur, ad partes ipsas quæ sanguinem fundunt, illico accedunt, & cõgrediuntur. Vbi aũt sanguis in uentriculo grumi modo globulatim cõcreuerit, coagulũ bibendum est, maximè leporinum, aut ficulneum lixiuiũ cum aqua, aut thymum, aut cunila cum aceto. Aut lacte fißili eos euacuare oportet, aut aloe. In his qui ex palato per screationẽ sanguinẽ expuũt, gargarismis inspirandi uim habentib. utendũ, frontiq; & capiti adhibẽda sunt, quæ ijs quia sanguinẽ è narib. reddunt, expediunt. Hæc cruenti sputi est curatio, quam summo exequi studio cõuenit, eo quòd laborantib. ex immoderata eius euacuatione discrimen immineat. Multitudo nãq; euacuati sanguinis, quẽadmodũ in his qui strangulantur, lethum præsentaneũ infert. Si affectus perseuerauerit, in tabẽ mutationẽ minatur. Omnibus igitur sedulò secundum rationẽ perpetratis, & subsistente iam sanguinis eiectione, uires ipsis instaurandæ sunt, roburq; reficiendum, iuuenum porcellorũ petiolos, & cerebella porrigentes, corpus perfricari præcipiẽtes. In primis frequentẽ usum balnei, potationem uini, iram, & rem uenereã cauentes.

De pectoris suppuratione, & tabe quam Græce phthisin nuncupant. Cap. 32

EMpyema, quod purulentam excreationẽ Romani appellant, in cauo specu thoracis, siue in succingẽte costas membrana colligitur, quandoq; ob sanguinis reiectionẽ, hulcere ad cicatricem non perducto; hinc phthisis cõfestim sequitur, si ex pulmone

pulmone fiat excreatio. quandoq; ex inflãmatione subordinata. Deinde quũ abscesserit, & disrupta fuerit, ut in laterali dolore aliquãdo accidit: aut ex cõfluxu à capite proueniente. Signa itaq; cõsistentis empyematis sunt, grauitas thoracis, tußis uehemens & arida cum doloribus: interdũ etiam humiditas quædam accedit, qua leuari nõnihil uidentur, febriculæq; intra initia statim ignauæ, errantes, et difficilis decretorij affligunt. Quũ uerò uomica abscessus appetit, acrius cum horrore aliquo febriũt, inq; sermonis proprietate spiritu turbati præcipitantur. Rupto abscessu, pus reijcitur, modò purũ, modò feculentum. Quandoq; superius erumpit abscessus, unde grauius incumbit periculũ: interdum uerò deorsum. atq; id quidẽ quod descendit, partim in uentrem & intestinũ transfunditur, partim uerò in uesicã, facta per uasa quædã trãsumptione, delabitur. Febriũt aũt febre hectica usq; ad totius materiæ repurgationem: quæ nisi accuratißimè procuretur, breui æger saniosus in tabem rapitur, pulmone exhulceratiõẽ sustinente. In qua iam tabe conclamata, genæ pallescunt, frons atq; ceruix sudoribus rorescunt, carnes contabescunt, ungues incuruãtur, & craßiores, candidioresq; aut liuidi apparent. Malo autem magis inualescente, uenter conturbatur, hypochondrium sursum conuellitur, dira sitis, & ciborum auersio cruciãt: quodq; excreatur, grauißimi odoris fluxum emittit.

Curatio.

Ante igitur omnia, puris collecti maturatio promouenda est spongiarũ fotu, cataplasmatis ex farinis hordeaceis cum caricis discoctis, & resina exigua, & stercore columbarum, nitroq; et hibisco. Adiuuat aũt rupturã, in latus sanum decubitus. Sorbeatur præterea ex temporis interuallo mulsa, & cremor ptisanæ admixto melle: sed quibus plus roboris inest, ius hyssopi & thymi melle adiecto bibant. Promouet etiã rupturam uomicæ salsamentorũ esus, & catapotia hieræ ex colocynthide sub somnũ, in cubilis ingressu sumpta. Vbi pus expe-

ſtorari cœperit, hyſſopi denuò & iridis atque glycyrrhizæ decoctorum in mulſa potionẽ repete. Vel glycyrrhizam cum ſeſamo tritã exhibe: aut pollinem in mulſa & oleo percoctum cataplaſmatis modo inducito. Quum autẽ hulcus expurgationi per ſuperna renititur, ad compoſitorũ uſum deueniendũ eſt: uerbi cauſa, medicamenti quod ex marrubio conſtat, tum ſimplicis, tum cõpoſiti. Et eius quod ex eruis conſtat, & quod ab ingredientiũ numero Græcè dodecatheon dicitur. Itẽ quæ ab autore Philoxeni nomenclaturã ſortita eſt, cõfectionis. Porrò qui in tabẽ decidunt, his porra capitata in chondri ac ptiſanæ ſorbitionibus liquefacta dato. Iam uerò & hæc per ſe bis decocta exhibẽda ſunt. Potus aqua pluuialis eſto, & ex eo melicratum. Circa initia uerò relaxationũ, imponantur cataplaſmata ex ſemine lini, & polline, ex decocto fœnogræci, aut maluæ, olei, mellis, & foliorum altheæ. Temporis uerò progreſſu ad cerata ex butyro, oleo cyprino, laurino, & iride tranſeũdũ. Mnaſæi item emplaſtri uſus probatur. Thoraci autem fluxione oppreſſo, emplaſtrũ ex ſalicibus imponendum eſt. Propinanda inſuper iampridẽ in ſanioſis enumerata ſimplicia, atq; ex compoſitis nõnulla. Si anxifera tuſſis grauiter urgeat, thymum et hyſſopũ cum ſucco glycyrrhizæ melle decocto excepta, & in teſſellas redacta, ſub lingua cõtinenda exhibeto. Conuenit amplius ipſis ex tẽporis interuallo præſtita Mithridatis antidotus, & quæ ex uiperis conficitur. Vtiliſſimum uerò fuerit auxilium, bolus Armenia pota. Heſdræq; antidotus nihilo minus quàm prædicta ſubuenit.

De dolore laterali pleuritide ue. Cap. 33.

Dolor lateritius, quem Græcè pleuritim dicunt, propriè membranæ coſtas ſuccingentis inflãmatio eſt. Comitatur hunc anhelitus difficultas, tuſſis, febris continua, dolor ad claviculam uſq; & præcordia pertingens. Diſcerni autem pleuritis ab inflãmatione iocinoris, in qua omnes hæ notæ apparent, hiſce indicijs poteſt; Pleuriticos quidẽ dolor punctilis infeſtat,

festat, & tußis quandoq; arida, quod morbũ crudum portendit: quandoq; cũ sputi reiectatione, quod humorẽ qui morbum creat, innuit. Rubrũ etenim & sanguinolentũ excreatur, sanguine naturæ modũ exuperante. flauum uerò & in pallorem languescens, cum flaua bilis superat: quemadmodũ rursus albicans & subspumosum, si pituita. In melancholico uerò humore, nigrius reijcitur. Pulsus durus ac serræ modo denticulatus subest. In iecoraria uerò inflammatione, nullus dolor compungens, neq; durus adeò pulsus sentitur, sed arida tußis qua nihil expuitur, usq; molestat: facies pallidior apparet. Quæ uerò laterum cõpunctiones ex musculorũ externorum inflammatione oriũtur, hæ quidẽ nothæ pleuritides appellantur: in quib. absq; tußi, absq; excreationibus, cum molliore pulsu, locus affectus manu attrectatus, dolore afficitur: et nisi suppuratus tumor discutiatur, post sectionẽ ad exteriora prorumpit: quũ pleuritis ex inflãmmatione mẽbranulæ costas succingentis creata, eò non feratur. illa nanq; nisi uel foras, uel intus à purulenta colluuie expurgetur, multo citius in uomicam peripneumoniacam transit.

Curatio pleuritidis.

Si igitur ad clauiculam usq; dolor protendatur, uena incidenda est: sin uerò ad præcordia usq; perueniat, purgandum. Recentiores autẽ omnibus sanguinẽ secta uena detrahunt: formidantes (ni fallor) turbationẽ, quæ purgationem libenter comitatur. Reclamantibus autẽ uiribus imbecillis, neutrũ faciendum, clysterijs acrioribus utendum. Quòd si dolor mediocris affuerit, à clysteribus aqua mulsa, & ptisanæ aut chondri cremor propinentur. In morbi decremento, cremoribus porrum adijciendũ, aut nepeta, aut pulegij & urticæ semen cũ melle delingitur. Si dolores uehemẽter affligunt, post euacuationem demulcendi sunt lanæ calẽtis, uel sulphuratæ impositu, aut fomentis ex milio, & furfurib. in sacculo adhibitis, aut calida aqua, seu oleo uesicula excepto. Lanã præterea succidã cum

oleo, uinoq́; marina diluto: siue alia inijcienda, aut ex seminibus cataplasma imponendũ, cum decocto chamæmelorum, altheæ, aut carycarũ, ireos, absinthij, mellisq́; momento cum oleo nardino. Circa quartum uerò diem sorbitionib. nutrito, adiecto melle perexiguo. Septem aũt diebus lapsis, linctus ex amygdalis, semineq́; urticæ melle contritis, offeretur, aut ecligma ex butyro, melleq́; decoctum. Et hypoglottide ex melle despumato utendum. Epithematis porrò, tũ uidelicet, quod quia fœdißimi odoris est, dysodes appellatur, tum eo quod ex sampsycho constat: & peganera emplastrum, affectis applicabitur locis. Bulbi præterea cum axũgia appositi, sæpenumero satis præsidij tulerunt. Inijciendũ insuper eo morbo oppreßis per inferna medicamentũ ex butyro & terebinthina. Sed efficacior linctus est, qui ex fructu piceæ: item ex amygdali amari, seminis linei, nuclei pinei, & amyli æquilibrio cum melle conficitur. Quos autem uigiliæ torquent, eos medicamentum è papauerũ capitib. delingere competit. Ex antidotisq́; athanasia, & alijs ad hanc prouinciam cõpositis utamur. Post decimum uerò & quartum diem, si malum non cesserit, cucurbitulæ ipsis imponẽdæ, ægri in extenuatoria uictus ratione seruandi. Deinde ubi morbus remittitur, in lauacrum ducendi, frigidum uitandum. Victus solidior adhibendus. Quòd si inflammatio costas succingentis tunicæ non discussa, in pus conuertatur, antea commemoratis utendum.

Ad lateris sine febre dolores.

Lateritijs doloribus sine febri bdellium succurrit, & costus. braßicæ caulium deustarum cineri & adipi mixta, Nam hoc medicamentum impense discutit.

De affectibus cordis. Cap. 34.

COr si primario affectu fuerit læsum, procul à medicorum præsidio abest, uitã cum morte subitò commutans, quum inflammationes & ignitas rubedines, quæ erysipelata dicuntur, uehementesq́; intemperaturas in acutißimis febribus, sanguinis

guinis item fluxum, ex leui potißimũ sinus cordis uulnusculo, experitur. Si aũt per consensum afficiatur, ex cerebri, iocinoris, oris uẽtriculi affectu, siq́; ex mœstitia et metu, alijsq́; compluríb. causis, syncopẽ appellatũ, quæ repentinus est uirtutis casus, oboritur: quæ resolutionib. & animi deliquijs, exiguo arteriarum percussu, extremarũq́; partium perfrictionibus, & circumfluis sudorib. significatur. Quæ si ualidior est, nullæ remediorũ suppetiæ succurrere possunt. Virtute uerò adhuc uel tantillum constante, nonnunquã subuenire datur. Validæ ad hæc cordis palpitationes subinde ex multitudine, aut feruore sanguinis in eo cõcepti oboriũtur. Cor uerò idem superexcalfactũ, magnam et frequentẽ inducit respirationẽ: refrigeratum autẽ, exiguã atq; raram. Omnẽ autem cardiacarum syncoparũ emendationẽ, secundo libro inter febrium casus recensuimus: tantum hic loci adijciẽdum, quẽadmodum uincente iam symptomate, extremis partib. perfricatis & illitis, purgamẽtis item pauimẽti iniectis, & alia quacunq; recreatione adhibita, inducẽda sint, sudore difflatis partibus, myrtus læuigata, aut creta cimolia, aut succinum, aut malicoriũ cum manna, aut terra Samia cum gummi. Membra uerò extrema perfrigerata usq; ad pubem et alas, sinapi, aut pyrethro, aut adarce obducantur. Alimentum esto panis ex aqua, seu uino frigido temperato, pedunculi suilli, articuli, rostra, alæ, omnia frigida. Caput & frontem oleo ex oliuis immaturis, aut aliquo styptico cumgummi, aut decocto rosarum perungito. Præcordijs autem, stomachoq́;, cataplasma ex palmulis, rosis, œnanthe, acacia, hypocystide, & alumine imponito.

De palpitatione cordis.

Noui quendã, inquit Galenus, quotannis uerno tẽpore palpitationis cordis acceßione diuexatũ: qui cum per triennium se à sanguinis detractione adiutum intelligeret, anno quarto, priusquam accidens illud denuò inuaderet, sanguinis mißionẽ repetiuit, nec amplius eidem malo obnoxius fuit: sicq́; plurib.

deinceps annis factitauit, & consentanea post hæc uictus ratione usus est. Sed nihilominus is etiam ante senectam morte præuentus est, quemadmodũ & reliquorũ pleriq; omnes, quorum in acutis febribus nonnulli repentè animo destituti, pari modo interierunt. Quidam ipsorum citra animi deliquium tã quam syderati, subitò uitam in mortem cõmutarunt. Magna ita affectorum pars ætatem agebat quinquaginta quidem annis inferiorem, sed quæ annos quadraginta excederet.

De mammillarum uitiis. Cap. 35.

LAc à partu casei more sæpenumerò in mammis concretum, inflãmationes suscitat. Hisce itaque rebus à principio utendum. Spõgia mollis, posca tepida madidata atq; expressa imponitur, & alligatur apposite. Aut palmulæ cum pane in posca læuigatæ. aut ouo etiam toto utendum, admixto rosaceo, cum cerato perexiguo. aut alumen, & pulicaria herba cum coriandro, aut portulaca superaccõmodantur, aut Pyrites lapis tritus cum cerato impositus alligatur. Cæterũ distentione oborta, aut lacte in grumos coacto, panem ex hydrelæo, aut œnomelite cataplasmatis instar applicato: aut panẽ cum perdicio uiridi atq; cerato, bis in die: aut fabaceam farinam cum aqua mulsa, uel defruto. Quòd si põdus non ferãt, irrigatione olei dulcis calidi cum lanis delicatioribus utendum. Fouendæ sunt mammæ cnm uapore aquæ feruidæ, aut fœnogræci decocto, aut altheæ, aut seminis apij. Cataplasma præterea imponendũ è polline triticeo, & semine lini, aut fœnogræco cum hydromelite, aut sesamo cũ melle butyro'ue cõtrito. Exuctionem porrò mammarũ uitare expedit, quoniã lactatio maiorem lactis colluuiẽ ad ipsas proritabit. Cum autem inflammatio remittit, istiusmodi ceratis utendũ: Betam oleo, donec liquefacta sit, elixabis. Ipsa autẽ proiecta, oleo ceræ mediocrem mensuram adijcito, atq; utere. Aliud: Ouorum crudorũ lutea decem cerato cõmisceto, quod cõstet ceræ uncijs duabus et semisse, rosaceiq; uncijs quatuor, & spatha ubi permoueris, muriæ

muriæ quātum ſuſcipere poteſt, inijce: denuoq; cum rudicula agitaueris, utitor. Ad mammarū porrò duricies cōfert medicamentum è melle, & omnia quæ emolliendi uirtutē obtinent medicamina. Vbi tumor in abſceſſum tranſit, illis, quorum capite de Parotidibus facta eſt mentio: item ijs quæ in ſermone de Apoſtematis recenſebimus, utendum eſt.

Archigenis, aduerſus eroſiones mamillarū cum malignitate.

Vini Hadriani boni ſextarij uiginti, rhus coriariorū libra, galbulorum cupreſſi libra, gallæ immaturæ atræ unciæ ſex, caſsiæ tantundē: quæ ſimul cōtuſa, in uino diebus decem macerato, deinde coquatur, cōmota aſsiduò rude cupreſsina, uſq; ad dimidias fermè: tum herbas quidē porrice, ſuccus uerò elixetur ad mellis uſq; ſpiſsitudinē, deinde in uaſe uitreo reponatur. Vtere in his quæ depaſcendo erodunt, mero. At ſi craſsius fuerit medicamentū, uino liquidius reddatur: mammarū nomas, aures quæ cum purulentia fluunt, gingiuas ob humiditatē putridas, & dyſenterias impoſitū ſanat. Mitigat idem dolores, lacte temperatum. Alijs mammarū exhulcerationibus, haud aliter quàm cæteris quibuſcunq; hulceribus medendum.

Quæ mammas conſeruent.

Cyminum cum aqua contritum mammis emplaſtri modo accommodato, mox ſpongia exterius poſca imbuta impoſita, pectus faſcijs conſtringito: tranſactis uerò tribus dieculis, cymino ſublato, mammis florē bulborum cum melle ſuperinducito, & cinctura denuò deligatum per triduum ſinito, idq; ter in menſe facito. Aliud: Cicutam in puluiſculum læuigatam per dies nouem imponito, & ſpongiam foris, ut dictum eſt: et aliquot diebus interpoſitis, idem facito. Naxiæ item cotis ramentum, uirginum mammas cuſtodit.

Aduerſus alarum graueolentias atq; ſudationes. Cap. 36.

AD hirquum, ſudationesq; axillarum, aluminis liquidi portionibus duabus, myrrhæ una, uino diſſolutis utere.

Aliud: Plumbaginē crematā, uinoq; fragrāte extinctam cum uino cōterito, myrrhæ momentū uſq; ad ſtrigmēti balneorum

craſsi-

craßitudinem adijciens utitor. Aliud: Spumæ argenti drac. ſedecim, myrrhæ duas, amomi unam, uino excipito. Aliud: Aluminis liquidi drach. octo, amomi, myrrhæ, ſpicæ nardi, ſingulorũ drach. quatuor, uino diluatur, & in uſum adhibeatur.

De ſtomachi, præcordiorum, uentriſq; affectibus. Cap. 37.

DE appetitus à cibis auerſione, quæ febre correptos infeſtat, grandi fame, appetentia canina, debilitate ſtomachi, animi deliquio, de ſiti præterea, ſingultu, nauſea, & ſyncope, inter hæc quæ de febribus libro ſuperiore comprehenſa ſunt, abundè determinatũ eſt. Rurſum igitur ſuper iiſdem uerba facere cõſentaneum non eſt. Cæterùm inflammationes oris uentriculi, atq; iocinoris, ſemper opus habent cõſtringentium rerum admixtione. Nam ſi quis ſola relaxanti ratione mederi ſtudeat, uitã in diſcrimen duxerit. Proinde oportet, ſiue oleum fuerit quod ſuperfunditur, ſiue cataplaſma, quippiam cui adſtringendi facultas ſit, adnectere: uerbi cauſa, abſinthium, aut unguentum nardinum, aut melinum, aut malum cydonium elixatum. Ceratũ autẽ quo cõtinuè utimur, eſt huiuſmodi: Ceræ candidæ uncia, æſtatis tẽpeſtate drac. ſeptẽ, aloes, maſtiches, uniuſcuiuſq; drachma, olei oliuarum nõdum maturarum, aut melini, & nardini, quantum uſus ad ſpißitudinẽ exigit. Quòd ſi adhuc maiore adſtrictione indiget, ut qui alimentis ſuperior eſſe non poßit, prædictis olei omphacij drachmã, aut abſinthij ſucci parem modum, ad hæc tertiã partem hypociſtidis, floris labruſcæ, & cremoris rhus adijcito. Addere deinde oportet cerati quantitatẽ, quæ numero aliorum medicaminũ proportione reſpondeat. Quòd ſi in uetuſtatem incidit inflãmatio, ac indureſcit, medicamẽta uaria magis ſunt adhibẽda, & quæ aromatum aliquid emollientiũ & diſycientiũ habeant. Cuius fariuæ eſt, quod ex meliloto confectum eſt, & Philagrianum, & quod à fragrãtia Euodes nominatur. Viridis iaſpidis torques collo appẽſus, ita ut os uẽtris attingat, pro amuleto eſt. Verùm in calidis ſtomachi intemperiebus & ardentibus, cum reſolutione

tione eius, uel animæ defectu, aut aliqua cibi fuga, nulla omnino occasione excepta, quàm febri, aquam gelidã potui dato, cum succo uuæ acerbæ, aut malorum cotoneorũ decoctum, aut clauiculæ uitis, aut seminis cucũeris ius, uel puluerẽ ipsius ex aqua frigida. Stomacho præterea uesicã gelida aqua fartam, aut cucurbitæ ramenta imponito. Catapotia item, quæ extinguendi sitim potentiã habẽt, ceu iampridẽ de siti memoratum est, exhibenda sunt. Stomachus porrò qui cum humore languidus flaccescit, refrigeratur et roboratur isto remedio: Foliorũ rosarũ uiridium drach. sex, succi glycyrrhizæ quatuor, uino dulci excipito, & tessellatim formulã, quæ linguæ subdi commodè posit, digerito. Sed in quibus propter crassitudinẽ pituitæ calorificis & incidentibus opus est, hoc fuerit præsidium: Corticis radicis fœniculi sextans, aceti sesquisextarius, aloes unciæ tres, mellis libræ quatuor: radices cum aceto elixæ exprimuntur, porriciunturq́; mel uerò iniectũ usq; ad crassitudinem decoquitur, et tum deniq; aloe leuigata inditur. exhibe cochlearia tria, cum aqua. Nonnulli uerò idem absq; aloe conficiunt. Et diacalaminthes ita habentib. idoneum est. Quibus autem cibus acescit, seminis coriandri drachmã, polentæ instar subactam, aqua propinato: siue mastiches cochleariũ, siue lactucæ albæ seminis cochlearia duo. Cõpositũ aũt illud probatur, quod habet piperis drach. seminis anethi drach. treis, cymini quatuor, læuigata exhibebis somnũ inituro cochleari uno in uino temperato. In quib. porrò atra bile infectus stomachus est, & inflatione tentatur, in exacerbationibus spongias acerrimo aceto intinctas imponito. Si his malum non cesserit, alumẽ cum ære læuigato melle exceptum superaccõmodato. Potui autem dabis intybi succum, aut potioni mentam insere. Quibus stomachus flatulẽtus atq; distentus est, nepetæ decocto symmetrum mellis & piperis mixtum præbeto. Aduersus stomachi subuersiones, succi acinorum mali Punici acidi partes treis, succi mentæ partem unam, usq; ad unitatis concretionem

tionem ubi decoxeris, ante cibum myſtrum unum propinato.

Ad ſaliuam ſtomachi.

Saliuoſus ſtomachus aceto ſcillino, aut oliuarum ſalſarũ muria, aut ſummitatis nouæ germinationis oleæ decocto os abluatur, aut eius quàmminimũ deglutiatur. Nihil uerò perinde atque aloe aqua irrigata confert. Ad curationẽ uerò eorum qui cibum continere non poſſunt, quos ueteres propriè ſtomachicos nuncupant, fœnogræci farinã melli mixtã, & maluæ ſemẽ læuigatum in puluerẽ, cataplaſmatis inſtar imponito. Cerotum uerò è cera, & olei irini recremento, & caſtoreo.

De appetitus a cibis auerſione, quæ anorexia dicitur.

Anorexia (quod faſtidiũ dicunt) à cibis eſt auerſio, quæ à ſtomachi intẽperatura, uel ab exuperanti humorũ copia prouenit. Deprehenditur autem diſtemperamentũ calidius, ſiti, nidoroſis & fœtulentis ructibus, ſi quid cibi præter uoluntatem ĩngeſtum ſit: promptiore item frigidarũ rerum, & elaboratu peruicacium coctura. Gelidã intemperiem cõtraria teſtantur: neq; enim hac detenti ſitiunt, neq; frigida tolerãt, & acida interdum eructant. Qui ad humores ciborũ auerſionẽ referunt, partim propter ſubtiles atq; mordaces ſuccos hoc mali patientes, mordentur ſtomacho, nauſea magis afficiuntur, & uehementiore ſiti premuntur. Quibus uerò humores cõputruerint, ei quandoq; etiã febriunt. Qui autẽ craßis glutinoſisq; humoribus laborant, morſu quidẽ ſitiq; uacant, ſed communiter omnibus accidit nauſea. Si uerò ſinum uẽtriculi humores occuparint, eoſdẽ etiam ipſos euomunt. Sin autẽ in tunicis ipſius impacti combibitiq; hæſerint, nauſeant modò, nõ euomunt: præterquam cibos, ſi quos ſumpſerint. Quocirca qui ob calidã intemperiem cibos faſtidiunt, hos frigida uictus ratione curare, & præcipuè ijs quæ condiuntur aceto, oportet: panem igitur poſca maceratũ eſui, ipſamq; poſcam, lac item acetoſum, & eam quã uulgò Romani melcã nominãt (quod ex lacte quoddam eſt obſonium) potui dato. Intybaq; & lactucas, & non-

nunquam

nunquam aquam gelidã, omniaq; mediocriter, secundum eius quæ iustum naturæ modũ excedit temperaturæ contrarietatem: quoniã immodicus horum usus non modò non conducit, sed etiã sæpe remedijs inexpugnabilem reddit affectum. Qui præ algore escas respuunt, contrarijs omnino medendi sunt. Vinum igitur uetus, conditũ item, & hydrogarum, anisi præterea ac rutæ, petroseliniq; decoctũ propinandum est. Piper quoq; è cõmuni aqua calida, atq; ipsum quoq; quod à trib. piperum generibus cognomẽ habet diatrionpepereon, aut quod diacalaminthes appellatur. Dabis etiã uiperarum theriacam, quæ utiq; his qui ad humorũ copiam cibi fastidium referunt, aliena non est. Allia his, cùm nutrimenti, tum medicamenti nomine idonea sunt. Quum autẽ ex humorum multitudine desiderium edẽdi proiectũ est, tenues atq; mordaces humores per uomitum uel aluũ euacuabis. Vomitus facilis euadit, si æger temperatam aquã, aut mulsam admodum dilutam antea hauriat. Præstãtius uerò, si ante hæc humectantẽ exhibeas alimoniam, puta ptisanæ cremorẽ, aut ouorum lutea. Quomodo autem facilem quis uomitũ cõciliet, uolumine huius operis primo comprehensum est. Sin uerò difficulter laborans euomat, præstat materiam in aluum dirigere, languentes prius copiosiore & temperato cibo humectando. Sed purgans medicamentum esto, uel ex aloë Amarum, uel ex malis cotoneis confectum, quod & scammoniam admixtã habeat, uel rhodomelite constet. Quòd si absq; scammonia fieri poßit, aloes maiore potius copia ipsos euacuare satius est, quoniam scammoniæ usus stomacho officit. Qui uerò propter crassos & tenaces humores fastidio torquentur, his attenuando & incidendo succurremus, cum oxymelite, & ex hoc, muriaq; compositis, uelut cappari, oliuis, sinapi, & consimilibus. Neque uerò inidonea his sunt ea, quorum in illis qui simili malo præ gelida intemperie conflictantur, meminimus: præcipuè uerò post euacuationem, quam oxymelite Iuliano moliri cõuenit. Foris quæ tum

calfa-

calfaciendi, tum roborandi stomachum potentiã cõtinent, ad
bibenda sunt: ungentaq; & malagmata, cuiusmodi sunt potis-
simè id quod ex uua acerba cõtexitur, et quod marciatum ap
pellatur, & quæ solẽniter applicãtur unguina. Epithemata
insuper Baium & Euodes, eiusq; classis cætera. Exercitatio-
nes item, atq; frictiones cumprimis adhibeãtur. Ad eorum cu-
ratione qui difficulter cõcoquunt, pariterq; appetitus auersio
ne, propter frigidum simul & humidum succum, aut eiusdem
qualitatis intemperiẽ cõflictantur, ea quæ è malis cotoneis cõ
sistũt, pertinent. Dico aũt id, cui Meloplacuntiũ cognomẽtum
est, atq; id quod è succo malorum constat, & quod ex corundẽ
carnib. præparatur, cytrioq; malo confectum. Malagmata
uerò proficiunt, Marciatũ, & quod ex acerbæ & nondũ ma
turæ uuæ cremore constitutum, omphacinũ uocatur. Baion i-
tem, & Polyarchium, & eiusdẽ notæ cætera. Quòd si hulcus
uel stomachũ uel uentrem occupet, ut ab omnib. quidem acri
bus tum esculẽtis, tum poculentis, tum medicamẽtis abstinen-
dum est, ita mitigantib. utendum: uerbi causa, sorbitionib. ex
oleo, & quæ ex amylo, & terra Samia, & Lemnio sigillo, la
cte itẽ, mellisq; momento quàm minimo confiunt, ut citra mor
sum repurgent. Epithema accõmodum est ex palmulis, coto-
neorum carne, & polenta concinnatum. Cerotum è melino,
aut rosaceo, cũ gutta ammoniaca, & thure proficit. Item ep i
thema Nilei. Emplastra insuper, Diaiteũ, quia salices conti-
net, appellatum, & Icesion. Dinosces autem hulceris speciem,
uel ex sanguinis, uel ex puris, uel ex ramentorum uomitu.

Ventriculo soluto & debili, & ob id functionẽ suam in co-
quendo minimè obire potenti, aut cibũ etiã euomenti subuenit:
Aloes masuchæ, masticbes, styracis, singulorũ sextans, absin
thij triens, œnanthes quadrãs, cõfectionis gleucini unciæ sex,
ungenti melini quadrans, uini quantũ satis est. à quibusdã Cy
phios, rosarumq; singuli sextãtes adijciuntur. Hæc omnia pa
riter læuigata, purpura, aut lana excipiũtur, stomachoq; im
ponuntur.

ponũtur. Nõnulli ceræ ſelibrã adijciẽtes, epithema cõcinnant.

Ad ileoſos ſtomachi affectus, hoc eſt uehementes cruciatus, & conuulſorios.

Curandis ileoſis ſtomachi affectionibus, ualet optimè paſtillus Amazonum. Cuius deſcriptionem, tum aliorum ad ſtomachum commixtorum materiam, in uolumine de Compoſitis medicaminibus, ad calcem operis comperies.

De uentris inflatione. Cap. 38.

FLatuum in uentriculo prouẽtus, ex humoribus uel alimentis in uapores per tepidã caliditatem reſolutis generatur. Frigiditas nãq; eo ꝙ ſua natura nequit attenuare, atq; diſſoluere, nullos producit ſpiritus. Vehemens aũt caliditas cum non extenuet ſolum, ſed diſijciat etiam, flatus procreationẽ prohibet. Minor uerò caliditas, alimẽtum in ſtomacho diffundit quidem & permutat, ſed minore quàm opus ſit efficacia: inde flatus omnis procreatur. Attenuare igitur ipſos medicamẽtis calorificis cõpetit, elixãtes oleo cymini, apij, herbæ rutinalis, et dauci deniq; ſemẽ. Frigore aũt affectioni accedẽte, rutam, baccas lauri, nigellã, fœniculumq́; oleo elixato, bitumẽq́; cum oleo laurino admiſceto. Si uerò inflammatio dolorib. copulata ſit, calfaciẽtium loco laxãtib. utéris: anethũ coquens, cui adipem gallinæ & anſeris admiſceto. Vtilis præterea flatuóſis ſpiritib. obnoxijs, polij faſciculus percoctus, ſiue decoctũ nepetæ, admixto mellis exiguo, et piperis drachma. hæc quidẽ dolore acriore infeſtante adhibẽda ſunt: in mediocri ſufficit fotus ex milio. Cucurbitula uerò ampliſsima umbilicũ undiq; cõplectens, ſæpenumerò actutum toto liberat ſymptomate. Remedio quoq; caſtoriũ eſt, cum poſca epotũ, & foris cum oleo ſicyonio impoſitũ. Etſi cum tormine circa umbilicũ flatus incidant, medetur. Suillus item talus crematus, & in potu ſumptus, tormina flatusq́; diſcutit, & ariſtolochia rotunda. Doloribus porro ſpirituoſis, propter uentris obſtructiones, aut ex craſsitudine, aut ob frigiditatem obortis, uinum meracius poſt

cibum epotum præsidio est. Somnus, si superuenerit, malum ex toto profligit.

De Cholera. Cap. 39.

CHolera immoderata uentris perturbatio est, infra & supra per uomitũ ex continua ciborũ cruditate facta. Quæ interdum propter multã cibariorum prauitatẽ, nonunquã ob corruptos humores nimiũ aggestos accidit. Quocirca si nauseabundus fuerit, & conturbetur ægrotans, manẽtibus etiam dum crudis in uẽtriculo dapibus, uomitus ciendi gratia aquam tepidã haurire iubebimus, ac digitos insuper aut pinnas in fauces inserere. Opitulandum ad hæc alui deiectione. Superuacaneis humoribus eductis, quiete, & præcordiorũ fotu, ex dulci oleo, cũ uino nõ multo, aut mastichino, aut nardino, si hyems sit, uti conuenit. Sõnusq; inducendus. Lauacris, ad unguẽ facta concoctione, indulgendũ, & boni succi alimentis uescendum. Atqui cum excessu facta euacuatione, ab initio quidẽ ea quæ suprà libro secũdo de Turbatione uẽtris memorauimus, abundè sunt. Perseuerante uerò fluxu, uẽtreq; collapso, si pulsus tenuior densiorq; euadit, cataplasma ex palmulis cum œnãthe, acacia, hypocistidis liquore, & malicorio imponito. Aquæ porrò mediocriter frigidæ cyathũ ad sorbendũ exhibeto. Ius uerò rosarũ, aut œnanthes, aut rhois, aut capreolorum uitis, efficacius est, aut succus ex malo Punico acidæ dulcedinis expressus, pusillo mẽtæ superiniecto propinãdus. Vbi uerò quæ excernũtur, acriora extiterint, feruore sitiq; immodica superueniente, cucumeris semẽ cũ aquæ cyathis tribus offerendum: intybaq; et lactucas in posca elixas cibi loco mãducent. Fluxu autem nondum suppresso, uinũ aliquod austerũ propinandum est. Si nulla febris infestat, palmatianũ, aut aminæũ, aut spathites, aut omphacomelites exhibeto. Febricitantib. uerò, uinum Punicũ, id est, ex malis granatis, aut myrteũ, aut cibyraticum, hydromelũ per se poculentũ, et cum mica panis, aut halica, aut chondro. Quòd si esculenta frumentacea fastidiant,

fructuum

fructuum aliquid fugaciū, temporariorū ue, mespila nempe, aut pira, aut cotonea, aut mala granata mandentes, carnosum & durum expuent. Si porrò cibum ne sic quidē cōtineant, cucurbitula quàmmaxima leuis stomacho est adglutinãda. Qua iam adglutinata, aliquo ex prædictis nutriēdi sunt. Cæterùm ad cōuulsificas cōtractiones calida linimēta oleo imbuta musculis circūposito, cerotaq; liquida castorij quippiã et sicyonij complectentia. Sed ante hæc, mēbra sunt aqua calida fouēda. Si peruigiles reddãtur, somnum accersire, ijs quæ uigilijs aduersari prodidimus, cōuenit. Si uirtus non prohibet, & diaco dyon confectio miscenda est. Decremento autē morbi facto, in lauacrum ducendi sunt, & pullis gallinarū & columbarum, aut pedunculis suum, aut cōsimilibus ferculis recreãdi. Profusus uerò alui fluor, qui cibariorum corruptela existit, magna quidem parte sua spōte cessat, ægris alimēti nihil usq; ad consummatam decoctionē, & absolutam corruptorum inanitionem sentientibus. Si remaneat, ijsdem præsidijs quæ in cholera comprehensa sunt, occurrendum.

De intestinorū leuore, lienteria' ue, & affectione cœliaca. Ca: 40.

DVplex leuitatis intestinorum genus est. Vnum quidem ad superficialiū intestinorum exulceratione, nonnullis uerò ad cicatricē etiã ab intestinorū torminibus magna parte excitatam, seu ad alias fluxiones refertur. Alterum uerò ad imbecillitatem uirium, quæ alimēta in stomacho distinent: hanc alteram leuitatis differentiam cum cœliaco, ut uocant, affectu confundi & misceri arbitror: in quo utiq; imbecilla stomachi uirtute, cibi neq; coquūtur, neq; in corpus distrahūtur, sed crudi, perliquidi, imperfectiq; excernuntur, lubrico fluxu tentata in omnibus aluo. Sed in læuore intestinorum celerius quàm in cœliacis, quæ assumpta sunt alimēta, deijciuntur, tamq; intēsa cruditate, ut assumpti quoq; nutrimēti genus liquidò cognoscatur. et his quidē unicè à cœliacis discernūtur. Semē igitur lini cū palmulis hac affectione obnoxijs, cataplasmatis instar indu

cendum est. Summè aũt prodest lentiscus & rubus cũ oxymelite decocti. Si uenter spiritu inflatur, cyminum quoq; & anethum, & ruta cõmiscenda sunt. Cum aũt magis increscit fluxio, mala cydonia, alumẽ liquidum, acaciã, hypocystida, gallam, aut horum nõnulla, aut pariter omnia inseremus. Cerota insuper ex oleo myrtino, cum uino quopiã astringente. Epithemata calidiora quidem, è baccis lauri, & quod ex seminibus cõstat. Vehementius uerò adstringũt diaœnanthes, id est, per labruscã: diagigarton, hoc est ex malorum granatorum acinis concinnatum: & cuius pater Antylus est, et Erythrij, admiratione dignum. Inueterata uerò iam ægritudine, dropace uenter illiniatur, & ex sinapi cerato, necnõ & ipso per se sinapi. Potiones cõducunt, simplices quidẽ, semen plantaginis, aut semen rumicis, aut mali Punici cortices, uel sorba arida, aut omphax aridus ex Aminea uua trioboli quantitate, nõ febriẽtibus cum uini adstringentis cyathis sex. Febricitantib. uerò, cum aqua pluuia. Minus uerò stomachũ tentat gallicaceus uenter siccus potui inspersus, & quæ cient lotia: uerbi causa, apium, adiantũ, et id genus alia in potu sumpta, materiã auertere moliũtur. Ex mixturis uerò probãtur Polyidæ sigillum, pastillus ex electro, itẽ ex Aegyptia spina, & qui clidion appellatur, & diaspermatũ. Cæterum hoc primam habet bonitatis æstimationẽ: Lapathi syluestris seminis uncia una & semis, plantaginis seminis unciã, hypocystidos succi drach. sex, gummi seu acaciæ denarij terni, malorũ cotoneorũ ad tertias decoctorum iure diluuntur. Aliud: Cymini, piperis, rhus Syriaci, floris syluestris Punici, singulorũ unciam unam & semissem, malicorij unciã, laseris, siue succi medici unciam dimidiam, aut pulueris ipsius drachmã potioni inserito, aut oxymelite macerata, cùm mane, tum uespere misceto. Aliud: Myrtorum nigrorũ cochliarium unum & dimidium, anisi, rosarum siccarũ, œnanthes, uniuscuiusq; cochliarij semissem, palmulas uiginti, in pastillos digerito, atq; drachmam cum

aqua

aqua, aut cum uino plus satis diluto propinato. Palmā hic bonitatis obtinet, ea quæ è uiperis concinnatur theriaca. Porrò quod ad alimēta attinet, si quæ egeruntur, acria ac biliosa fuerint, è chondro, oryza, alica, & consimilibus erunt, in quibus quædam adstringēdi facultate prædita incocta sint, pira, mala cotonea, mespila et id genus alia. Lac quoq; excoctū, his salutare est. Potus aūt esto uinum aquosum & tenue, aut aliqua dulcis potio. At si pituitosior fuerit excretio, contrarijs omnino edulijs enutriēdi, semina quædā stomacho grata admiscenda, anisum, aut cyminū, aut apij semen. Lenticula recocta sæpenumerò ita oppreßis subuenit, cum aceti momento aut oxymelite mansa. Braßicæ etiā ipsæ bis coctæ auxilio sunt. Præstat autem alteram eorundem elixationem in posca fieri. Ex uinis uerò uetustius calidiusq; bibatur.

De Tenesmo. Cap. 41.

Tenesmus quandoq; intestinorū tormina præcedit. Sæpe uerò numero ipse per se paulatim creatus cessat. Est autem adfectio hæc, implacabile ad deijciēdum desiderium, quo nihil præter exigua, cruenta, uel mucosa egeruntur, quæ tantum non totius mali causam constituunt: factaq; in recto intestino, tumorē non mollem resipiscēs inflammatio, hærentium illic excrementorum opinionē, & excernendi ea cupiditatem inducit. Galenus uerò scribit, à forti eiusmodi excernendi conatu lapillum quempiā ex sede deiectum. Frequenter uerò obstructionem stercoris in tenui intestino impacti, tenesmus secutus est, qui stypticis quidē & obstruētibus remedijs plusculum adauctus sit. Clysteribus uerò acrioribus, uerbi causa, mulsa adiectis salibus, aut aliquibus quæ per os sumpta emolliūt (cuiusmodi Damascena, aut ficus, mercurialis, serū lactis) excreto stercore illico desinit. Quocirca si citra eiuscemodi causam prompta hæc egerendi sine effectu uoluntas eueniat, lenire inflammationem hordeacea polēta calida, & asperginibus ex uino, oleo myrtino, aut rosaceo, aut omphacino lumbis ac pe-

ctini applicatis, competit. Cæterùm mucosa quæ intestinũ rectum obstruunt, mulsi quoq; infusione abstergito, muriaq; non rarò indita, id quod res expostulat ipsa, perficit. Satis uerò sunt, salis drach. sex, cũ aquæ calidæ hemina. Mitigãtur præterea dolores et distētiones insessu fœnogræci, aut maluæ, aut seminis lini. Quidã uerò sæpius hanc etiã insessionem usurparunt: Rubi, myrti, cytini, lauri, & cupreßi uiridium æquales portiones in aqua decoquuntur: est autẽ Marcellium. At si in profũdo inflãmmatio et irritationes torqueãt, frumẽtacei cremores unà cũ quibusdã stypticis percocti, ab infernis infundẽdi sunt. Oleũ uerò dulce immissum, atq; plurimis horis detentũ, dolorẽ discutit. Si autẽ crebrius quis ad oletandũ exurgat, glomus ex spissamẽtis calidis ano subdetur, uel furfures calidi in fascia, aut spõgia, aut aliud quiddã eius generis apponatur.

De Dysenteria, quod est, intestinorum torminibus. Cap. 42.

DYsenteria, quã Romani tormina nuncupant, intestinorum exhulceratio est, quæ nunc quidẽ degenerãti tenesmo, aut uentris præmemoratæ cuipiã perturbationi succedit, nunc uerò à se originẽ trahit. In qua excremẽta primùm biliosa et uaria profluunt, mox iuxta proportionẽ cruenta, postremò corrupta et saniosa, cuiusmodi ex mortuorũ cadaueribus profluere cõsueuerunt. Sed quæ ab atra bile inchoat, exitialis est, cum exhulceratione cancrũ insinuãs. Si igitur cum stercore mixta exhulcerationis signa cum doloribus, & circa umbilicũ torsionibus cernãtur, in gracilibus intestinis exhulcerationẽ esse cognoscito. quæ per os remedia cũ primis expetit. Sin uerò oletum syncerum egeratur, hulceris crassorum intestinorũ nota est, quod clysteribus magis obtemperabit. Vbi autem plurimus cruor solitariè deijcitur, affectionẽ, cruentã uocitant dysenteriam. Excernitur quippe aliquãdo nigrior, quàm secundũ naturam, sanguis, lucidusq; seu floridus, quũ iecur digestum alimentum prauè cõficit, imbecillaq; cõtentrix ipsius uel alteratrix facultas debilior est, sæpenumerò per uentrẽ loturæ recentis

centis carnis haud absimile egeritur. Iecorariam autem hanc dysenteriã indigitant, qua de in sermone super iocinore narrabitur. Cõmuni itaq; curatione, iisdẽ præsidiis quib. cœliacis, ac aliis præter naturã excretionibus, succurritur. Propria uerò, Lemnia sphragis pota, et per aluũ infusa, absterso prius aqua mulsa intestino, depascenti etiam dysenteriæ medetur. Deinde muria, et portulacæ succus potus dysentericis peraccommodus est, atq; ipsa etiam per se portulaca in posca elixa et comesta: Plantago itẽ, rubiq; cùm fructus, tum folia: necnon et altheæ radicis decoctũ cõueniunt. Hippuris ex aqua uel uino pota, eiusq; succus Mori item immaturus fructus ubi aruerit, adhuc etiã magis rubi mora consimiliter arefacta prosunt. Quin & oua ex aceto cocta, mansaq;, alui fluores exiccãt. Satius fuerit, si ex his alia quæ ad tormina spectant commixta, in sartagine torrefacias, atq; esui exhibeas. Præstantißimũ uerò omniũ est omphacium, rhus rubens, & succus eiusdẽ, malicoria, galla, acini uinacei, mespila, myrta, corna, cochlearũ integrè tostorum cinis. Cõpositum uerò illud probatur: Cochlearũ cineris partes quatuor, gallæ partes duas, piperis partẽ unam in puluerem cõtusa, obsoniis inspergito: aut ex aqua uino'ue cãdido aquoso potandũ exhibe. unicè iuuat dysentericos, quibus hulcus nondũ cõtabuit. Et canũ ossa uorantiũ stercus aridũ cum lacte, in quo marini calculi igniti sint iniecti, haustũ. Cõposita uerò præcipuè prosunt, ex Aegyptia spina pastillus, atq; Philippi: itẽ qui è cornu ceruino, necnõ ex seminib. cõficiuntur, et Trygonis: catapotiaq; ex macere cõsarcinata, admirãdæ uirtutis sunt. Præstantißimus est, qui cõtinet: Opii, croci, lycii Indici, acaciæ, rhus, thuris, gallæ, hypocystidis, corticũ malorũ punicorũ, myrrhæ, aloës, æquis partib. ex aqua præbe triobolũ.

Aliud: Rhus denarii octo, gallæ, malicorii, singulorum denarii quatuor, cochleare unum ex uino propinatur. Aliud: Rhus drach. octo, gallæ, acaciæ, gũmi, uniuscuiusq; drach. duæ, opii drach. in uino tẽperato exhibetur. Hic aũt linctus dysentericis

conuenit: Myrtorum nigrorum sextarium, rhus Syriaci tantundem, palmularum Thebaicarũ libras duas, carniũ malorum cotoneorum librã, mala punica acida cum corticibus decem. uini astringẽtis sextarios duodecim, ad tertias usq; decoquito: Percolatis, mellis libras sex inijcito: coctumq; ad crassitudinem, lingẽdum exhibe. Constat uerò, quòd cataplasmata quoq; ex astringentibus, quorum syluã ad manum habes, usui sunt. Enemata porrò dysentericis propter affligẽtes tenesmos competunt, ex cremore oryzæ, aut chondri, siue id genus alicuius, cum adipe caprino, siue hircino, & quæcunq; in capite de tenesmo memorata sunt. Quòd si sanguis excernatur, polygoni succus per inferna inijciendus est, aut plantaginis cum acacia, uel hypocystidis, uel alterius eiusmodi. Sin urgeat fluxio, cohibens sanguen, aliquod remediũ inijcito: uerbi gratia, lanæ succidæ cinerẽ, uel spongiæ inanis pice liquida, seu sanguine bouillo irrigatæ, aut cum alumine liquido crematæ, aut fimi asinini cremore. Andronius etiã pastillus præstans medicamentum est, item Musæ, & his nõ absimiles. Necnon & ea quæ subijciuntur collyria, multo in id efficacissima sunt: præsertim in quibus cum doloribus alui excremẽta eijciuntur. Sed bulcus ubi depascendo serpens intestina occupauerit, id quod ex graueolentia & putredine retrimentorum, quodq; non ab initio statim, sed interposito tandẽ tempore ortũ sit, deprehendimus: clysterib. crustã inducẽtibus utamur, cuius classis sunt pastilli qui Faustiani cognomentum obtinent, et ex charta, pastillusq; nomine Bithynus & Thronius: itẽ ex suberibus confectus cum lẽticulæ decocto, aut astringentiũ quopiã immissi. Cæterum & hoc sæpius à me expertũ est enema: Glandium calycis cremati (est autem calyx concauum illud, unde glans querna enata est, quo coriarij utuntur) auripigmenti, solidaginis, rhus Syriaci, æquas horũ concussorũ partes, quantum uidelicet duo capiunt cochliaria, oryzæ cremore excipito, et succo anchusæ spinosum grandeq; & nigrũ folium habentis,

quam chœrospelethon nuncupant. Ouorum item albuginis similiter ad uncias duas, aut treis immittito. Epithematũ porrò facta est in uentratis mentio. Vẽtris insuper inunctiones è materia astringẽdi arefaciendiq; potestate prædita cõflatæ, cum aliquo glutinatorio gummi, thure, glutino taurino, polline, in id genus cataplasmatis locũ habeant. Alimentum sic habentibus principio puls ex ouo & lacte parata, mox frumentaceæ sorbitiones per se, & cum lacte elixæ, esto. Lac quoq; modicè decoctum, præstantißimũ est. Holerum usus neutiquã necessarius: possunt tamen gustari cichoriũ elixum, intybum, plantago, braßica bis cocta, & poma astringentia, carnibus ipsorum porrectis, aut quæ aliàs exasperare possunt intestina. Quòd si calor in multã uenerit intemperiem, intybum etiam crudum exhibendũ erit, aqua gelida propinanda. potũ alioqui præstet aqua pluuialis: stomacho autẽ affecto, etiã uinũ. Volucres deniq; aridiores, & cõcoctu faciles mãducẽtur. Lauacris utantur ex aquis dulcibus. At si fluxũ inde experiantur, prægrandẽ spongiã, uel micas panis siliginei, uino ascalonite, aut aliquo calido adstringẽte irrigatas, uniuerso abdomini superaccommodabis, fasciaq; ubi deligaueris, ita lauari præcipito.

De ægritudine colica. Cap. 43.

COlon craßioris intestini pars, à dextra iliorũ parte oriẽs, in modũ zonæ ad sinisteriorem excurrit. Cruciatus in eo pluribus de causis suscitãtur immensi. aut enim propter crassum pituitosumq; humorẽ, qui intra ipsius tunicas insidet, aut propter spiritum etiam craßiorem ac turgidum inclusum, aut propter inflammationẽ intestini, aut propter acres, uiq; mordaci uellicantes succos. Quibus itaq; crassus pituitosusq; humor cruciatũ infert, his dolor per uniuersum funditus epigastrium diffunditur. præcipuè uerò, ubi sensu coli situm terebra perforari autumãt. Torsiones hos circa umbilicũ excruciãt: ructus item, & nauseæ, uomitionesq; uariæ, sed in primis pituitosæ; aluus grauiter impedita adeò nihil excernit, ut ne fla

tus quidem præterlabi queat. Excretum autem quandoq; oleatulum, ueluti bubulum cernitur, leue, & spiritu refertum. Præcedunt hæc uerò maximè, gelidorũ, craßiq; humoris esculentorum frequens usurpatio, satietas, cruditas, ociũ, & id genus alia. Qui uerò dolorẽ flatulento spiritui acceptũ referunt, extensionis potius sensu torquẽtur. Qui autem ob inflãmationem tormenta sentiunt, loci feruore deprehenduntur, quem febris haud ignaua comitatur, unà cum stercore lotiũ retinetur, pulsus uentrẽ perturbat, sitis, æstus, ac nauseæ infestant, uomitionesq; biliosæ potißimũ, quæ nihil malũ subleuãt. Ea quidem ut uno uerbo eloquar, omniũ infestißima est colicarũ affectio, quæ in gracilioris intestini morbũ, quem ileon Græci nuncupant, transitũ minitatur. His qui propter acres & mordaces afficiuntur humores, perinde atq; cum subest inflãmatio, corpus æstuat, sitis et uigilia molestant. Febriunt autem omnino, aut paulo minus illis. lotiũ acre emittũt, & biliosum deÿciunt, sæpenumero in alui deiectione plurimũ torquẽtur, & edulio rum potuumq; excalfacientiũ usu grauius irritantur. Medendum itaq; doloribus, qui ad gelidos, tenaces, et spissos humores referuntur: prouidendo, ne uehementer calida adhibeãtur remedia. nam ab admodũ calorificis præsidiorũ materÿs liquefacti funduntur; magisq; in flatulentũ spiritum rediguntur humores eiuscemodi, quos circa morbi statim exordia medicamẽtis minimè inflãtibus, attenuatoriæ & siccificæ naturæ, absq; immodica calfactione, incidere et cõcoquere expedit. Proinde aluo prius oletulo clysteribus idoneis exonerata, oleum in quo elixum sit cyminũ aut ruta, cum adipe anserino, uel gallinaceo, uel radicũ syluestris cucumeris decocto, myrrhæq; denario, melle & sicyonio oleo inÿciendũ est. Quin & oleum commune infusum nõ rarò pituitã uitreã extraxit, infestantemq; protinus dolorẽ sedauit. Sed si præ nimio cruciatu enema contumaciter retineatur, collyriũ supposititiũ ex melle, cymino, nitro, rutæ semine arido, braßicæ caule pulchrè polito, et mu

ria irrigato, uel braßicæ cinere melle imbuto, aut colocynthide trita cũ melle, nitro, ac cymino sedi inserendũ est. Cæterũ glandes digitorũ senum lõgitudine sunto, ut per sedis fibulam in aluum penetrẽt. Anus præterea cyclamini succo, & nitro, uel centaurio cum melle & nitro illinendus est. Perseuerante autem cruciatu, clyster præmemoratis adijciendus est. Resinæ terebinthinæ uncia, siue opoponacis drach. aut galbani drachmæ quatuor, bituminis æqua portio, cum nitri drach. et aquæ uncia, & olei rutacei uncijs quinq; uel plus. Dolentesq; partes ex cymino, uel anethino, uel sicyonio oleo fouẽdæ sunt. Cataplasma insuper Trispermon nomine, cum cymino, baccis lauri, & semine apij imponatur. Epithemata uerò cõmendantur ex seminibus, è baccis lauri, & ex melilotis concinnata, atque Polyarchium. Insessiones item ex fœnogræci, althee, chamæmeli, artemisiæ, anethi, lauri, & id genus aliorũ decocto salubres sunt. In oleum insuper calidũ, uel hydrelæum descendere ex usu est. Potioni absinthiũ, & cyminum æquis portionibus, aut panax cum aqua uel castorij, uel anisi, piperisq; drachma cum oxymelite præbetur. Quòd si cruciatus his remedijs non cedunt, potionandi sunt confectione quæ è tribus piperũ generibus constat, uel theriaca. Sinapismo ad hæc, & dropace in dolorum remißionibus utendũ, & sua sponte emergentibus balineis. Cæterũ ex aqua potabili lauacra effugiant, nisi ob doloris afflictionẽ cogantur. Cum iam prædictorum aliquo medicamine aluus stercore prius leuata fuerit, lauacris se credere, uaporariq; ignitis silicibus, aut inter candentes parietes iubeto, inspersis aliquibus nitrosis smegmatibus. In uehementioribus tormentis, mediocriter mitigantibus præsidijs utendum est: cuiusmodi cẽsetur è castorio cõfectus pastillus, cùm per superna, tum per inferna immissus, & alia eiusdẽ generis medicamenta. Nam quæ uehementer torporem afferunt, cauenda sunt. Quoniã ad præsens quidem tormenta paulisper leniunt, sed diuturniorẽ affectionem reddunt, materiam incrassando,
meatusq;

meatusq; intestini cōstipādo. Pituita uerò iam attenuata, hieræ amarulenta, uel globulis huiusmodi purgare expedit: Aloës, euphorbij, cocci gnidij puri, scāmoniæ, æquis cuiusq; partibus modus est ad scrup. duos. Victus adhæc ratio calidior & aridior conuenit. A primordio quidē morbi perferenda est inedia: mox inde acriora manducāda. Porra itaq; tosta eiusmodi afflictioni detentis esui dentur, cum condito. Apiū quoq;, et palustris asparagus, allia cruda, præcipuè his qui talibus minimè offenduntur. Verùm conditū ipsum quoq; potent, panēq; cum ipso sumant. Escas etiā reliquas inculpati succi, & cōcoctioni nihil renitentes exhibebimus: ita quidē, ut cautius à saturitate & cruditate tueantur. Vbi uerò flatulentus spiritus dolorem suscitauerit, post enemata quibus flatus dißipātur, potionesq;, cucurbitulæ etiā perquàm ingentes succensæ, & inanes uniuerso uētri impactæ, nonnunquā satis adminiculi præstiterūt. Quòd si intestinū inflammatio torquet, è cubito sanguis detrabendus est. Si uerò mictionis difficultas exercet, uena à malleolo secanda est, & iampridē enumeratis utendum remedijs, exceptis acribus, & uehementer expurgantibus. Lenientes potius clysteres infundi, cataplasmata admoueri, imbreq; congruo foueri debent. In oleum quoq; descensus cōmendatur. Cucurbitulas interim utiliter adglutinabimus. Cerotariumq; epigastrio applicabimus, quod ceræ quidē habeat quincuncē, chamamelini olei sextantem, rosacei tantundem, fabaceæ farinæ semunciam, lutea ouorū quina. Hæc lentitia seminis lini cogūtur. Tenuis & febricitantiū peculiaris uictus, usq; ad inflammationis solutionē sic habentibus congruit. Quod si acres & mordicantes succi cruciatus pepererint, oleū per aluum infundetur, in quo elixatū sit fœnogræcum, aut althea, cum molli adipe recenti anseris siue gallinæ, uel cremore quoq; ptisanæ, cum rosaceo, aut lini seminis etiā liquore. Potionādi uerò sunt antidoto ex aloë amara. Lauacris ex aquis dulcibus danda est opera. Cibis utendū sorbilibus ex chondro, seu ptisana, piscibusq;

busq; saxatilibus. Vno uerbo, omnis uictus ratio humidior frigidiorq; esto. Cauendũ à cunctis acribus cùm dapibus, tum medicamentis. ex superfusionibus, cataplasmatis, fotu, uiniq; potu, in primis autẽ ueteli. Si dolor admodum uiolentus laborantem exerceat, ijs etiam quæ stuporẽ inducunt, utendum. Multo quippe minus alijs lædunt id genus affectus, quæ tenues mordacesq; humores incrassant, & mediocriter refrigerant. Mea nanq; sententia, colica ægritudo quæ nostra ætate incrudescit, ex talibus humoribus nascitur: cum ab Italiæ quidem finibus inceperit, per pleraq; alia Romani imperij loca, instar pestiferæ contagionis grassetur: unde non paucis quidẽ in morbũ comitialem, alijs uerò in membrorũ resolutionẽ incolumi sensu, nonnullis autẽ in utraq; delapsis, magna pars eorum qui in comitialem ceciderant, è uiuis excesserunt. Quorũ uerò morbus in paralysim transierat, pleriq; euaserunt, perinde atq; in decretorio aliorsum transeunte morbi materia. Hoc itaq; modo affectis, medicus quidã per Italiam curam adhibuit, suspectam sanè atq; infidelẽ quandam, frigorificã scilicet, multumq; temerariam uictus rationem de industria commentus. Lactucas nanq; crudas et refrigeratas, intybaq; consimiliter, uel ultra saturitatem deuorandũ ipsis elargitus est. Præterea uuas, mala, duriorisq; carnis pisces, et quæcũq; crustacea, quæ Græci ostracoderma uocãt, bubulos pedes, bulbos, et id genus, nõ facultate modò, sed tactu etiã frigida. Vinũ sanè rarẽter admodũ admittebat, nec nisi aqua gelida dilutũ. aquã uerò frigidã, uel poscam etiam frigidã propinabat. Ab alimento præterea omni calido, mediæq; materiæ, uehemẽter abstinebat. Atq; ita sanè complures aliquot à morbo uindicauit: quospiam ex illis etiam, qui iam in Herculeum morbum, resolutionemq; neruorum prolabi cœperant, præter omnium opinionem seruauit.

De Voluulo, quem ileum dicunt. Cap. 44.

ACutißimum malũ, & acerbißimi cruciatus ileos existens, casum quendam periculo grauiorẽ adfert: miserabili siquidem

quidem morte tandem eo morbo detenti, alui retrimēta per os reddentes intereunt. Oboritur ex cruditatibus, & obsessa excrementorū semita, retentis quæ iam corrupta sunt: lethaliū item medicamentorum potu, atq; in scortū descendentibus intestinis, & inflammationē expertis, coli cruciatu præcedēte. Pueris igitur hoc malo oppreßis, aspergínib. cataplasmatis, clysteribus, collyrijs, atq; fotibus, quemadmodū in colicis memoratum est, succurrendū. Adolescentiæ autē, floridæq; iuuētuti sanguinis detractione absq; mora succurritur: sin minus, cucurbitulæ uniuerso uētri multæ atq; inanes sunt adglutinādæ, & in regione doloris cū scarificatu. Mēbra porrò perfricanda, arctiusq; fascijs coercēda, tum clysteribus & enematis ualentioribus utendū: insessu insuper olei calidi, antidotis, & purgationibus. In summa, omnibus quorū usus in colica ægritudine probatur, exemptis his qui ad acutos & uellicātes humores coli dolorē referunt. Mirificè uerò conducit ipsis, si euomuerint, anethū elixū & epotū. Cōfestim uerò à potu pane in calidā demerso, bucceam eius calentē manducandā porrigito. Sed cibū non continentibus, rhun & cyminū in eadē læuigatum, in oxymelitis cyathis sex potui præbeto. At eos qui ex ueneno ileum patiuntur, aquæ calidæ potu uomere cōpellito. Cæterùm omnium lethaliū uenenorū indicia habes uolumine huius operis quinto explicita. Deinde bibendū quoq; oleum calidum, aut ius pingue, quo denuò ciatur uomitio. Post aliquot dies theriaca propinatur. Perseuerāte autem oppilatione, lacte scisso, cum exigua scāmonia, uel aloe, aut purgante aliqua materia, aluus euacuanda est. Si ex intestini in scrotum prolapsu uoluulosa oriatur affectio, figuratis ipsis quam primū, ut in caput sublimes pendeant, delapsum intestinum intra inguen reprimendum, ligamentoq; coercendum.

De renum ac uesicæ malis, & primitus de calculo. Cap. 45.

MOrborum cognatio nos seriē doctrinæ transgredi compellit. Cōmune quippe colicæ ægritudine, renumq; calculo

culo laborantibus, intra primordia statim uentrem cohiberi, summoq; cruciatu opprimi, cibũ fastidire, cruditates pati, & intestinorum torminibus torqueri. Peculiare uerò, colicis hæc omnia magis intẽsa offendũtur: Nephriticis aũt minus. Et colicus quidẽ cruciatus cum plurimũ in dextris ilibus uexãs, ad stomachũ, usq; iecur itẽ & lienẽ pertinet: roleti omnino nihil, imò ne flatus quidẽ per inferna trãsmittitur. Et cũ reddere aluus cõpellitur, quod excernitur flatulentũ est, et bouino neutiquã absimile. Nonnunquã etiã pituita uitrea deijcitur, lotium copiosius pituitosumq; editur. Nephriticis autẽ grauis in renibus dolor quasi fixus hæret, instar paxilli adacti referẽs, & è directo subiectus testiculus dolore afficitur, femur eiusdẽ partis torpescat, aluus quidẽ sua spõte rariusculè respõdet. Clysteribus uerò iniectis, flatus et biliosius recrementũ deijcitur. Lotium exiguũ, ac sabulosum magis redditur, meatusq; urinarij constringuntur. Hæc indicia calculos in renibus esse testãtur, quæ hominibus maximè adultis eueniũt. pueris uerò in uesica potius calculi cõcrescere cõsueuerunt. Notæ horũ sunt, urinæ cruditas, et in albedinẽ languescẽs, cũ sabuloso sedimine: pruritus creber, uerẽda subinde laborãtes contrectãt & arrigũt, identidẽq; in lotiũ urgẽtur, et destillat urina. Materiata quidẽ gignendis calculis occasio, crassus et terrestris humor habetur: effectrix uerò, flagrãs renũ aut uesicæ ardor. Cæterum in renib. quæ calculos cõminuant atterãt, incidãtq;, utendũ medicamẽtis est, nõ tamẽ excellẽter calorificis: cuius farinæ utiq; sunt, Basilicorũ asparagorũ radices, rubiq;, uitrũ itẽ cõcrematũ, graminis radix, adiantũ, bdelliũ, lauri radicis cortex, altheæ semẽ, cicer nigrũ arietinũ, spongiarũ calculi, acetũ scillites, phu, meũ, asarũ, carpesia, sarxiphages. Siũ præterea cùm mãsum, tum potũ, scolymiq; radix, irion, prionites: lauacrisq; iugiter utantur, & à lauacro confestim eorum aliquid quæ memorata sunt, potent. Adsperginibus insuper, cataplasmatisq;, et fomentis, insessibusq; relaxantibus placantibusq; utendum,

dum, hoc ex colicis transumendo. Compositæ autem potiones probantur: Rutæ agrestis, & maluæ syluestris, apijq; radices cum uino elixatæ. Liquorẽ inde expressum aqua tẽperatum, cochliaribus binis exhibeto. Maceratũ etiam illud in emplastrũ: Balsami fructus, calculorũ spõgiæ, pulegij aridi, maluæ syluestris seminis, æquæ portiones cõtritæ, cochlear inde cũ uini diluti cochliarijs duobus propinatur. Arefactũq; sanguen hircinũ, cicadæ aridæ demptis alis ac pedibus, lapis Iudaicus tecolithus appellatus, ex mulso in calido lauacri solio exhibeatur: & quæ ex illis componuntur medicamina. Fusca insuper nephretica, & quæ ad eam functionẽ cõparata sunt condita. Troglodites autem præcipui honoris inter remedia cẽsetur. Est uerò passerculus auicularũ omnium, præter regulũ, quo uno maior habetur, minima, colore consimili, inter cinericiũ & uiridem medio, acuti rostri, in parietibus sepimentisq; maximè degens: qui totus sale conditus, & concoctionem non expertus, iugiter comestus, cõcretos iam calculos lotio expellit, & in posterũ gigni prohibet. Crematiq; integri cum pennis uiui cinis uniuersus per se, adiectoq; pipere, & phylli modico, ex mero melleq; potio idẽ præstare potest. Aduersus uerò sæuam cruciatus acerbitatẽ uigiliasq; celebratur Sotira, et Philonis medicamentũ. Dolorem plerũq; placauit sanguinis admissa detractio, ocyßimè ad excretionẽ propellẽdo calculum. Arcent creationẽ calculi, primùm quidẽ cibaria non improbi succi, & moderata: mox etiã exercitationes, & insolentior leguminum omne genus, frumentaceorumq; usus. Casei item & lactis, quæq; inde præparantur obsoniorũ, uini adhæc atri, et carnium abundãtiæ: et ut semel omnia cõplectar, omniũ quæ crassum generant succũ, quæq; admodum calidæ sunt potestatis, & acria, hydrogarorũ inquam, atq; conditorũ, & id genus aliorum abstinentia. Haud enim hæc modò nondum natos calculos cõpescere prohibent, sed iam ortos etiam cõminuere aut excernere possunt. Bibãt uerò oxymeli, adiecto aliquo ex sim-

simplicioribus, quæ lotij proritãdi uim obtinẽt, puta adianti, apij, graminisq; decocto. A' balneo, ieiuni ante uinum, aquam temperatã potẽt, et in medio prandij frigidã, nisi quid obstet, super sorbeant. Quòd si prauorũ humorum copiam sensu perceperint, sanguinis detractione, seu alui deiectione euacuẽtur. Verùm ad tutelã negignantur calculi, omnium primum bonitatis honorẽ meruit, post balneum, ante uinũ, nutrimentumq; aliud, aquæ temperatæ potus. Sed uesicæ puerorum calculos, efficacioribus adminiculis emolliere, delectu quidẽ è prædictis habito. Quòd si calculus supra modũ increuerit, & ceruici uesicæ impegerit, quassatu & tubuli, & demißione, uel incisione, perinde atq; in uolumine de chirurgia dicetur, utendum.

De inflammatione.

Quòd si renes aut uesica inflãmationẽ experiãtur, id quod regionis affectæ feruor cũ grauitate cruciatus, febricula, aliena animo peregrinante sermocinatio, biliosus uomitus syncerus, meiẽdi impotẽtia, præsertim uesica phlegmone oppressa arguit: sanguinis detractione quamprimum occurrẽdum est, mitigatoriaq; facultate præditis asperginib. & cataplasmatis utendũ ex ruta, anetho, fœnogræco, altheæq; radice. Clysterijs item mollibus, & enematis quæ ex oleo, & papauere, & adipe anserina cõstituuntur. In uesicæ uerò inflãmationibus, opij quoq; obolus semis cum myrrha crocoq;, ac oleo sedi immittendus. Mulsa propinanda, abstinendum à ualde lotium cientibus, multaq; potione: nisi acris ac biliosus humor naturæ modum nimiũ excedat, tum quippe copiosiori potui indulgendum, & confertim semel eorum quippiã, quæ urinã absq; rosione propellunt, ingurgitandũ. Potent præterea seminis lini portiunculas binas, amyli partẽ unã, ligulæ mẽsura ex aqua. Sumatur itẽ cucumeris atq; peponis semẽ. Cum uerò igneum feruorẽ renes sentiunt, linteola uino & oleo rosaceo, aut aqua & oleo rosaceo melino'ue imbuta inijcienda sunt: uel ceratũ è cera, rosaceoq; et chamæmelino oleo, siue melino, et ouorum

luteis, cum aceto perexiguo, aut polygoni succo contextum. Postea autẽ emplastro ex succis Diachyson appellato cũ chamæmelino utendum. Cauenda sunt nimium calida, quoniam suppurationem creant. Itidem & impendiò frigorifica: renes nanq; promptissimè ab his in scirrhum obdurescunt. Abstinẽdum præterea à balneis est, cum imminet inflãmatio. Victus ratio quæ febricitantibus expedit, & ab arcenda inflammatione nomen aphlegmaton habet.

De urinariarum partium abscessu & exhulceratione.

Abscessum in renibus portendunt dolores iliorum, turbati horrores & febres inordinatæ. In uesica uerò præter cõmemorata, dolor etiã partis fatetur. Renum porrò affectum deprehendes, si homo in sanũ decumbens latus, in opposito doloris ueluti suspensi renis sensum percipiat. In quorũ curatione insessib. ex hydrelæo utendũ est, cataplasmatisq; ex polline, oleo, ac resina, aut farina erui cum melle, aut cardamomo, aut stercore columbino, cum caricis. Pus uerò per lotiũ cõfarctim excretum, ruptũ abscessum, atq; in particula hulcus esse declarat. Cũ uerò etiã absq; abscessu, rupto uase, uel exeso ab acriore materia, aut calculo radẽte urinarij meatus exhulcerãtur, distinguenda est renũ exhulceratio, ab ea quæ uesicã, aut urinaria uasa exercet, ad hunc modũ. Renibus exhulcerationem sentientibus dolor cum quadã grauitate lumbos affligit, & citra impedimentũ emingunt, lotioq; pus mixtum inuenitur, carnosis particulis innatãtibus. Vesica uerò hulcusculis intẽtata, uehemens cruciatus pectinẽ imumq; uentrẽ impetit: urina magna cum anxietate redditur, & post mictionẽ pus in fundo matulæ subsidet, squamulæq; in ipsa tetri odoris, aut lamineæ circunferũtur. Furfureæ uerò hypostases uesicã scabie laborare significant. Quando autem meatus qui è renibus urinã ferunt, exhulceratione conflictantur, puris mixtura medio quodã modo, & capillamentis persimilia urinis innatant, tormentumq; mediam inter renes & uesicã regionẽ urget. Si uerò pus, aut sanguis

ſanguis ſolus abſq; lotio excernatur, prædictarum partium nullius, ſed pudendorum hulcus denunciat. Cum itaq; uaſa per quæ urina fertur, exhulcerationē experiūtur, aqua mulſa, uel fœnogræci decoctū, unà cum melle, aut cucumeris ſemen cum paſſo propinetur. Purulentū cum lotio excernētibus, rubrica Armeniaca exhibenda eſt, uel ferularū crematarū cinis, quantum tribus digitis capitur cū paſſo. Sed & lac in potu magnificè ſic affectis opitulatur. Mixturæ autē hæ, ſeminis lini, ſeminis cucumeris, tragacanthæ ſingulorum gemini denarij, in paſtillos cōformātur. Aliud: Nucleos pineæ nucis uiginti, ſeminis cucumeris ſatiui cochliaria quadraginta, amyli drachmā heminis duab. iuris in quo nardi, ſeminis apij, uniuſcuiuſq; denarij quini elixi ſint, excipito. Verùm Archigenes in epiſtola ad Atticū, Dyſuria, inquit, urgēte, ſume papaueris albi torrefacti ſeminis cōtriti drachmā, iunci odorati rotūdi, uel calami, aut glycyrrhizæ decocto inſperſam. Hulceris naturā reſipiſcētes cruciatus illud adimit: ſemina cucumeris repurgati numero triginta, nuclei pineæ nucis duodecim, amygdalæ amaræ cortice dēpto trigintaquinq;, croci quantū ad colorē opus eſt, ieiunus quotidie cum lacte ſeu protropo ingerat. Mitius ſanè fuerit, ſi loco pinearū tantundē ſeminis maluæ accipias. Sanare præterea affirmat exhulcerationes ueſicæ Cyphi, & ex hoc antidotos. Nos uerò in uetuſtiorib. hoc uſi, nunquam alio magis uario indiguimus: Chamædryos, chamæpityos, ſingulorū drac. uigintiquatuor, aſari, piperis albi, uniuſcuiuſq; drach. ſeptē, cinnamomi drachmam quàm fieri poteſt læuigatiſſimi. cochliaria duo exhibemus, cū paſſo Cretēſi. at ſi febricitēt, cū aquæ cyathis ternis. Si mordax hulceratio, amyli cochliarijs duobus, et ſeminum cucumeris granis quindecim adiectis, uoti cōpotes euaſimus. Hactenus quidē ex decretis Archigenis. Ex ueſicaria itē medicamēta, & quæ ex ſylueſtris maluæ ſemine cōſtituitur antidotus, quæq; ex bellarijs cōfit, utilia ſunt. Tauro imoq; uētri cerotaria accōmodentur ex œſipo lota, butyro,

adipe anserina, atq; styrace. In uesicã uerò clysteridio instrumento mulsam aquosissimã infundere, seu lac cum momento mellis, aut cucumeris semine, aut alborẽ oui cum põpholyge, aut prædictorum medicaminũ aliquo, cõuenit. Hulcere autem pascendo serpente, pastillus è charta immittendus est, aut Bythinius. Cataplasma etiam è palmulæ dactylis, & uuis paßis cum galla, acacia, hypocystide, & alumine superimponitur.

De eruptione sanguinis renum.

Renes haud rarò ex imbecillitate lotia cõtinere nequeunt, sed latiores redditi, è uena sanguinis aliquid excernunt, aliasq; craßitudines edũt. Sæpe etiã numerò renes sanguinis fluxum per circuitum, perinde atq; hæmorrhoides patiũtur: euacuati uerò subleuantur. In quibus nihil protinus moliri cõuenit, sanguinis fluxu represso. Quòd si cursus eius permaneat, sanguis ex uena cubiti detrahendus est, & ijsdẽ medicamentis, quorum usus ad sanguinis screatũ, & alias ipsius eruptiones in renum atq; uesicæ sanguinis effusione probatur, utendum est. Vincit symphyti radix, ac tragacãtha uino macerata, ita affectis exhibita: sanguinalis insuper & plantaginis suacus, cum posca, aut amygdala amara cum passo. Siue hoc: Aluminis fißilis drachma, tragacanthæ drach. duæ, gummi oboli quinq; cum passo. Cataplasmatisq; more hordeacea polenta ex posca & rosaceo: aut cataplasma ex palmulis, & siligineo pane cum acacia, aut hypocystide in uino astringẽte, aut posca elixis inducitur. Vesica autẽ sanguinem fundente, cucurbitulæ quoq;, ilibus & coxendicibus sunt adglutinandæ. Cæterũ quænam particula sanguinẽ fundat, loci dolore deprehendes, & quòd cruor lotio permiscetur: uel è cõtrario, quemadmodũ de pure memoratum est. Sanguinis in uesica in grumos concreti indicium est, quòd reddito sanguine urina raptim supprimitur, quodq; concretus quidã cruor, ut consentaneum est, uel cruenti humores effluunt. Tunc in potu decoctũ artemisiæ porrigito, heliochrysiq;, aut cunilæ, aut raphani semẽ, aut succũ laserpitij,

tÿ, siue cyrenaicum, siue apÿ in aceto temperatis singulis, uel leporis coagulũ, uel hinnuli, uel hœdi in oxymelite, uel lixiuiũ cum oleo exhibeto: aut spõgiæ foris ex muria, stactéue calida adhibendæ. Si ne his quidẽ grumi dissoluantur, dissecare taurum perinde atq; in calculosa uesica, grumisq; sublatis concinniter opitulari conuenit.

De renum duritie.

Quæcunq; durities in renibus suscitantur, dolore quidẽ uacant, sed ab ilibus quasi suspendi quippiã uidetur, stupẽt coxendices, debilitantur crura, lotÿ momentum eÿcitur, uniuersusq; corporis habitus aqua inter cutẽ laborantibus similis est. Hos ceratis malagmatis, frictionib. atq; fomẽtis emollire: ad hæc quæ urinam cient, offerre, uentremq; subluere conuenit.

De Diabete.

Diabetes pernix poculentorum transitus est, ÿsdem ut pota sunt per urinã redditis: quapropter siti inexplebili premũtur, unde dipsacon id uitiũ appellitãt. Ad retentricis potentiæ renum imbecillitatẽ, ipsius causa refertu, & attractricẽ robustiorem, uniuersum corpus propter immodicũ calorem, consumentem refertur. Huic itaq; affectui repugnãtes, alimenta largiora, quæ transmutationi resistũt, neq; admodũ humida sunt, exhibeamus: puta halicã cum rosato, aut rhodomalo, aut hydromalo, aut uino nõ ueteri, aut quopiã alioqui calido. Ex oleribus intyba, serim, lactucas, pisces saxatiles, suũ cũm pedunculos, tum uuluas, pira, poma, mala punica, et potionẽ gelidæ. Potionandi præterea succo polygoni, inula campana ex uino nigro, palmularũ item myrtorumq; diluto. Cataplasmatũ modò præcordÿs ac renibus applicãda sunt, polenta hordeacea ex aceto rosaceo, foliaq; uitis, & umbilici Veneris, & parietariæ, et portulacæ. Ad hæc sudores ciere, ac uomitus, à potu frigido, et omnibus quæ urinã proritãt abstinere expedit. Intra uerò initia statim sanguinẽ detrahere, haud inutile cẽsetur.

De stillicidio urinæ, difficultateq; meiendi.

Si neq; inflammatione, neq; calculo, neq; quopiam prædi-

ctorum alio urgẽte, lotij acrimonia uexet, uniuersusq; habitus, uel reliqua etiã indicia bilem præferant, inde uel dysuria, uel stranguria prouenit. Proinde his quæ hanc immutant, temperãtq;, uti cõuenit, ptisanæ cremore, piscibus, balineis, uictusq; ratione simili. Ab acribus abstinendũ, uino, exercitijs, ira, & sero cibatu. Si lotij tenuitas cũ albore cõiuncta, cæteraq; notæ gelidã testãtur intemperiẽ, merum calidũ conuenit, & cõdita, et quæ urinã proritant medicamenta, et eiusdem facultatis esculenta, insessusq; calidi. At si in lotio præter candorem craßities appareat, phlegmaticũ humorẽ uesicæ ceruicẽ obstruxisse colligito, & aceto mulso occurrito, & poculis ex hyssopo, pulegio, aut origano, aut thymo, uel silphio, in aqua mulsa decoctis, et irrigationib. calidioribus. Si humor crassus, siue calculus, siue grumus, siue id genus quippiã oppilãs urinæ exitũ impediat, fistula quæ catheter dicitur, educenda est, nisi inflãmatio particulã occupet. In febrib. autẽ difficultati urinæ adsperginib. rutacei, uel anethini, uel ueteris olei medẽdum. Cum aluus fuerit astricta, fœnogræci, aut maluæ decoctum per inferna inijciatur. Confert dicta affectione oppreßis hydrelæo insidere, uel alicui prædictarũ specierũ decocto cum oleo. Vincit ceratũ hoc: Syluestris maluæ radices in sicyonio oleo cum exigua aqua elixãtes, donec torrefiãt: ipsæ quidem abijciantur, oleo uerò succus rutæ quarta parte, & ceræ & castorij quantum opus est, admisceatur.

De exoluta uesica per paralysim.

Nonnunquam urinæ difficultas, interdum inuoluntaria mictio resolutionem uesicæ comitatur, quemadmodum capite de paralysi conprehensum est.

De his qui urinam non continent.

Relaxatio musculi collum uesicæ ambientis, huius mali parens est, quapropter pueris ferè accidere consueuit. proinde communiter ijs quæ robur inserunt, potißimè utendum: puta ænelæo calido, & consimilibus. cauentes quæ ualidè refrigerant:

gerant: fouentes potius æ ros, quantum fieri potest, calidis. Refrigeratio enim ueluti resolutionis uim obtinet. Naturaliter autem hæc faciunt: Gallinaceũ guttur crematum aqua tepida ieiunis potui exhibetur, aut leucãthem flores, modò non absimili, aut leporis testiculus in uino bene fragranti friatus, bibendum porrigitur: nepeta item, myrrhaq; ante cœnã, aut rutæ syluestris semen tostũ per triduũ propinatur. Pudẽda uerò eorũ, creta cimolia cũ succo perdicij circũliniri ex usu est.

De iocinoris affectibus. Cap. 46.

IEcur uarijs tentatur morbis. nam imbecillitate, inflammationibus, erysipelatibus scirrhis, abscessibus, hulceribus, & oppilationibus corripitur. Super debilitate itaq; ipsius uerba ante omnia sunt facienda: qua laborãtes, iocinorosos propriè nuncupare assolẽt. Si igitur aluus excremẽta in chylũ quidem cõuersa, sed liquidiora deijciat, transmißione in hepar debilius uel neutiquã omnino peracta, uẽtre ab ægritudine immuni, at tractricẽ iocinoris potentiã infirmari ducito. At si loturæ recentis carnis cõparia uideantur retrimẽta, cùm alteratricem, tum sanguinis effectricẽ. Si autẽ ad calidã intemperiem referatur imbecillitas, progressu tẽporis excrementũ feculentius apparet, teterrimiq; odoris: bilis abũde colorata, crassaq; descendit. Iam uerò iecoris substantia, uniuersumq; corpus contabescit, & febriunt afflicti, et cibi appetẽtia carent, bilẽq; euomunt. Sin frigidum distemperamentũ fatigat, neq; cõtinuæ, neq; plures excretiones fiunt: perseuerabit malũ diutius, diebusq; aliquot cumulatius uẽter deijciet, minus uerò olida, fecis instar, et sanguinis craßi, atræ bili finitimũ. Multi præterea ac uarij deiectionũ colores, frigidã indicãt intẽperiẽ, febrisq; comparet. & uultus constans non collabitur, & cibũ magis appetũt. Harũ aũt distẽperãtiarũ, qualiscũq; fuerit, si alterutri ariditas cõplicetur secessus apparebũt aridiores et pauciores, et languẽtes maiore siti premũtur. Si humiditas accedat, liquidiora et copiosiora erũt recremẽta, ægriq; minus sitient.

Si inflammatione iecur conflictetur, omnes quidem ex æquo dolor in dextris præcordijs affligit, qui sursum ad iugulũ usque, deorsum uerò ad nothas usq; costas pertingit. Febris præterea infestat acuta, tußis sicca, sitis, horror cibi, et anhelatio, irruptũue suspiriũ: lingua principiò rubicũda, mox uerò nigra cõspicitur; bilis euomitur, aluus astringitur. Quoniã aũt hæc indicia ijs quodãmodo qui costali morbo laborãt, similia existũt: quãto inter se discrimine dirimãtur, capite de pleuritide explicauimus. Cũ uerò erysipelas iecur affligit, ignei feruores (quas phlogoses dicũt) intẽduntur, & æstuant ægri, & tabe consumuntur. Propriè uerò, si cauã iocinoris partem exercet inflãmatio, nausea, uomitiones, à cibis appetitus auersiones, ardoresq; flammei gliscunt, animæ itẽ deliquia: & refrigerantur enormiter sæpißimè, ita ut hinc aqua intercutem auspicetur. Sed cum in gibbis huius uisceris partibus inflãmatio oritur, præter ea quæ memorauimus, tumor etiã eudẽs in summa cute turget spectatuq; tactuq; facilis: hæc quidẽ uiolentã ac ingentẽ inflammationẽ produnt. At si obscurior quædã extiterit, iubebimus languentẽ summo conatu magnum respirare. Et si dextra præcordia dolore affici perhibeat, iecoris mediocrẽ subesse inflammationẽ colligendũ est: sin qua subiecti musculi porrigũtur, grandis oblongiorq; phlegmones tumor appareat, neq; quicquã interim memoratorũ præstò sit, illos ipsos inflãmari cognoscemus. Quòd si grauitas cũ distentione et dolore in dextro hypochõdrio absq; tumore ac febre sentiatur, uenarũ, obstructionẽ præfert, qua parte quæ portas & simas iocinoris partes perreptant uenæ, his quæ in gibbis existunt, cõmittuntur. Cum autẽ in abscessum uertitur inflammatio, dolor ipsis cum distentione increscit, & præter rationem rigores superueniunt, in læuumq; latus decumbere magis iocinore laborantes nequeunt. Disrupto autẽ abscessu, uel per lotium, uel per uentrẽ, cumulata puris colluuies excernitur. Quòd si in durã iecoris dispositionẽ scirrho similẽ tumor deciderit,

derit, dolores quidem comminuuntur, tumor uerò euidēs cum duritia existit, circumiacentesq; loci attenuantur. Progressu autem tēporis id cognitu fuerit difficile, quòd aqua intercutē properè comitetur, uniuersumq; hypochondrium humiditate contegatur. Quò calidæ itaq; iocinoris intemperiei succurratur, frigdrificis, et uiscus mediocriter roborantibus utendum: è quorum albo habētur, seris, & cichorium mansum, interim crudum, interim uerò cum coriandro elixū: eius ttē decoctum, succusq; epotus: quinetiā puluis ipsius aquæ mulsæ insparsus, cùm calidæ, tum frigidæ iecoris intēperiei præsidio est. Intybum quoq; esculentū, & sonchus, paria præstàt. Prodest præterea succi mali citrij cyathus in mulsa sumptus, & filicis succus pari modo. Si autē cum obstructione modica fatigàt intemperies, ea ex uino quopiā tenui, & lotiū proritanti exhibeantur. Catapotium uerò quod sumit cichorij drach. quatuor, chamæpityos radicis drach. totidē in melle decocto, nucis pōticæ quantitatē exhibe: & aqua superbibatur calida: iam ex opij, seminisq; Apollinaris herbæ confectura propinandū, & ipsa Philonis antidotus. In quibus calor intenditur, his rosaceum perquàm præsentaneū existit, aut melinum potui ministratur. Cibus autē erit succus ptisanæ, uel chondri, cum hydrorosato, & panis consimiliter ex aqua, cum aliqua id genus dulci potione. In summa, edulia quæ mediocriter citra oppilationē infrigidant, assumàtur. A uino prorsus abstinendū, nisi alia desideret causa, puta stomachi imbecillitas, tum quidē tenue, & nullarum fermè uiriū, aquosum aliquod conceditur. Erysipelati iocinoris pari propemodum ratione medendū. Sed gelido distemperamento infestante, contrarijs occurrendū est. Panis igitur cum uino exhibēdus, & bis terúe cocta braßica: castaneas itē, uuasq;, & ex gallinis quantū satis uidebitur, gustare expedit. Vinum bibatur. propinandū tamen, est eupatorium, seu asarū: aut medicamentū ex piperibus, & ex his quæ antea cœliacis & dysentericis congruere tradidimus, aptiora seli-

genda sunt. Sed cyphoides appellatæ confectiones, ut ad calidas distemperantias nihil conferũt, nisi modicus quidã calor cum humiditate copiosiore cõiunctus fuerit, ita gelidis intẽperiebus præsentißima sunt præsidia: præsertim si cum iecoris humiditate et oppilatione copuletur. Cæterũ si obstructio fuerit ex craßis et glutinosis humorib. cõtracta, ruscũ corrũbamue, atq; eius fructũ in primis exhibe, lauriq; radicis corticem, eupatorium itẽ ex oxymelite, amarorũmue lupinorũ iure, cũ ruta ac pipere. confert etiã farina lupinorũ pota, & capparis radicis partes duæ, costi pars una cũ uino: et cõpositio diabacanu aduersus crassorũ uiscidorũq; humorũ obstructiones cõfert: præterea iris, pistaciorũ cùm fructus, tum cortex, marrubium, amygdala amara, & ex ijsdẽ pastillus, dracunculi, ariq; radix, agaricũ, et scilliticũ nõ tam acetũ, quàm oxymel. Iecur uerò lupinũ aridũ friatũ, ligulæ mẽsura sumptũ, omnib. iocinoris morbis cũ mero dulci subuenit. Theodoretus insuper antidotus omniũ utilißima in iocinoris oppilationib. scirrhis, et inueteratis inflãmationib. remediũ cẽsetur. succurrit idẽ morbo colico, atq; etiã regio, similiter picra ex oxymelite. Cibaria sic affectis exhibẽda sunt, calefaciẽdi et aperiẽdi potestate prædita: uerbi causa, porra ex oxymelite, et qui in frutetis prouenit asparagus, capparisq; cõsimiliter, cæteraq; obsonia cũ aliquot calidis et reserãtib. cõdimẽtis elixa: uinum itẽ tenue ac uetus. Cauẽda sunt quæ craßũ humorẽ comesta relinquũt, et balnea frequẽtia, à cibo potißimè. Affectui aũt diuturno, nõ sanguinis detractio modò, uerũ purgatio quoq;, si nihil obsit, adhibẽda est. Quòd si inflãmatũ fuerit hepar, uena in dextro cubito cõfi(?) ẽti animo secãda est, sanguis auferẽdus, et copiosus, si uires sufficient. Foris huic uisceri cataplasmatis instar adglutinãda est farina hordeacea, et fœnogræci, aut seminis lini, cũ palmulis, aut malis cotoneis, meliloti florib. absinthio, chamæmelino: atq; in uniuersum, cũ emolliẽtib. semper cõfundẽda sunt astringentia. Epithemata autẽ hunc faciunt,

Nilei,

Nilei, & euodes, hoc est odoriferũ, itẽ Philagrianũ, et Apollophanis, et ex sertula cãpana cõfectũ, et cognomẽto Coptũ. Sed ad prægrãdes inflãmationes, multa admodũ experientia comprobatum est illud: comæ absinthij, nardi Gallicæ, asari, croci, singulorũ uncia, iridis, myrrhæ, styracis, bdellij, guttæ ammoniacæ, thymiamatis, uniuscuiusq; unciæ duæ, medullæ uitulinæ unciæ quatuor, cerati lẽtiscini libræ quatuor. Oxymel eisdẽ exhibendũ est, simpliciaq; præsidia, puta asarũ, nardus Gallica, uel Indica, iũcus odoratus rotũdus, petroselinum. Aluũ ad hæc ciere expedit cũ urtica, herbaúe mercuriali, elixis et mãducatis. Declinationis tẽpore, epithymus et polypodiũ in mulsa propinãtur. Clystere etiã aluus euacuãda, ab initio quidẽ ex mulsa, cũ sale seu nitro. Facta autẽ remißione uigoris, admiscetur hyssopũ, uel origanũ, uel cnicum, uel centauriũ, uel colocynthis. Et in summa, caua hepatis per aluũ, gibba uerò per lotia purgãtur. Post hæc cibi loco dandus est cremor ptisanæ, in quo elixũ sit apiũ. Si erysipelatis naturã resipiscit inflãmatio, curatio superius cõprehensa est. Si obortus fuerit absceßus, rupturæ succurrendũ cataplasmate trispermo cũ resina, mãna, pice, altheæ radicib. stercore colũbino, caprilloq;, potãdo prius polij decoctũ, fumariæq; herbæ, et ius ad tertias decocti thlapsis, aut cichorij, et chamædryos radicis. ruptura que facta, et pure erũpente, aquã mulsam, & quæ de renib. exhulceratis memorata sunt, adhibe. Extrinsecus aũt cõpositio Mnasæi imponitur, et reliqua emolliẽdi uim habentia. ad hæc medicamẽtũ icesion, aut quod ex salicib. est cõfectũ. Quòd si iecur in duritiẽ occaluerit, exigua curationis spes est, affectu in aquã intercutẽ decidẽte: æquè tamẽ emolliẽtib. admiscẽda gutta ammoniaca, bdelliũ, medullæ, adipes, quæq; eandẽ uim obtinent. Potãda itẽ sunt, quæ oppilationẽ uisceris discutiũt et abstergunt. Quod genus sunt quæ lotium proritant, & calculos atterunt, cum his quæ antè ad huius uisceris obturationẽ conferre diximus, & alimento nimirum concinniter temperato.

De

De Cachexia, quod est, prauo corporis habitu. Cap. 47.

CVm corporis habitus primum in aquositatē diffundi cœperit, Cachexiam appellare consueuerunt. succurrendum est huic, sanguinis, si nihil prohibeat, detractione, qui pedetentim & partitis uicibus per triduum aut quatriduum exhauriendus est. Euacuandi autē maximè sunt, qui per hæmorrhoidarum aut mēstrualis expurgationis retentionē in hanc affectionem inciderunt. Quemadmodū ijs qui ob humorum plenitudinem hoc malo conflictantur, ab euacuatione sanguinis per uenam abstinendū: omnino uerò hiera ex colocynthide apparata purgandū. Victus ratio hoc malo implicitis tenuis & siccifica ex usu est. Naturalium aquarū usus conceditur maximè, quæ aluminis & nitri mixtura cōstant: deinde quæ sulphuris naturam habent, aliud uerò lauacrū ex diuturniore temporis interuallo admittatur. Varijs exercitationū generib. credentur languentes, sed primùm ijs quæ per medicos reunctores uocatos fiunt. Postea autē ueratro perpurgētur. Mirificè autem ipsos iuuit delibatio iuris absinthij, et cottabismi, & dropaces. Quòd si affectus in aquam intercutē deciderit, tum hydropicorū curatione, eo quē mox perscribemus modo, subueniēdū est.

De intercute, seu Hydrope. Cap. 48.

CVm iecur nunc quidem per se impensius, uel phlegmone, uel scirrho, uel alio quodā affectu oppreßum perfrixerit: nunc uerò ex aliarum etiā partium consortio, defectus generationis sanguinis accidit, et Aqua intercutē appellatur. In qua interdum multitudo spiritus cum exiguo humore, inter pelliculam peritonæum & intestina congregatur, ut uenter inferior percußus, sonū instar tympani edat: cuius ergò & tympanias hydrops appellatur, qui ex stomachi, alui, & coli inflationibus, diuturnisq; febribus conflatur. Interdū ex peritonæi, aut in mulieribus uuluæ duritia, siue scirrho: nonnunquam rursus ingens humoris colluuies cum momento spiritus in eisdē locis coaceruatur, perinde atq; in utre quopiā cōseruata: hinc ægritudo

tudo hyderus ascites, hoc est, uentricularia nomē obtinet, ipsus quoq; è causis iampridē enumeratis cōciliatus. A duritia uerò ac scirrho lienis atq; iocinoris, fluxibusq; intestinorum diuturnis, maxima ex parte prouenit, in quibus uenter turgere, reliquū corpus alimentū non sentiens, eliquari cōsueuit. Quandoque etiā in uniuersa corporis mole frigidius ac pituitosius sanguen cōtinetur, cuiusmodi quidem partim à iocinore defluit: partim uerò ab uniuersa corporis carne, tanquā in liquorem resoluta manat, usq; adeò ut corpus albidū atq; pituitosum, cadaueri cōpar appareat, Leucophlegmatiasq;, hyposarcidios hydrops, aut anasarca nuncupatur, qui ex longis febribus, et prauo stomachi habitu, retentis diutiusculè hæmorrhoidibus, fluxu muliebri suppresso, respirationis angustia, uigilijsq; immoderatis citra rationem obortis, atq; id genus alijs de causis contrahitur. Quibus dum curationis manū admouemus, communiter ab euacuatione auspicamur. Sed in Ascite atq; Tympanite medicamentis, quæ aqueū humorē proliciunt, opus est. In Anasarca uincit sanguinis detractio, maximè si mali occasionē præbuerit hæmorrhoidū retētio, uel mensiū suppreßio, nisi in praua habitudine præcesserit sanguinis diminutio. Hic itaq; ueluti in ijs qui malo habitu præditi sunt, oportet per uices euacuationē moliri. postea excrementum bouis armētarij arefactū, accuratè contritū, in posca aut oxymelite elixatum, & sulphuris quarta parte adiecta, emplastri modo toti uētris capacitati applicare. Aut fimum caprillum in pueri lotio ad strigmētitiam balnei craßitudinē maceratum, cataplasmatis more uentri imponere: per aluum id acriter ipsos expurgat. Cæterū ex fermēto quoq;, ficubusq; aridis, calce, nitro, iride, cardamomo, sulphure ignē non experto, gutta ammoniaca, baccis lauri, syluestri staphide, & agrestiū columbarum stercore, uel omnibus, uel ex his quibusdā cū aceto mulso utendum cataplasmatis. Deinde ex fimo caprino, spōgium appellatum epithema, miro quodam modo humorem per abditos meatus,

uentremq;

uentremq́; educit. Siccifica post hæc imponenda sunt emplastra, ex salicibus, Icesiũ, uel Cureo adscriptũ, uel ex baccis lauri contextũ, uel polyarchium, uel diaspermatõ epithema. Sed & illud mirificè humores funditus exhaurit, quod habet lapidis pyritis, sulphuris uiui, ammoniaci thymiamatis, cuiusq; denarios duodecim, cymini sedecim, nitri duodecim: quæ omnia ceræ momẽto, et terebinthina resina excipiuntur, et corio inducta uniuerso uẽtri superaccõmodantur. Propinãdum ius radicis ebuli, sambuciue in uino decoctæ, aut cucumeris syluestris in uino adstringente per triduũ macerati. dato cyathũ unũ singulis diebus, adiecto cyatho usq; ad ternos. Ex uarijs constat quæ subijcitur mixtura: Balsami, nardi, casiæ, cymini, glycyrrhizæ, hyperici, rotũdi iũci odorati, asari, dauci, amomi, myrrhæ, petroselini, calami odorati, piperis, seselis, spõdylij, æquæ portiones sumãtur. Cõducũt hæc singula seorsim, et quæcũq; lotium proritãt. Sed absq; grauitate mictionẽ scilla tosta cum melle eliquata linctus modo exhibita promouet. Verùm potaturis in aqua etiã decoquetur. Quin et illud impẽdiò cõducibile: Visceris interni scillæ libras duas, in uini austeri sextarijs tribus usq; ad tertias elixatas propinato ex uino quotidie, auspicatus à mystro ad unciã usq; unã. Diureticũ etiã illud præstantißimũ est: Aluminis liquidi quãtitatẽ fabæ aqua dilutam et linteo colatã potui per triduũ, alternísue diebus porrigito. Expedit etiã his picra ex oxymelite. & Theodoretus, atq; ex amaris amygdalis pastillus. Habẽtur uerò aquacia propemodum innumera, sed hæc experimẽto magis cõprobata: Cocci cnidij quadraginta aut quinquaginta, uel lathyrides uiginti aut triginta, uel euphorbij siliquæ quinq; aut septẽ, uel squamæ æris denarij duo, seu tres cum micis panum exceptæ, et in globulos redactæ. Aut sambuci radicis corticis succus cum cõdito potus: uel oleaginis foliorum, & æris cremati siliquas quinq;, anisi tantundẽ in aqua administrato, intra primordia quidem drach. unã; interposito uerò tẽporis spacio duas, & plures. Et

quæ

quæ subiunguntur admiratione digna sunt catapotia: Aloes, euphorbij, grani gnidij singulorum unciā, rhei dimidiā, brassicæ succo excipito, et in pillulas redigito, ceratia septē siue nouem exhibeto. Ipsa quoq; ex caryophyllo antidotus miro quodā modo aquā proritat. Vinū etiā aquā eliciēs præbere studebimus. Optimū uerò tale erit: Scillæ unciæ tres, seminis apij, capparis radicis corticis piperis, uniuscuiusq; drach. quatuor, cocci cnidij repurgati drach. folij drach. malabathri pilulæ duæ, uini quàm optimi heminæ duodecim, mellis coctionem non experti libræ sex. trita, et per incerniculū traiecta, uino perfunduntur scilla uerò liquatur: modus est, cyathi tres. Post humoris euacuationē, theriaca quoq; utendū: fimi uerò bubuli torrefacti lingulæ mēsura ex uino quotidie pota magnificè opitulatur. Acriorib. porrò clysterib. uti cōuenit, nisi fuerit aluus sua sponte humecta: tum enim exiccare ipsam satius est. Atqui in mulieribus hydrope oppreßis, peßi huius etiā usus salutaris habetur: anisi, cardamomi, cymini, nitri, aristolochiæ, fœnogræci, pulegij, ficuū interanei æquæ portiones susino exceptæ subijciuntur. Post hæc naturalibus aquis cōstanter immergi, in harena sepeliri ac desudare, cæteris uerò lauacris abstinere cōpetit. Quòd si quādo lauare etiā placuerit, in balneo inspersionib. ex nitro, sale, sinapi, calce, atq; id genus utantur. Hæc utiq; etiam sine lauacro utilia sunt si arida cum oleo uentri adfricentur. In anasarca autē, reliquæ etiā partes exerceantur, proq; uiribus, in sole aridæ perfricentur. Reliqua uictus ratio aridior esto. salsamenta itaq; edenda sunt, & sinapi, & allia, ex uolucribus syluestres & aridæ: ex holeribus asparagus, & gingidium, porra, sinapi, caucalis, & cætera syluestria. Sal theriacum uel ammoniacū obsonijs admisceatur, uinoq; tenui utantur uetusto, lotiū proritante. si ad manū sit, marina quoq; aqua admiscenda est. Potus in uniuersum quidē circunscribendus: aqua uerò ne gustanda quidē. Si cum febri hydrops infestarit, à calidioribus, multæq; acredinis esculentis,

medica-

medicaminumq; adminiculis abstinendum, mixtimq; eis ad id quod urget instantes, utendũ. In tympanite, ea quæ purgandi uim obtinent, & quæ totam corporis miscellã colliquant, cauenda sunt item ciendæ urinæ efficacia. Sed quæ flatus attenuare atq; discere possunt, his tam intus quàm foris uti expedit. Cucurbitulæ iugiter inanes uniuerso uentri imponãtur. Qui postremò ascite impliciti sunt, his nisi superioribus auxilijs manũ dederint, pertusio, siue punctio, quam paracentesim uocant, nulli aliæ hydropis speciei congruam, adhibenda est.

De affectibus lienis. Cap. 49.

SI lienis, ab iocinore humorem atrebilarium (qui sanguinis ueluti fex atq; cœnũ est) trahere comparati, attractrix facultas laborauerit, aut meatus per quem illum prius attrahebat, obstruatur, ater morbus regius sanguine impuro per uniuersam corporis molẽ dilabante suscitatur. At si grauitas & distensio, siue dolor etiã splenem exagitet, obturatio significatur. Si nihil horũ acciderit, attrahendi potẽtiæ infirmitas: sin atræ bilis uomitus citra febrim, uel alium prauum affectũ ingruat, retentricem lienis uirtutẽ ægrotare portendit. Expultricis huius uisceris imbecillitas, à cibis appetitus auersionem inducet, dum non de more melancholici humoris retrimẽtum à liene ad os uẽtriculi defertur, & appetitũ suscitat: sed constipato in liene atræ bilis humore, primum quidẽ inflãmatio oboritur, quam feruor, dolor, & distensio innuunt. Posterius autem in scirrhũ transit, feruore cum dolore cessante, tumore autem duritiaq; persistente. Sic affectis os grauè olet, gingiuæ exeduntur, in cruribus hulcera non persanantur: ob quæ iocinore pariter affecto, subtercus (ueluti prædictũ est) nascitur. Huius igitur uisceris intemperiei, perinde atq; iocinoris medemur. Phlegmone autẽ infestante, sanguinẽ è uena læui cubiti, siue ab extrema manu detrahe, quò ex prolixiore intercapedine fiat reuulsio, uel propter naturalẽ quandam cognationem. Deinde cataplasmatis modo applicãda sunt, quæ extenuandi

uim

uim absq; euidenti ardore poßident, adiectis quibusdam etiam nunc astringẽtibus. Huiusmodi est suapte natura, qui salis flos nuncupatur. Id etiã cataplasma admirandæ uirtutis est: Fœnogræci triens, farinæ hordeaceæ, nasturtij, uniuscuiusq; uncia, ficuũ pinguiũ libra, uerbenacæ herbæ aridæ uncia: ficus macerari aceto quàm acerrimo, cumq; cæteris iampridem contritis elixari, inde rursum decoqui debent. Vel stercus caprinum cum polẽta hordeacea coquitur in posca, factoq; inde cataplasmate imponitur. Adijcies autẽ, si uidetur, salis quoq; florem, fomentis prius adhibitis, cyprino cũ exiguo aceto malagmatis utitor. Primitus quidẽ simplicioribus, cuiusmodi est hoc: Ceræ libra una et semis, centaurij libra, nitri quadrans, resinæ terebinthinæ, seminisq; uiticis, et capparis radicis corticis, singulorũ quincuns. decoctis quæ liquefieri debent, arida inspergãtur. Sed Nilei malagma bonitatis principatũ tenet. Cæterum si inflammatio in duritiẽ aridã, sensuq; non perceptibilẽ incidat, uehementioribus opitulamentis utendũ, quoad cutis superficies exulceretur: è quorũ albo, quod ex caprarum oleto constituitur, & citrinũ habetur. Inter hæc sunt, emplastrum Machærionis, Curei, tum quod è baccis lauri, tum quod è salicibus constat. Hoc etiã à me experientia comprobatum est: Auripigmenti, sandaraches, singulorũ sextans, ceræ terebinthinæ, picis aridæ, singulorum libra, galbani, liquoris panacis, cuiuslibet uncia, corticis radicis capparis, myrobalani, singulorũ triens, ammoniaci thymiamatis drach. duæ, nardini aut cyprini scrupulos quatuor. Et gutta ammoniaca cum aceto illita, lieni sæpenumerò præsentaneũ fuit auxilium. Potum etiam trium aut quatuor diobolorũ pondere, cum uno castorij, si sub ingressum balnei ficum siccã mãdiderint, & mansam expuerint: aut guttæ ammoniacæ & castorij æquis portionibus mixtis, dato denariũ: hæc etiã scirrho oppreßis subueniũt. ueluti & capparis cortex aceto læuigatus, & cataplasmatis modo inductus: qui sanè etiam ex aceto haustus, seu ox-

melite crassos ac uiscidos humores exhaurit, quandoq; uerò etiam sanguinem euacuat. Salicis itē cortex similiter illinitur, cinisq; cochlearū cū cruda farina hordeacea ex oxymelite illitus. Itē centaurij succus extrinsecus impositus atq; epotus, & lupinorū amarorum ius cum ruta ac pipere sumptum, farinaq; ipsorū cataplasmatis modo impacta. Aqua præterea in qua subinde candens ferrum extinctum sit, febricitantibus quidem cyathis tribus sola exhibita, non febrientib. uerò cum uini & aceti cyatho uno: aut rumicis erratici radicis cum scilla triobolus, aut trixaginis siue serpilli oxybaphū integrum ex oxymelite, anagallidis cœrulei coloris florē habentis succi diobolū potui præbeto cū posca: uel acetū scillites, aut oxymel. Cōposita uerò hæc: Panacis radicis, guttæ ammoniacæ thymiamatis, corticis radicis capparis, struthij, scillæ tostæ interanei, æquis portionibus drach. unam propinato. Cōfert etiā suspiriosis & hydropicis. Aliud: Myricæ fructus denarij quatuor, piperis tantundē, spicæ nardi drachmæ duæ, ammoniaci thymiamatis totidem, aceto scillitico eliquantur: drachma una in oxymelite administratur.

Ad lienis durities.

Cyclamini drach. uiginti, bryoniæ tres, dictamni duæ, scillæ tostæ octo, herbæ lanariæ sex, capparis radicis tantundē, dabis pastillum triobolarem in oxymelite. Et qui ex eruca conficitur, peraccommodus est. Vincunt epulæ extenuantes, acris potentiæ, & arefacientes, cum potu paucißimo, exercitationes item, frictionesq;, & sinapismi. Est etiam quando & cucurbitulæ cum scarificatione probantur.

De morbo Regio, quem icteron Græce appellant. Cap. 50.

ARquatus, bilis est per uniuersum corpus suffusio, interdum quidē atræ, qua de in lienosis uerba seruimus, nōnunquam uerò flauæ. Harū utiq; cōpluria habētur discrimina, quarum causæ notæq; sunt istæ. Nā si in febrili lāguore subitò superueniens aurugo, febrim pacauerit, decretoriū innuit, materia

ex alto

ex alto ad extrema prorũpente, conflatũ: neq; ullo alio medicamento indiget, sed lauacris dũtaxat, mediocriq; fricatione repetè discutitur. Quòd si cũ febre et biliosis deiectionibus oriatur, et in præcordijs dextris grauitas sentiatur, inflãmatio feruens iocinoris ostẽditur, cuius uiolẽtia sanguis in bilẽ cõuersus per uniuersum corpus diffunditur. Si uerò absq; grauitate feruor in ipso substiterit, ex sola calida iocinoris intẽperie nascitur affectio. Sin citra febrim deiectiones albescãt, folliculi fellei uitio malũ adscribitur, siue meatuũ ipsius: si grauitas in lateris dextri præcordijs sentiatur, oppilatorũ: citra uerò hanc, uiribus inbecillium, uel attractrice ex iocinore humorẽ proliciente, uel expellendi facultate ad intestina bilẽ protrudente. Sãguis nãq; biliosus nõ purgatur, per uniuersum corpus spargitur, quẽadmodũ in atra aurigine fieri prædiximus: mox uerò his lotia etiam perquàm lutea affatim demittuntur. Nascitur etiã morbus regius è feruido solidorũ corporũ distẽperamento, quo in bilẽ quicquid eius alimẽti ratione offertur, degenerat, ueluti in phlegmaticũ humorẽ in hydrope anasarca nutrimentum trãsmutatur. Deprehẽditur autẽ huiusmodi arquatus, quòd nõ cõfertim illico, sed pedetẽtim gignitur, nullo commemoratorum præsente. iam ex letalis etiã medicamẽti potu, ictuq; uirulento, foris ab aliquo pestifero animali illato, idem morbus euenit. De calidæ itaq; temperaturæ hepatis, et ipsius inflammationis, uiriũq; imbecillitatis curatione, haud multo prius in sermone huic uisceri consecrato, peregimus: quæ huc nullo discrimine euariãte transferãtur, ne nobis eadẽ subinde sint repetenda. Quòd si meatus uesiculæ, in qua fel excipitur, uterq;, aut alter ex his obstruatur, sanguis de cubito dextro detrahẽdus est. Nõnulli autẽ ex his & illis qui ob inflammationem hepatis regio morbo cõflictãtur, iuxta paruũ dextræ manus digitũ uenã diuidũt. Cataplasmatis inflammationẽ arcentibus utendum. Cum hiera clysteres quoq; idonei sunt. Potionandi sunt apij, seu adianti, seu rumicis, seu serpilli, ad tertias

usq; iure decocto, uel absinthium potui inseritur. Summopere autem conducunt radiculæ cremoris gemini cyathi, cum uno uini cyatho poti. Succi itē cichorij cyathi bini aut terni priuatim, aut cum uino sumpti. Ob iocinoris porrò inflāmationem ictericos œnomelite, uel decocto tenuis aristolochiæ, aut hyperici, aut adianti, aut struthij, aut rubiæ satiuæ similiter, aut ramēti cornus ceruini drach. cum uino, aut iure pastinacæ erraticæ in uino ad tertias usque elixæ potionabis. Vel sulphuris ignem non experti drach. in ouis sorbeatur. Hæc et in obturatione iocinoris magnificè opitulantur. Seminis adhæc atriplicis dioboli octo cum chrysattico, aut alio passo in balnei ingressu poti, felleum humorem abundè euacuant. Magna item cum utilitate picra porrigitur cùm arida, tum ex oxymelite, & Theodoretus, quiq; ex amygdalis amaris cōstat pastillus. Cinnamomi insuper quantū tribus digitis cōprehendi potest, in mulsi cyatho uno, aut aqua tēperata exhibeto. Vel myrrhā fabæ magnitudine cum piperis granis quinq;, & cinnamomi tantundē. Qui ad calidā solidarū partiū distemperaturam Arquatū referunt, molli frictioni, exercitationibus moderatis, inunctionibus, & lauacris credēdi sunt. Cibo humectāte & modicè frigorifico, succo ptisanæ, intybo, seri, cichorio, piscibusq;, & uino tenui aquoso alēdi. Cæterū de his qui letali potione, aut morsu eorum quæ ictu uenenū relinquunt, in Arquatum incidunt, libro quinto mentionem faciemus. Bile uerò oculos, uultūq; inficiēte, narib. in balneo elateriū erui quantitate cum lacte muliebri instillato: quamprimū in solium collocabis, præcipiēdo ne caput immergatur. A balneo, uictus ratione restituendis uiribus adhibita: rursus in sole errhinum infunde. Cōfert item cyclamini succus, marrubij, & nigellæ. Acetum quoq; acerrimum æger in lauacri solio desidens, naribus attrahat, atq; sic aliquandiu preßis naribus contineat, & euacuabitur prodigiose.

De procidentia umbilici. Cap. 51.

PRominentis umbilici causam, chirurgicamq; eius mali curationem, libro de ijs quæ manus opera administrantur, differemus. Sed quoniam nonnulli medicamenti beneficio in integrum restitui possunt, de hoc in præsentia referendum est: Aluminis scißilis drach. quinq;. fecis uini octo, rosacei decem, gallarum immaturarū duæ, uino diluta, ad mellis craßitudinem redacta, umbilico insperguntur, superiniecta prius foris spongia posca imbuta, mox fascia circumligetur. Aliud: Fabæ frescæ corticum, & gallarum, & balaustij pares modi in aqua decoquantur: ubi dissoluta fuerint, & accuratè contrita, spongia, quemadmodum prædictum est, imponantur. Aliud: Scobis plumbi drach. sedecim, cicutæ, mannæ, cerussæ, hypocystidis succi, singulorum drachmam uino dissoluito, atque eo quo dictum est modo utere.

Quæ diu impuberes & imberbes, particulasq; naturales ac testes conseruent, inibiq; etiam psilothra. Cap. 52.

CRetam cimoliam, & cerußam æquis portionibus, alterci succo excipe, ita ut strigmenti balneorum craßitudinem induant: deinde olei lentiscini quantum satis est inijciens, contunde & utere. Aliud: Cicutæ succum, solaniq;, herbæ apollinaris, lupini tenerrimorum foliorum et psillij æquas partes cum læuigaueris, utere, loco prius absterso, lotoq;. Sed oportet pridie aquam bibere.

Psilothrum demoliens pilos.

Multipedum asellorum, qui tacti per domos rotundi oberrant didrachmum, sandaraches uncia media, calcis uiuæ uncia, aceti ueteris cyathus, lixiuij ficulnei cyathus, in olla decoqui, & in balneo usurpari debent. Aliud: Cineris calcis uiuæ partes duæ, auripigmēti tantundem, cretæ cimoliæ pars una, in aqua ferueāt, & ceu proditum est utere. Aliud, simplex & minimè graueolens: Lixiuij calcis uiuæ sextarius, sandarachæ uncia elixetur, quemadmodum explicatum est, in usum

accommodato. Cæterùm quæ abolendis pilis dicata sint, inter ocularia memorata sunt.

De bubonocele, enterocele, & hydrocele. Cap. 53.

CVm præcisso peritonæo intestina delabũtur, longè operosior est curatio, quàm si ex eius raritate contigerit. Pueris frequẽtius, utpote humidioris naturæ, uitiũ hoc accidit: et pleriq; absq; manus opera, impositu salĩũ medicamentorũ, et ligaturis cõpetentibus curãtur. Medelis uerò subscriptis utẽdum. Hoc dũtaxat à nobis adiecto, quòd hæc uitia sola locorũ differentia diuersam sortiuntur appellationẽ. nam si intestinum suprà tantũ in inguibus subsederit, bubonocele, hoc est inguinalis ramex: si autẽ in scrotum iam descenderit, enterocele, id est intestinalis ramex appellabitur. Mali igitur Punici corticis drach. decem, gallæ immaturæ quinq;, in uini austeri cyathis ternis coctas læuigatasq; imponito, perfricato prius intestino, & frigida cõspergenda, decimo die soluuntur, quiescendumq; in lectulo laborãti est diebus triginta, bibatq; cupreßi decoctũ cum uino, aut galbulorum eius triobolũ ex uino plus satis diluto. Hoc medicamentũ pueris efficax est. Aliud adglutinans: Symphyti radicis, marrubij succi, amygdalarũ amararũ, gũmi, æquæ partes. Aliud: Terebinthinæ sescuncia, ceræ, thuris, myrrhæ, glutini pisciũ, cochlearũ cum testis, singulorum uncia: gluten pisciũ in aceto per triduum macerato. Aliud: Pilularum cupreßi unciã, gallarũ tantundẽ, malicorij semunciam, glutini taurini quadrantem, mannæ, thuris semunciam symphyti tãtundẽ, cochlearum, cum testis unciã. Galbulos et mali Granati cortices uino adstringẽte plurimũ cõcoquito, et reliquis melius in pollinẽ tritis, exceptisq;, utere. Aliud: Aloes, malicorij, thuris, hypocystidis succi, glutini fabrilis, picis, bituminis, singulorũ sesuncia, uini dulcis quantũ satis est. Alterũ, quod etiã in hernia perfecta proficit, modò nõ sit inueterata, habet chrysocollæ, taurocollæ, sarcocollæ, ichthyocollæ, lapidis gagatis, lapidis hæmatitis, rhus Syriaci quo coria

rij utuntur, acaciæ, singulorum unciam & dimidiam, lapidis pyritis ignem nō experti, magnetis cœrulei coloris, aluminis scißi, mannæ, thuris, uniuscuiusq; unciam, picis Brytiæ quincuncem, cochlearum cum testis unciam, scoriæ argenti trientem, gallarum unciam, squamulæ stomomatis unciam, æris tantundem, bituminis selibram, myrsinati quantum satis est, uino adstringente aridis exceptis, si decoctum ut digitos non inquinet, utere. Quòd si iacere non sustineant, triangulari eos fascia craßiore & potente cōstringere, & ad interiora intestina cohercere, tutò deligabis. Arceantur à cibis inflantibus, uini copia, crebro balneorum usu, & motu intenso: puta, cursu, saltu, clamore, atq; id genus alijs.

De Ramice aquoso, & quomodo euacuandus sit humor.

Piperis grana centū, baccarū lauri octoginta, nitri drach. uiginti, ceræ quadraginta, olei heminæ dimidio excepta in usum accommodantur. Aliud præstantißimum: Floris Asij lapidis drach. sex, uuarum passarum ab acinis mundatarum libras duas, cymini Aethiopici drach. octo, nitri rubei tantundem, trita & læuigata impone, fouens serò ac manè. Non desunt, qui sulphuris quoq; drach. octo adijciant. Aliud: Calcem aqua non restinctam strigmēto balneorum excipito, atq; cum cerato imponito, & nitri momentum calci uiuæ misceto.

Aliud: Radicum braßicæ deustarum cinerem adipe suillo uetere eliquato exceptū inducito, tertio quoq; die soluito. Quò uerò non magna fiat humoris collectio, utere malagmate isto: Ceræ libræ duæ cum semisse, picis unciæ quatuor, guttæ ammoniacæ thymiamatis unciæ totidem, aluminis liquidi sescūcia. Conducit etiā medicamētum ex populo nigra, & cætera quæ ex alto in superiorē partē extrahendi potestatē obtinēt.

De testium & scroti inflammatione, deq; cæteris eorundem uitiis. Cap. 54.

SCroti inflammationem deprehendes, si imposita manu dirus statim dolor percipitur, cum partis feruore, intensaq;

duritie. Teste uerò inflãmato, ad suspensæ manus palpitationẽ minimè dolitãt, sed impactis immanius digitis, rubor ac duritia ipsius per cutẽ minor uidetur: ualidiore aũt compressu durities quædam ex alto obuiat, & febris nonnunquam oritur. Proinde peculiariter quidem testium inflãmationib. cõuenit sanguinis secundũ malleolos detractio. Cõmuniter uerò omnibus cataplasmata & cerota expediũt. Cataplasmatis itaque modo inducitur lomentũ cum uuis paßis, pinguib. acinis exemptis, in uino plus satis diluto decoctũ: cymini aut asphodeli radices coctæ et eliquatæ miscẽtur cum farinæ pollinis pari modo, et emplastri instar adglutinãtur: aut semen lini ex uino nimium diluto, aut fœnogræcũ ex aqua mulsa, aut lilij radicem in mulsa, aut recentis uini fecibus cum tenuißimo polentæ flosculo, aut senecion, & coriandrum uiride cum uuis paßis, sine acinis. Si ingens cruciat ardor, folia alterci cum farina tritici, aut cicerum imponuntur, siue calami odorati folia, aut cucurbita cruda. Quod si malum in uetustatẽ inciderit cum duritie, cucumeris syluestris radicẽ in mulsa elixato, contritãq; cũ loliacea farina, more cataplasmatis adplicato. Verùm in hoc nihil minus est subsidij, quod accipit uuarum demptis acinis quincuncem, cicerum sufferuefactorum sesquiunciam, cymini unciam, sulphuris dodrantẽ, nitri unciam, resinæ uncias treis cum semisse, quibus singulis cõtritis cum melle cataplasmatis more utitor. Cerota uerò huc faciunt: Olei cyathus, colophoniæ unciæ sex, plumbaginis, cumini, uuarum passarũ, lomenti, singulorũ unciæ quatuor, ceræ unciæ duæ: plumbaginem cum oleo usque ad aliquantulam craßitudinem decoquito, deinde ceram ac resinã adijce, sublatum ab igne tepidum, uuis paßis læuigatis, farinæq; infundito. Aliud: Olei anethini & rosacei, ceræ, resinæ piceæ, singulorũ quincuncem, cymini uncias duas cum semiße, stercoris asinini unciam et dimidiam, contere cum stercore asinino cyminum, & cerotum refrigeratum misce, unaq; diluito, deinde inditum linteolo applicabis,

cabis, desuperq́; lanã imponito oleo omphacino imbutam, uel butyro, & resinæ æquis portionibus utitor. At si ex sudoribus hulcera in scroto nascantur, gallam tritam, aut alumen axungiæ uel hircino felle insere, et illinito. Cæterùm ad testiculos aphtha oppressos, cretã cimoliã cũ aqua prius illitã, finito arefieri, calidaq́; aqua abluito, myrtũ aridã, smirniijq́; momentũ tritũ emplastri ritu imponito. Iam uerò superexcrescẽtes testiũ carnes cinis uitis cẽturionalis, nitro et aqua conspersus, et applicatus tollit. Scroti pruritũ nitrũ curat, & staphisagria, alumenq́; liquidũ aceto eliquatũ, & rosaceo in balneo illinitũ. Vbi laueris, partẽ oui albore cũ melle perungito.

De incontinentia prolifici seminis, & libidinosis insomniis. Cap. 55.

GOnorrhœa inuoluntarium genituræ profluuiũ est, quod continuò citra penis tentiginẽ, ex imbecillitate retentricis potentiæ prouenit. In qua conquiescant, lumbiq́; & pubes uelaminibus cum uino, & melino, uel œnanthino cõtegantur: deinde opus est cataplasmate ex palmulis, malis, œnãthe, acacia, hypocystide, rhu, atq; id genus. Collocandi sunt insuper in lentisci, rubi, atq; consimilium in uino elixationibus, uel etiam aquis. Alimentis præterea utendum est siccificis. Post prima morbi tempora exercitationibus, quibus toti corpori, languentibusq́; particulis robur inducitur, credendi. Porrò de seminis abundãtia et fœcũditate, libro de Tutela sanitatis primo perpensum est: ubi & super his etiã qui in uenerem congredi nequeunt, scriptum est. Itẽ quæ ad ueneris insomnia contulerint. Valet etiam his, grabatum frigidius, decubitusq́; corporis in latus dextrum, siue læuum: cunctaq́; medicamenta frigorifica lumbis subillita, cuius farinæ sunt coriandrum, cicuta, cerussa, portulaca, omnia uerò cum aceto.

De Satyriasi. Cap. 56.

SAtyriasis est genitalium palpitatio, quæ aliquam seminalium uasorum imflammationẽ cum intẽsione comitatur: &

nisi conquiescat hæc palpitatio, eadem genituræ cõceptacula in resolutionẽ, aut conuulsionẽ præcipitat, subitoq; intereunt hac cõuulsione lãguidi, nõ sine alui tumore, frigidoq; sudore. Fœminas etiã, sed rarius, hoc uitiũ exagitat. Venã igitur protinus secare, uictũ tenuẽ, et abstemiũ quotidie epulari, ligurire nunquã, sed paulatim ingerere cõgruit. Antecedit utilitate beta, malua, mercurialis pusillum, et ius cochlearum. Probantur etiã ex simplicibus clysteres. Ea uerò quæ lotij ciendi potestatem habent, uitanda sunt. Prodest itẽ lumbis refrigerantia applicare: uerbi causa, solani succum, aut portulacæ, aut alterci, aut cicutæ. Penẽ insuper, taurumq; mitigatorijs refrigerantibus oblinire necesse est: puta spuma argenti, creta cimolia, cerussa, aceto uel aqua, aut uino dulci, aut sapa dilutis. Supinum quiescere perniciosum est: nymphεæ radix pota, iris item, & adiantũ, rutæq; succus, cùm ei qui genitali profluuio, tum qui ueretri arrecti palpitatione laborat, proficit. Triticeus cibus parca manu datur, et sitis imperatur. At si uitiũ non cedit, cucurbitulæ incisa cute scalpellio adglutinãdæ sunt. Quòd si redundãs materia adfuerit, hirudinib. etiã impactis inanire, & uentri hordeaceã polentam crudam inducere consilium est.

De Priapismo. Cap. 57.

PRiapismus constans incrementũ penis est, qui in longitudinem latitudinemq; nullo in uenerẽ impetu intumescit. Flatuosus nimirũ hic est spiritus, qui turgidã reddit particulam: humorum glutinosorũ crassorumq; soboles, moderati caloris officio. Perspicuũ sanè est omnibus, quòd in eo uitio particulæ calfaciẽdæ nõ sunt, sed clementer refrigerãdæ, rosaceo cerato cum aqua cõtuso, & chamælino coli & lumbis superaccommodato. Victus & medicamenta extenuatoriæ uirtutis, absq; calore manifesto porriguntur: magna itẽ utilitate adhibentur, quæ naturaliter operantur, experientia usuq; cõprobata. Potare igitur nymphæam expedit. Semẽ uiticis, rutæq; uiridis obsonijs admiscendũ. Hoc tamen neutiquam intra mali

statim

statim primordia exhibendum est, quoniam calfacit nimium, sed post usum aliorum attenuandi potestatē habentium. Euacuaturus uomitū cieto: alui enim purgationes sæpe uicinas partes fluxionibus afficiūt. Exercitationes frictionesq; ad uētositatis discußionem utiliter adhibentur. Venus nemini memoratorum congruit, nisi quibus propter coitus abstinentiam genituram redundare conijcimus.

De impotentibus particulis. Cap. 58.

QVi hoc morbo oppreßi tenentur, nequaquam in uenerem proruunt, animumq; ob id deuouent. Horum autē ratio est partium resolutio, aut seminis genitalis inopia. Cum igitur de his quæ geniturā procreant, tum quæ simplici uirtute ad concubitus excitāt, primo uolumine, ubi de tuēda sanitate agitur, perpensum sit, fortiora in præsentiarū adijcienda sunt. Cōmuni itaq; curatione ijsdē hic remedijs quæ acopa dicūtur, aduersus resolutionē factis, utendum est. Priuata uerò curatione stellionem crematū læuigato, deinde oleo adiecto, magnū dextri pedis digitū oblinito, atq; in uenerē cōgreditor: si cessare animus est pollicē lotione purgato. Iam medicamentū è stellionibus ex pluribus contextū efficax habetur. Propinētur autem quæ uenerē excitant, quorū hoc primum fuerit: Piperis, granorum pini, petroselini, ramēti pudēdi ceruini, terebinthinæ, æquæ portiones melle excipiuntur. Aliud: Cicerum crudorum, nucum pinearū utrobiq; sextans, seminis erucæ, piperis, uniuscuiusq; uncia, mellē excipiuntur, bini denarij cum mero exhibentur. Satyriaca item appellata multipharium composita huic malo subuenit, & id genus alia. Considerandæ præterea sunt aliæ affectus causæ, & singulis peculiares curandi rationes accommodandæ.

Genitalium sedisq; præsidia. Cap. 59.

GEnitalium, sedisq; hulcera citra inflammationē oborta, arefacientibus impense medicamētis indigent: cuius generis sunt, ex charta cōbusta, anethum crematum aridum, et cucurbita

curbita deusta. At si hulcera sicca, recentiaq; extiterint, aloe arida in pollinē trita & impacta, præsenti est remedio. Omnium uerò præcipuum indolorium, nulloq; inefficacius pompholyx est. Si humidiora contigerint hulcera, piceæ cortex per se, & lapis hæmatites. Si autē ipsis etiā profunditas quædam affuerit, manna admiscenda præfatis est. Si deuorādo sanas partes aggreditur, quod hulceris genus nomā dicunt, lenticula cum malicorijs illinetur. Coraco præterea ex oxymelite cognominato utendū, & bithyno, atq; eo quod è charta conficitur. Rimis uerendorum, sedisq; quas rhagades uocant, medebitur resina fricta cum rosaceo in modum glutinis contrita, admixto oui uitello, & opio: uel hederæ foliorū aridorum cinis cum rosaceo, in plūbeo mortario subactus adhibeatur. Ad hæc ex œnelæo cōstitutus pastillus, & lapis phrygius, modis omnibus peraccōmoda sunt remedia ad rimas et sordida putridaq; circa ani coronā hulcera, præsertim quū elidi nequeunt.

Aliud simpex, et acrimoniam retundens.

Cadmiæ, & piperis, singulorum sextans: florum rosarum abiectis unguibus selibra. puluerē loco dolenti apio prius absterso insere. Cæterum ad condylomata conducit, chalcitidis, æsopi ceroti, medullæ ceruinæ, rubi foliorum par modus cum cerato, et ex œnelæo orbiculus cōsimiliter. Quòd si in cole intra naturalium foramē hulcus delituerit, pus aut sanguen sine urina destillans testatur. Primum mulsa dilutiore colluitur, mox lacte, deinde collyrium asteris lacti cōmiscetur, seu albus pastillus, uel dialotarion in plumbea pila tritus pyxide reconditus demittitur, uel pēna iam intincta inungitur: deinde tenue linamentum tortile illitum imponitur. Optimum est, quod cōstat ex gallæ, & pompholygis, amyliq; ac aloes æquis portionibus, rosaceo & plantaginis succo dilutis.

Ad pudendorum dolores.

Genitalium cruciatus placātur, butyri ac resinæ æquis portionibus scitè subactis, emplastri more illitis, aut seminis lini

marcore, myrrhæ & resinæ frictæ æqui ponderis læuigati impositu.

Ad tumorem pudendorum.

Mollium foliorum uitis triginta, cerussæ drachmæ quinq; contritæ, cataplasmatis modo impositæ. Vtere præterea fotu ex marina gelida, requie itē et religatione penis. Carnes uerò genitalium superexcrescētes, quas Thymos Græci nominānt, sanat, nec recrescere sinit, cinis sarmentitius cum aceto impositus, corticis item salicis deusti cinis. In uniuersum autem thymus, formica, & uerruca pensilis pariter medicamētis ualidè exhulcerantibus euellentur, erodētibus uerò enecabuntur. Priuatim autem elaterium cum salibus impositum, id mali compescit: grossi, cum aceto, nitro, et farina, succusq; fici illitus. Smaridis item caput salsum & cōbustum: rubigo cum sulphure ignem nondum experto cremata, tithymalli succus illitus, ocimi folia cum atramēto sutorio, aut heliotropij maioris fructus cum uino cataplasmatis more adglutinatus.

Ad inflammationem ani.

Cerussæ triens, pompholygis uncia, aut cadmiæ teneræ, thuris utriusq; uncia, succi sereos hemina soluūtur, succus paulatim affunditur, donec consummatur, deinde factum ex ceræ uncijs duabus et rosacei libra cerotum, ubi raseris cōmisceto, & ualenter subigito. Immite autē per pyulcū instrumentum, & superdeligato. Confert autem insuper rimis in orbe ani cum inflammatione enatis: necnon hulceribus quæ cum ignito feruore, aut morsu in sede exurgunt.

Ad ignitos ani rubores, quæ erysipelata dicuntur.

Sumito medicaminis diachylon, id est ex herbarum succis libram, rosacei quantum satis est, panis puri libram, croci unciam, opij tantundē. cæterum crocus et opium passo macerentur, panis uerò aqua: deinde ipsis probè dilutis, id quod ex succis herbarum constat medicamētum & rosaceum immittitur, subigiturq; dum euadit liquidius. Facit autem ad calidissimas

etiam

etiam podagras. Aliud, quod conducit etiam ad inflammationem ani: Cerussa uino & rosaceo in pila plumbea, & cochleari eiusdem materiæ contrita & illinita. Aut cerussa, & oui albore cum rosaceo in eadē pila, quoad glutinis lentorem induant concußis, sedem perungito.

Hedricum ad ingentes ani dolores.

Tenerorum foliorū alterci, foliorum tenerorū portulacæ, micarum panis in uino maceratarū, luteorū ouorū assatorum æquas portiones, rosacei quantū satis est: postquam locū affectū rosarū & meliloti decocto foueris, cataplasmate inducito.

Hedricō utilissimum ad ani inflammationes & excrescentias.

Cerussæ, spumæ argenti, ammoniaci thymiamatis, bdellij, singulorum dioboli sex, terebinthinæ uncia, ceræ uncia dimidia: arida succo solani, herbæ apollinaris, aut portulacæ contundito, quæ liquefacta, illis permixta excipito, et liquefactis rosaceo utitor. Phicotyche porrò medicamentū, & ex metallica plumbagine comparatū, ani inflammationibus prodest: item quod Græci quoq; diatonlotarion nuncupant, ad hæc ex halicaccabo, rosisq; pastilli, admirandā laudem inter illa quæ tum sedi, tum naturalibus adhibentur, meruerunt.

Medendis excrescentiis ani.

Si carnes superexcrescentes inflammatione conflictentur, erit generatim prædictis, priuatim uerò isto pastillo utendum: Cerussæ quadrantē, pompholygis unciā, spumæ argenti sextantē, masticbes scrupulos sex, alterci succo excipito. Si uerò absq; inflāmatione infestent, cupreßi pilularum crematarum cinerem affectæ parti uino antea absterso superaspergito: aut aridæ cucurbitæ corticis deusti, aut oßiū palmularū cinerem similiter, aut testarum ouorum, fœniculiq; cinerem, aut foliorum mali Punici succū æquali modo, uino albo locus detersus diebus septem eluitur. Ad excrescentias autem quæ in callum obduruerunt, calcem & auripigmentum cum acriore aceto dissolue. Nec alienum, si in sole perungas.

De hæmorrhoidibus.

Si uenulæ quæ in ani corona extant, plus quàm par sit euacuentur, habitus in aquã intercutẽ resoluitur, affectiq; prauè cibi beneficiũ sentientes contabescunt. Periculum uerò est superabundantis sanguinis profluuij, quemadmodũ & eiusdem suppreßionis in totũ, unde perdifficilis redditur curatio. Proinde cum plures in orbe sedis uenulæ patent, unã purgationis gratia relinquere expedit. Nonnullæ uerò in exteriore parte existentes non apparẽt, eoq; ægerrimè curantur. Cæcæ aũt & latentes nihil excernunt, sed grauiore cruciatu fatigant. His igitur cyclamini succum inunge, & aperiẽtur. Aduersus uerò eas quæ largius iusto sanguinẽ fundunt, in aquæ heminis octo spinæ Aegyptiæ, foliorũ sambuci, artemisiæ, singulorum quincunx, herbæ sideritidis triens, usq; ad medias elixentur, postea herbæ porriciuntur, aquæ uerò hic puluis cõmiscetur: metallici atramenti aluminis rotundi drachmæ octo, spumæ argẽti quatuor, gallæ quadrãs, misyos drach. duæ, sereos tantundem. In elixatione cũ puluerẽ solueris, septies in die aspergito. Postera uerò die pari modo alteram confectionẽ æquali pondere irrorato. Tertio cõsimiliter. Quòd si reliquiæ quædã permãserint, quarto die acu cõpungito: si sentiat æger, aut sanguis profluat, decoctũ similiter facit: pulueris uerò semissem admisceto. Vbi foueris, puluis, quò exactè deurãtur, adprimitur: ob inflãmationẽ uerò panẽ cataplasmatis more imponito. Aliud: Panẽ purũ garo primi honoris tinctũ in fictili nondum alio liquore imbuto crematum, læuigatumq; inijcito, uino sede prius abluta. Facit etiã ad excrescẽtias. Aliud: Sereos drach. duæ, chalcitidis drach. una, misyos tantundẽ, atramẽti sutorij drach. tres, aluminis fißi nouẽ, æris deusti una, melãteriæ tantundẽ. utere arido. Epulæ nimium quidẽ inanitis paucæ, et ab excremẽtis alienæ cõueniunt, et quæ arefaciẽdi cõstringẽdiq; potestatẽ continẽt, è quorũ numero est chõdrus ex posca lotus, oryza, & halica: ex holeribus intyba, cichorea, et portulaca:

ex uinis quæ adſtringunt. In hæmorrhoidibus autē cæcis con̄trariæ congruunt: cum primis uerò loliginum, ſepiarum, ac polyporum, torpedinis, et ſelachiorum qui ſquamis deſtituuntur, eſus, pulchrè cōpetit: hæc etenim ſanguinem conturbant. Et quæ menſium ducendi uim obtinent, ex uſu ſunt.

Ad procidentem anum.

Erices fructus, gallarum, ceruſſæ, acaciæ, hypocyſtidis ſucci, piceæ corticis, rhuris, myrrhæ Aminææ, æquas portiones aridas ſuperaccommodato, ſede prius uino auſtero deterſa.

Aliud: Recrementi plumbi, rhus Syriaci, ſingulorum denarij octo, floris roſarū drach. quatuor, myrrhæ Aminææ duæ, utere quemadmodum ſuperiore. Aliud: Piceæ corticis, mannæ, ſpumæ argenti, uniuſcuiuſq; drach. octo aridorum galbulorum, cupreſſi, plumbaginis, ſingulorum drach. duæ, utitor ratione prædicta. Lotium item languentis calidum adhuc ſuperfuſum opitulatur.

De locellorum affectibus, & primitus de menſtruorum purgatione. Cap. 60.

PLeriſq; ſanè puellis anno decimoquarto menſium expurgatio primùm incipit: paucis ante tertiū & decimum, aut duodecimum: plurimis uerò, poſt annum decimumquartum prorumpunt. Tempus autem cuiq; purgationi ſtatum non eſt. Multis per biduum, aut triduum: maximæ uerò parti ad quintum uſq; diem fluunt, alijs uſq; ad ſeptimum, ad duodecimum uſq; diem rarius expurgantur. Siſtuntur autem muliebres huiuſmodi purgationes quibuſdam anno ætatis ſuæ quinquageſimo, paucis uerò ad annum uſq; ſexageſimum protrahuntur: nonnullis à ſeptimo ſtatim luſtro, et potiſſimum obeſis deſinere menſes cœperunt. Non reſpondente igitur menſtruali purgatione, circiter ſtatum menſtruorum tēpus, lauari, ſiſamoq; prius, aut porro capitato, cum pipere & ruta unà decoctis ex paſſo cretico potionari debent, à cuius heminæ hauſtu deambulationibus commouebuntur menſtrua. Manducet interea loligines,

gines, sepias, polypodes, & quæcunq; id genus: nam propriè mouendi sanguinem uim obtinent.

De suppressis mensibus. Cap. 61.

SVpprimitur quandoq; menstrualis purgatio, uniuerso corpore incommoda ualetudine affecto, interdum uerò locellis modò priuata ægritudine cõflictãtibus ex frigore uernaculo, aut ictu, aut natiua distemperãtia, uel acquisititia offensione, ut plurimum uerò ex aborsu, & primario alicuius principis mẽori affectu: uerbi causa, iecoris, aut uentriculi, aut pectoris, aut alicuius id genus diuturno morbo oblæsi. Mensium autem suppressio, multarum & diuturnarũ ægritudinum causam solet inuehere. Cum igitur ob aliquã interaneorum primariam affectionem abscinditur, aut remoratur muliebris purgatio, nihil utilius quàm ei quod primario afficitur, occurrere: mox uuluæ rationẽ habere. Sed eorũ notio in superioribus comprehensa est. At ubi nihil horũ adfuerit, perspicuum est, locellos per se uitio teneri. Si itaq; neq; ætas, neq; habitudo corporis, neq; aliud id genus prohibuerit, sanguis per uenã detrahendus est, non ante tamẽ præscriptũ mẽsium tempus. Vbi uerò iam præterierint, dies decẽ adijciãtur. Auferatur uerò nõ plus duabus libris cum dimidia, neq; etiã minus una, siquidẽ uenam secabimus: sin minus, hieræ ex cucurbitula syluestri, duobus denarijs in mulsæ cyathis senis purgabimus. Quòd si febris pariter infestet, hiera quidem utẽdi locus non est. Opportunũ uerò fuerit, in primis statim febriũ dieb. sanguinẽ mittere. Post purgationem corpus muliebre paucis diebus reficiendum est: procedente autẽ deinceps tempore, exerceatur deambulationibus, partium inferiorũ frictionibus, & balneis. Ex cibis conferunt qui facile distribuuntur, & humida holera, ac dulcia cuncta, pisces saxatiles, aues teneriores, & lactis potatio, confectiones ex melle, quæ melittomata dicuntur, uinum tenue, colore candido, non admodũ uetus. Non probantur carnes, neq; legumina, excepta ptisana. Vbi autẽ statũ purgationis tẽpus

pro foribus constiterit, ex maritimis piscibus, dentur chartila ginei, & exosses, ut dictũ est, Græcè selachia & malachia uo cantur, & qui pro cute integuntur testa: porra item capitata, cum ruta ac pipere elixa sumant, ius quoq; eorũ bibant. Infer næ partes uinculis tribus quatuor'ue diebus ualenter constrin gãtur. Aduentante autẽ stato mensium tẽpore, laxentur compedes, bibatur myrrhæ obolus, aut fabæ quantitas, aut castorium ex passo, uel aqua mulsa, aut artemisiæ decoctũ, aut saliuæ, post balneum ex passo & absinthite. Vinum autem absinthite per omne curationis curriculũ propinetur. Si uerò solenni purgationis tẽpore, ne tantillũ quidẽ, uel nihil cõmentatione dignũ, excretũ fuerit, sub malleolo sanguis detrahatur, & auferatur denuò. Post septimũ uerò aut octauum diem purgatione ex hiera utendũ. Et post quartũ rursus diem, dropax sumini, lumbis ac femoribus illiniatur. Aqua exinde in potu tri duo sumpta, sinapi cũ æqua portione panis macerati ad æquinoctiũ usq; imponitur: deinde lauet, sequenti mense ficus aridæ pro pane admisceãtur in decocto fœnograeci, maluæ, pulegij, rutæ, ac artemisiæ. In sinũ uerò pudoris, susinũ, aut amaracinum infundatur: & pessus ex medicamento è nouẽ rebus constante, & ob id ennapharmacum nomẽ obtinente, aut libanius insinuantur. Est eautẽ pessus lana pectita, & quodcunq; aliud teres digiti speciẽ præferẽs, quo medicamẽta sustinẽtur. Hæc igitur curatio plerisq; ad ciẽdos mẽses abũde fuit. Si autẽ ualidiora res postulauerit remedia, hæc fuerit eorũ materia: Iris illyrica pota cũ uino, cyperi, ariq; radix, & casia, rotũdi odo rati iunci flos, nardus, inulæ radicis decoctũ, et myrrhæ fabuli Græci instar, cũ passo in dimidiato mulsæ cyatho, et dictamni iuris cyathi duo, & gutta ammoniaca, & sagapenũ. Sed quæ stomachi uitio minus obnoxiæ sunt, opoponacis momẽtum in pilulas redactũ, & incocto melle irrigatum assument. Iam & consueta nobis semina, muliebria ciere nata sunt, sed minore fficacia: quale fœniculum, cyminũ, apiũ, daucus Creticus,

seseli, ammi, sion, ciceres, cedri fructus, & omnia quæ urinam proritant. Prostheta porrò ex myrrha, absinthij, aut lupinorum decocto, seu rutæ succo contrita subijciuntur, bdelliumq; similiter. Styrax item, & syluestris oleæ gummi, succus ue rutæ compari modo, uel aristolochia longa in collyrij formam concinnata. Consimili præterea modo cẽtaurij grandioris radix, aut ueratri, aut liquor scammoniæ, & colocynthidos interior caro priuatim, & artemisia cataplasmatis more cum ruta illita, galbanumq;, facto inde suffitu. Quæ fœtum etiam utero elidere naturæ suæ apitudine possunt.

De exuberãte purgatione, & hæmorrhagia locellorũ. Cap. 62.

IMmodicæ mensium purgationes fœminis contingunt, cum interdum sanguinis menstrui copia cõfertim & cũ impetu, interdum in fine partus erumpit. Quæ magna quidẽ ex parte sua etiã sponte cessant. Subinde etiam post aborsum uehementia sanguinis profluuia euellunt, ita ut sæpe comitetur periculũ. Primũ igitur artus extremi ab axillis et inguinibus fascijs constringãtur. Posca nõ frigida propinatur, eadẽq; locus fouetur, plurimaq; lana, uino, oleo, siue rosaceo, siue melino, siue myrtino imbuta locis imponitur. Estur chõdrus lotus è posca, aut oryza, aut halica. Vino abstinetur, hydromalũ uerò austerum, aut omphacomeli, aut id genus quippiã ipsis conceditur. Propinandũ insuper, in posca balaustiũ, siue hypocystidis, uel acaciæ cremor, aut lycium, aut Samius aster, aut uuæ acerbæ succus aridus, aut rheum, aut lẽticulæ in Italico uase fictili crematæ cinis, aut sesamũ in posca, donec molliusculũ & delicatum reddatur, maceratũ, edendũ præbetur. Peßi naturalibus fœminarũ insinuati, sanguinis eruptiones cõpescunt: hypocystidis succus, aut acaciæ cum manna aceto eliquatæ. Mirificè prodest spõgia, uino aut liquida pice tincta, & peßi modo supposita, uel deustæ ipsius cinis cũ aceto, posca ue applicatus: pari etiam modo suberis Italico uase testaceo cõbusti cinis. Foris autem egregiè subueniũt epithemata quæ astringẽdi naturam

habent, & ex dactylis palmæ, cotoneisq́;: & quæ malicoria continent cataplasmata, aut ilicis glādem, aut rubi uirgulta, aut lentisci folia, balaustiũ, acaciam, hypocystidem, gallæ momentum, & alumen. sed omniũ maximè illud: Taurinum glutinum, tantisper dum dissoluatur, posca maceratũ, deinde linteolo robusto impactũ, lumbis imponitur. Efficaciter ad hoc faciunt emplastra, quæ glutinatoriã uim retinẽt: uerbi causa, Armonia, Icesios, Athene, Meline, Indica, atq; id genus cætera. Pessariorum etiam talium ad sanguinis profluuia usus est: Gallæ interaneum tritũ, & thus aqua dilutum insinuatur: aut cytini, aut dulcia mala Punica cõsimiliter, aut seminalis læuigata. Cõponuntur aũt, aluminis fißilis, medullæ gallarum, succi acaciæ, mannæ, singulorũ drach. quatuor, ouorum assatorum lutea quatuor, arida in succo plantaginis teruntur, & commiscentur. Cum usus exigit, pesso laneo excipiuntur, rosaceoq́; intincta naturalibus conduntur. Quin & cucurbitulæ inanes spaciosæ sæpius sub mammis adglutinatæ, tantum ut nihil desideres reuellũt. Insessus insuper his quæ sanguinis eruptiones patiũtur, huiusmodi conuenit. Oxyschœni, quod est iunci marini, capitis myrti, foliorũ rhamni, rosarum, surculorum rubi æqualis modus in aqua decoquitur, qua insidentibus loci utiliter fouẽtur. Aliud: Mali Punici dulcis radicis corticis, myrti, corticis cupreßi, singulorũ partes tres, gallæ pars una, aquæ quãtũ satis est. Iã uerò et per uterinũ clysterẽ, Græci Metrenchitẽ uocãt, succũ plãtaginis, aut sereos, aut seminalis, aut strychni, aut perdicij, aut psyllij, aut hypocystidis, aut acaciæ infundito. Atq; hæc quidem lana, aut digito, aut mela, pinna'ue in longitudinem format, usq; ad os uteri inserãtur. Et Andronis pastillus per uterinũ clysterẽ cũ prædictorũ succorũ aliquo, aut uino adstringẽte infusus, efficax est remediũ.

De muliebri profluuio. Cap. 63.

MVliebrium locellorum fluxus, est uniuersi corporis quod expurgatur, destillatio. Huiuscemodi uerò speciẽ id quod

euacuatur, præ fert, cuiusmodi humor, qui in corpore redundat: aliud rubrũ quidẽ, instar saniei sanguinis: aliud uerò candidum, à pituita proueniens: aliud autẽ luteum, amaræ bilis soboles: nonnunquam aqueũ. Si autẽ sanguis syncerus, quemadmodum in illius per uenã detractione, effertur, animaduertendũ erit accuratè, ne qua in locellis enata sit erosio. Deprehenditur autẽ fluor, quod loci perpetuò dißidentibus colore humoribus madescunt. Laborans pallet, alimenta non sentit, cibum odit, in deambulationibus spiritus difficultatẽ experitur, oculos habet intumescẽtes, interdum quidẽ cum dolore, interdum uerò citra dolorẽ, uel cum exhulceratione, uel absq; illa, uel inflammata, uel sordida, uel munda. Toti itaq; corpori arefacientibus succurritur, si morbus fuerit humidior, absq; euidẽti calore: frictionibus itẽ corporis uniuersi, & illinitionibus ex melle affatim decocto. Pharmaca etiam quæ urinã cient, porrigantur, è quorũ numero habetur aqua in qua elixa sint asarum & apium. Per aluum præterea totum corpus euacuatur. Ad hæc portulaca commanducata, succusq; eius epotus subuenit. Balaustiũ item, rubiq; cùm fructus, tum flos, et qui cortici querceo subest liber, et mẽbrana quæ sub putamine latet glandis. Hippuris, potißimè rubens, profluuium, pota ex aqua aut uino, sistit: aut hypocystis, baccæq; lentisci frictæ cum uino potæ: Samius aster, Lemnium sigillũ, coagulum leporinum, aut hœdinum, aut agninum, aut uitulinũ, aut ceruinũ, acini uinacei triti, myrti, omphax aridus, piceæ cortex, & quæcunq; ad locellos sanguinis profluuio uexatos memorata sunt, modò ne sint quàm par sit efficaciora. Quãdo autẽ cum cruciatu effertur, per uteri siphonẽ, aut clysterẽ succus halicæ, aut ptisanæ, aut tragi, aut oryzæ, unà cum anodynis aliquot remedijs immittendus est. In acceßionibus morbi dolor mitigandus est. In remißionibus uerò (habet enim circuitũ nõnunquã) utendum fuerit gestationibus uarijs, deambulationibus, uociferatu, unctionibus, cucurbitulis, dropacibus, particulis superioribus im

positis, aut apricationibus, frictionibus, unguētis depilatorijs, quæ psilothra dicuntur, smegmatis, sinapismis, uomitibus cum radicula prouocatis, rictu reparante, lauacris, mero, uarijsq; dapibus.

De locellorum inflammatione, & declinatione. Cap. 64.

INflammatio uteri è pluribus causis originē trahit. Ex ictu nempe, ac mensibus suppressis, frigore itē, & inflatione, neq; minus etiā ex aborsu, et partu parum dextrè eliso. Comitatur locellorum inflāmationem febris acuta, capitis dolor, tendinum, radicis oculorū, brachialis digitorū, colli deorsum conuulsio, & in contraria conuersio, stomachi per consensum dolor, osculi locellorū præclusio, pulsus parui & frequētes. Etsi exigua fuerit inflāmatio, haud crudeli uulua dolore afficitur: sin ualidior fuerit, eadem uniuersa pulsatorio cruciatu torquetur, membro undiquaq; inflāmatione obsesso. Parte uerò inflāmatione modò depressa, eandē dolor magis exercet. Nam si posteriora ipsius solùm inflāmatione cōflictentur, dolor lumbos excruciat: retrimēta alui specie oleti canini, compresso recto intestino, retinentur. Si uerò anteriora inflāmantur, dolor pectini insedit, urinæq; stillicidium, aut difficultas oritur, stricta in arctū uesica. Si autē latera inflammatione tententur, inguina intenduntur, & crura ægrè mouentur. Si extrema ad fundū uteri pars inflammetur, partes umbilico circumiacentes dolore potißimū cum tumore infestantur. Vbi autē uuluæ osculum inflāmatio occuparit, dolor in abdomine affligit: digitoq; immisso, durum ac rigidū occurrit orificium. In curatione itaq; fotus inprimis ex uino & oleo tēperato, uel uino et oleo rosaceo per uelamina, ex lana mundiore inferiori uētris regioni ac lumbis, citra deligaturā adhibendus est. Cibi commendatur abstinentia per triduum, à quo secta uena cubiti, sanguis, nisi quid impediat, detrahēdus est. Cōsummatur medicatio ipsa chondro ex aqua mulsa, aut pane, aut ouis sorbilibus tertio quoq; die. Secundū quintū uerò diem cataplasma imponatur

natur ex polline farinaceo, semine lini, fœnograeco, mulsa maceratis, in qua capita papauerũ decocta, & à mulsa iam abiecta sint, & oleo. Si autẽ inflammatio erysipelatis naturã resipiscens excalfacientibus magis irritetur, sertulã campanã in passo elixã, tritamq;, ouorũ tostorũ luteis adiectis cũ rosaceo, aut melino, aut crocino cataplasmatis modo applicato: aut palmularũ dactylos uino tẽperato subferuefactos, cũ tenuißimo farinæ polline, aut aliquo ex relatis unguinibus læuigato ac illinito. Malo autẽ remittẽte, cerotũ nardinũ aut cyprinũ inijciendũ est. Inter cũcta remedia, insessus ex decocto fœnograeci aut seminis lini, maluæ, artemisiæ, & oleo ex usu sunt. Sed in his quæ calorẽ nõ tolerãt, ex calida aqua rosaceo infuso. Peßi uerò et infusiones adhibeantur ex œsypo, butyro, medulla ceruina, adipe anserino, ungẽto Susino, & cera Tyrrhenica. In his quæ caliditatẽ ferre possunt, pessus ab auri colore Chrysus appellatus cõuenit, et enneapharmacus. Sed quæ hãc nõ sustinẽt, his ex ouo, et rosaceo, adipeq; anserino seu gallinaceo cõficiantur. Cæterũ aduersus ardẽtiores inflãmationes emplastro ex herbarũ succis in duplo fictili uase cũ rosacei liquefacto miscetur succus plantaginis, aut sereos, aut cichorij, aut intybi. Vel sequenti utitor: Adipis anserini suillæ'ue recẽtis axũgiæ drach. quatuor, cerati rosacei aut Susini unciæ duæ, ouorũ assatorũ luteorũ uncia, croci drach. myrrhæ trioboli, opij oboli duo, uel opij loco capitũ papaueris decoctũ. Si uehementißimus uuluam infestat dolor, succi papaueris lentis quantitatem, cum lacte muliebri, & succo fœnograeci, subijciendum porrige. Ad inflammationes porrò cum duritia, tetrapharmacum rosaceo liquatum subijcitur, uel infunditur. Declinationibus uerò uuluæ secundum paroxysmos quidem, perinde atq; inflammationibus succurritur. In remißionibus & declinationibus, blandioribus utendum. Si uetustas malum occupauerit, remedijs metasyncriticis appellatis, pugnandum. Foris autem duritie oborta, malagmatis, puta è sertula campana,

item Mnasæi, & Icesij, Melinæ Sarapionis, aut pyrinæ. Victus principiò quidẽ tenuis esto: facta autẽ modica relaxatione, laborantes in balnea ducantur, ciboq; magis uario ac pleniore utantur.

De abscessu uteri. Cap. 65.

CVm inflãmatio uteri in abscessum conuertitur, signa quæ memorauimus, intenduntur. In accessionibus febres inordinatæ cum horrore inuadunt. Per initia quidẽ intensæ cum doloribus. Postremò uerò ad suppurationem perducto apostemate, aliquantulũ remittunt. Vbi uerò uomica eruperit, cruciatus sæpenumero acriores, ceu punctorij incidere uisi sunt, febresq; feruentiores accenduntur, urina nonnunquã supprimitur, interdum aluus, facto iuxta affectã uteri partem impedimento, aliquando uerò tumor circa pubẽ attollitur, & tanquam inundationis sensus, si abscessus grandior fuerit. Quod uerò in expositis locis consistit, etiã specillo instrumento locis inspiciundis idoneo, aut digitorũ attactu deprehenditur, præter quod dolores ob neruosam oris ipsius uteri partẽ acerbiores infestant. Quemadmodũ in fundo, circaq; sinũ dolore minus afficiuntur, & digitorũ tactui tumor non occurrit, orificium autẽ gracilius uidetur. Suppurationi igitur maturrimè, cataplasmatis ex fœnogræco, semine lini, hordeacea aut triticea farina, admixtis interim ipsis ficubus elixis, aliquando etiam columbino stercore opitulandum. Insessiones, quibus ad uteri inflammationem utebamur, crebrius adhibitæ prosunt. Pessuli item ex terebinthina, myrrha, œsipo, atq; butyro concinnati. Rupto autẽ abscessu, si quidẽ pus in uesicã deferatur, lac, cucumerisq; semen potandũ: sin uerò in intestinũ rectum putris euaserit materia, lentium, malicorij decoctũ aluo infunditur. At si aperto abscessu pus merũ in sinũ pudoris cõfluat, rosaceum infundito, aut ex amygdalo dealbato oleum, aut tetrapharmacum Basilicũ, aut recens butyrũ. Si sanies tenuior tetri odoris eruperit, quemadmodum ex hulcere depascendo

repente,

repente, maiore astringendi ui, præditum erit enema ex myrto, palmulis, & lenticula. Si post humorum excretionem urgeat inflammatio, cataplasmatis insessionibusq; perseuerandum. Cum autẽ in uteri ostiolo abscessus constiterit, neq; rumpatur, extenuatis circumiacenntibus puri corporibus, ad pus expellendum chirurgica manu utamur: ceu in libro de his qui manu medicam exercent artem, memorabitur.

De exhulceratione locellorum. Cap. 66.

Exhulceratur subinde uulua ob difficultatem pariendi, uel propter fœtus extractionẽ, uel eius interitum, uel acria medicamenta, uel fluorem, uel ruptos abscessus. Quapropter si prompta & oculis exposita fuerit exhulceratio, speculi artificio deprehẽditur: si in alto recõdita, ab excrementis egestis. Humor nãq; diuersus excernitur, inflammato quidẽ hulcere, exiguus, sanguinolentus, aut feculentus, cum ingenti dolore. Si sordidũ fuerit hulcus, copiosior, et sanies serosa cũ minore cruciatu profluit: si depascẽdo serpat, teterrimi odoris, aterq; cũ doloribus uehementioribus, alijsq; inflãmationum indicijs. Irritantur ex medicamentis relaxantibus, & leuãtur ex contrarijs. Ex mundo autẽ hulcere, humor exiguus, æqualis, sine odore, crassus, albicans, cum facilitate excernitur. Inflãmato autẽ hulcere, ijs quæ ad inflammationẽ conducere docuimus, utendum est. Sordidum hulcus, ptisanæ cremore cum melle illuendũ est, aut tetrapharmaco, cum Susino, siue mulsa in qua elixum sit fœnogræcũ, aut malua, aut furfures, aut lenticula cortice detracto. Cæterũ quo exactius purgetur, etiam marrubium, aut eruum, siue mel, admixta erui farina, aut iris, alumen'ue rotundũ, uel simile quiddã inijciatur. Eadem & foris ex mulsa macerata, more cataplasmatis inducuntur. Peculiarius opitulatur hoc medicamentũ: Crocus optimus læuigatur lacte muliebri, deinde ceroto rosaceo exceptus cum adipe anserino, flocco illinitur. Exquisitius, et ad ingẽtes dolores discutiendum efficacius est illud: Calyces papaueris in passo tempe

rato irrigatur per triduum: mox decoquuntur donec liquefiant, deinde teruntur cum foliorum rosaceorum drach. quinq;, croci tribus, admixto capitũ papaueris decocto: postea superfundito his ceræ rosaceo liquatæ denarios duos, et in pesso cũ rosaceo imbuto subijce. Vincit etiã medicamentũ quod ex ouis crocoq;, ac rosaceo, adipe anserino, medullaq; ceruina cõtexitur. Aegyptia itẽ sine rubigine ad exulcerationes mirificè facit. Depastio ubi fuerit cũ inflãmatione, panis tepida maceratus, ex hydromelite, oleo, althæa, fœnogræco, palmulis pinguibus cataplasmatis modo illinitur: immittẽdus uerò succus plãtaginis, solani, seminalis, sereos, primitus quidẽ per se, deinde uerò cũ uino austero, siue aceto. Si citra inflammationẽ depascẽdo serpat, injcienda sunt efficaciora: exẽpli gratia, decoctũ malicorij, rosarũ, oleæ colliculi, cupreßi: malorũ cotoneorũ, rubi, myrti, lentisci, rhamni, rhus quo utuntur coriarij è uino astringẽte: postremò aũt aluminis, acaciæ, lycij, hypocystidis. Ex ijsdẽ etiã decoctis insessus cõstituitur: si nihil proficitur, primo quidẽ medicamentũ è charta immitte, deinde uerò acetum, aut Antherã, aut chalcitem, aut atramẽtũ sutorium. Huic ex ijsdem liquoribus, & quæ dysentericis congruunt. Alimenti perexiguum boni succi ministrato. Expurgato iam hulcere, lauare pluriphariam, & nutrire crebrius, & uinũ præbere, quò incarnatio uelociter fiat, expedit. Peßi autẽ uice indetur, medicamẽ ex moris, dilutũ cadmia, aut ladano, aut plũbagine. Foris autẽ abdomini atq; coxẽdicib. empastrũ cicatricẽ inducẽs imponendũ. Quẽadmodũ enim cataplasmatũ, ita et emplastrorũ potẽtia per cæcos meatus ad interiora trãsfertur.

De uteri cancro. Cap. 67.

EX cancris uteri alij quidem hulcerati, alij uerò non hulcerati existunt. In cancro igitur non hulcerato, tumor in uuluæ ostiolo reperitur durus, inæqualis, crepidinosus, colore feculentus, rubicũdulusq;, interdũ etiam subliuidus: cum uehementi, circa inguina, imũ uentrẽ, abdomen, et lumbos dolore,

mannumq;

manuumq; attrectatione, et medicinarũ uarietate excãdeſcũt. Si cum hulcere cancer eſt, præter dolores & duritias, tumoresq;, hulcera exeſa ac inæqualia cernuntur, magna ex parte quidem ſordida, prætumida, albicãtia, humore cõcreto deformia. Sed quæ munda uidentur, feculenta, lurida, rubentia, & cruenta apparent: ſanies inde tenuis, aquoſa, nigra, aut ignea, tetri odoris iugiter excernitur: nõnunquam uerò etiã ſanguis erumpit, cæteraq; indicia quæ de utero inflãmato enumerata ſunt. Hæc diſpoſitio curationẽ non recipit, ceu ipſus etiã aſſerit Hippocrates. Placari tamen poteſt inſeßionibus ex fœnograeco, maluaq; paratis, atq; id genus cataplaſmatis. Efficaciſsimas leniendi uires habent in exacerbationib. malua, aut althæa in mulſa ſubacta, colliquataq; cum pauco roſaceo, & inſtar cataplaſmatis adglutinata: ad hæc cõpoſitio ex ficubus aridis, ſertula cãpana, ruta, thure, napoq; herba accuratè cũ oleo cõtuſa. Item cataplaſma ex palmulis in paſſo decoctis, adiectis ouorum uitellis, atq; farina hordeacea, aut papauere, cum coriandro, aut ſeminali, aut ſeri: hæc quidẽ in ipſo cruciatus tẽpore proſunt. Poſt hæc uerò cerotũ ex roſaceo, aut myrtino, aut œnanthino, aut melino cum palmulis in paſſo elixis admiſceatur. Priuatim uerò cõpetit ceratũ ex amurca in cortinis ahenis inuenta, quæ teſta læuigatur, ceratoq; roſaceo excipitur, tantiſper dum conſiſtentiã emplaſtro idoneã induat. Hæc quidẽ extrinſecus adhibẽtur. Interius uerò mitigat locos oleum. Si exhulcerati fuerint, lac quoq; muliebre infuſum, tepidusq; plantaginis ſuccus. Si cruentũ ab hulcere manat, ſuccus ſeminalis herbæ cum pauco thure cõmulcet. Mitigãt præterea peßi è croco, lacte muliebri, liquore papaueris, et œſipo. Omnium uerò efficaciſsimũ eſt, & aduerſus ſedis etiam affectiones, quod accipit ſpumæ argenti Italicæ lotæ uncias ſex, thuris maſculi, œſypi, adipis porcini recentis, butyri noui, ceræ Tyrrhenicæ, ſingulorum uncias duas, roſacei quatuor. Spumam argenti in ſucco ſereos contritam, liquatis inijcito.

Cibus

Cibus qui facile in uentriculo uincitur, & in membra distribuitur, inculpati succi exhibendus est, uini aquosi paucißimũ, acriores cibi, satietasq; cauenda est: promptißimè nanq; ipsis cibaria corrumpuntur.

De scirrho, & duritia. Cap. 68.

OBdurescit uterus, quandoq; sanè derepẽte, nulla perspicua occasione, plerunq; tamen præcedente inflãmatione, quæ neq; discussa, neq; in abscessum permutata fuerit. In eodẽ genere habetur durities, quæ scleroma appellatur, in uteri ceruice magna ex parte obueniens, tumorẽ quidem habẽs similem, sed minus renitentẽ, cum dolore mediocri. Accidit autem his uteri declinatio in contrariũ, tumor uehementer durus, & tactui repugnans cum grauitate, & difficili motu: non crurum modò, sed uniuersi corporis, obeũdisq; uitæ functionibus segnitia. Superuenit nõ rectè curatis deprauatus corporis habitus, naturam aquæ subter cutẽ resipiscẽs. Principiò igitur sanguis secta uena auferendus est, aluus Archigenis hiera solicitanda: deinde cataplasmata ex ficubus aridis, œsipo, nitro, absinthio, & cucurbitulæ cum scarificatu adplicanda & malagmata, polyarchiũ, diaspermaton, & diadaphnidon, hoc est, ex baccis lauri confectũ. Insesßibus utemur ex caricarum, artemisiæ, pulegij, altheæ decocto. Pessuli ex resina terebinthina, galbano, myrrha, iride, œsipo, dropace. Aquarum naturalium usus, quæ nitri naturã aut bituminis præferunt, commendatur. Si corporis robur non desit, etiam helleborismus probatur.

Pessulus mollitorius.

Ceræ Ponticæ, unguẽti nardini, uniuscuiusq; quadrantem, irini, gleucini, cyprini, singulorũ sextantem: adipis ursini, & anserini, butyri, œsipi, medullæ ceruinæ, resinæ terebinthinæ, singulorum unciam. Aliud: Polij drach. duas, myrrhæ quatuor, cum uino Mẽdesio tritas, irinoq; dilutas ad subijciendum exhibe. Aliud: Ceræ Tyrrhenicæ, adipis uitulini, resinæ terebinthinæ, medullæ ceruinæ, mellis attici, olei ueteris, æquis portio-

portionibus. Pessus metasyncriticus, hoc est, noxia ex alto euocans, & restauratitius, & ad inflationes factus. Vuæ passæ candidæ, demptis acinis, quadrans, foliorũ uiridis rutæ sextans, aquæ marinæ unciam & dimidiam, cymini drach. quatuor, mellis quantũ satis est. Illitum autem pessum oleo cyprino immergito, atq; supponito. Cæterum Chrysus pessulus uocatus, atq; Libanius, necnon enneapharmacus, huic affectioni accommodati, uerũm peculiarius adhuc Titianus.

De Mola. Cap. 69.

Mola quoq; scirrhi naturam præsentans tumor est, nunc uteri orificiũ, nunc ipsum uniuersum occupãs, & tophaceam duritiam tactu referens, cum eorũ quæ superiacent, hoc est, præcordiorũ retractione, gracilentia, decoloratione, cibĩ fastidio, mensium retentione, mammis turgentibus, ita ut per initia in quibusdã ueræ conceptionis opinio suboriatur. Temporis uerò progressu discernuntur: nõnullæ uerò aquæ intercutem præferunt suspicionem. Cæterũ discrimen ex tumoris duritia, & ex surdo digitorũ percussu dignoscitur, quòd inde nullus, quemadmodũ in hydrope, sonitus edatur. Quum intenditur, re uera in hydropẽ conuertitur: nonnunquam uerò incurabilis magna ex parte morbus nascitur, quibusdam sanguis quoq; effertur. Omnibus itaq; ex æquo conclaui angustiore, obscuro, modicè refrigerato, lecto immobili recũbere confert, ita ut crura sint altiora & quieta. Efficax quippe ad concitandum quemlibet fluxũ, est motio. At tumores, duritiasq; iisdem medelis quæ in scirrhis uteri, scleromatisq; scriptæ sunt, medebimur. Suffusiones autẽ aquæ intercutẽ similes, remediis in capite de Hydropico morbo commemoratis. Eruptiones autem sanguinis, perinde atq; profluuiũ sanguinis, & fluorẽ muliebrẽ curabimus. Sunt qui molam asserãt carnẽ informem, in locellorum tunicis consistentem, conceptus modo in lucem edi. Hoc morbi genus uictu relaxante, quò maturius excutiatur, tractandum est.

De

De inflatione uteri. Cap. 70.

INflatur uterus ex frigore, uel corruptione fœtus, uel ex infelici partu ostiolo cõniuente, uel sanguine intus in grumũ concreto, interim spiritibus in concauitate loculamenti ipsius collectis, interim uerò ex raritatibus corporis ipsius uuluæ. Quæ comitatur tumor pectinis, & imi uentris, cum duritia et dolore pulsatili, qui ad septũ usq; transuersum, stomachumq;, & inguina pertingit, percussuq; digitorum sonitus tympani instar editur. Curatur itaq; primùm detractione sanguinis si nihil impedimẽto sit: mox in affectus accessionib. inedia, fotuq; ex oleo rutaceo. Insessibus item ex rutæ, pulegij, artemisiæ, casiæ decocto, et similibus. Cataplasmatis ex seminibus apij, cymini, fœniculi, anisi, ameos, lolleaceaq; farina. Cucurbitulis insuper leuibus, & incisa cute scalpello. Si uitium uetustatem senserit, corpus hiera picra euacuabimus, dropacibusq;, et sinapismis, & naturalibus aquis utemur. Cæterũ obstetrix inserto digito oleo prius imbuto, incumbentem sanguinẽ in grumum conglobatum si assequatur, auferat clemẽter ipsum resoluẽs: deinde rursus cataplasmatis modo imponẽda, ficus, nitrum & absinthium. Epithemata emolliẽdi facultate prædita erũt: Polyarchium, diaspermaton, & diadaphnidon. Pessuli deniq; ex ruta, melle, nitroq; formentur. Cum primis autem ille accommodatus est, qui è ficuum pinguium contusarum drachma, cymini duabus, spumæ nitri drachma cõcinnatur: sed propter acrimoniam in lacte prius macerentur. Pessi postremò mollitorij, omnes huc sunt idonei.

De uteri suffocatione. Cap. 71.

STrangulatus uterinus est, uuluæ ad superiora retractio, & consortium afflictionis nobilissimæ corporis partes percipiunt: uerbi causa, arteriæ, quas carotidas uocant, cor, & cerebri membranæ. Accidit autem languentibus appetente accessione, torpor mẽtis, segnities, crurũ debilitas, pallor faciei, species oleosa & hebes, ac tristis aspectus. Obruente uerò iam

strangu

ſtrangulatione, profundiſſimo ſopore, deſipientiaq; corripiuntur, inſtrumēta ſenſuum detinentur, uox obmuteſcit, crura cōtrahuntur, malæ demum rubeſcere incipiunt, & facies turgēdula repletur. Cum malo remittēte ad ſe reditura eſt mulier, promanās quædam è muliebrib. locellis humiditas tactu percipitur, immurmurat uenter, & progreditur aliquid ex inteſtinis, ipſeq; uterus paulatim laxatur, tum deniq; ad ſe redeūt, ſenſumq; recipiunt. Mouetur porrò id morbi genus quodā circuitu, quēadmodum et morbus comitialis, farta uidelicet uulua, uel ſeminali, uel alia quauis materia, aut hac in eadem corrupta. Plures quidē rurſus relatæ ſunt: nonnullæ uerò in ipſo paroxyſmo uitā in mortem ſubitò cōmutarunt, citato primū arteriarum pulſu, mox inordinatim trepidante, poſtremò eodem in totum abolito. Tū exiguo per partes humore roreſcit cutis. reſpiratio primùm quidē obſcuratur; poſtea uerò exactè intercidit. Hic affectus hyeme atq; autumno frequēter ingruit puellis ſalacibus, ſterilibus, & potiſſimè ſi ui medicamētorum infœcundæ euaſerint, et aliter refrigeratis. In exacerbationibus igitur, extremas partes arctius uincire oportet, & tota crura corpusq; uniuerſum confricare, ut animo deſtitutæ ad ſe redeant: graueolētiaq; odoramenta narib. admoueātur: uerbi cauſa, ſcirpus lucernæ extinctus, caſtorium, pix liquida, cedria, uellera & linamenta combuſta. Quidam uerò matulam quoq; lotio ueteri ſiue oletulo fœtentem naribus obtulerūt. Et cucurbitulas inguinibus, & imo uentri cum plurima flammæ inanes, atq; cum ſcarificatione adglutinare proficit. Acceſſione autem longius protracta, etiam ea quæ diſcuſſis flatibus peditus agunt, utilia ſunt: cuiuſmodi ſunt colica aluo indita, puta, cyminū, nitrū cum melle, et ſtercus cum clyſtere ſubducere, ne torqueāt iniecta, congruit. Porrò naturalib. fragrantiſſima unguēta infuſa, detrahere uuluā naturæ aptitudine poſſūt: ueluti amaracinū, malabathrinū. Sinapi uerò partim quidē naribus obijciatur, partim uerò pedib. cataplaſmatis inſtar imponatur.

Jn Hs
stow

natur. Inclamabit autem et excitabit quispiam illas horrifico uociferatu, propriaq; auribus nomina intonabit: quæq; sternutationem proliciunt, adhibeantur, è castorio, struthio, & pipere. Vbi uerò acumen remiserit accessio, ad uomendum cogito, abstinentiā imperato, aut perexigua alimenta præbeto. Post septimum autē diem, hiera ex colocynthide purgandum: post tertium uerò diem cucurbitulæ lumbis adglutinentur, & ilijs. Deinde castorei potione utemur, quandoq; cum artemisiæ decocto, interdū cum aqua mulsa. In quibusdam enim hoc uel solum ad exactam morbi curationem abundè fuit. Insessus præterea, & pessi emolliendi potestate præditi, in hunc usum accersantur. Hæc quidem ad morbi impetū cōducunt. Cæterum ad uniuersi corporis instaurationē, à detractione sanguinis auspicatus, ad expurgationē cum hiera proficiscere. Deinde ex aloe confectam picrā porrigito pondo drach. cum ternis mulsæ cyathis, diebus continuis: uel per tēporis interualla drach. duæ, cum aquæ mulsæ cyathis sex. Dropacismis iam, & cucurbitulis, & sinapismis, & ex euphorbio acopis utendum. Ab his, exercitationib. indulgendum. Frictionib. item, & exclamationibus, postremò & naturalibus balneis utendum.

De procidentia uteri. Cap. 72.

PRocidit uulua rarius quidē, sed quàm plures ob causas: aut enim ex alto delapsa mulier, & in coxendices firmata, disruptis quæ uiscus id continent membranis, hoc morbo corripitur: aut secundis, quæ locellis adhærescunt, & eos secum detrabunt, uiolenter extractis, quemadmodum in difficili partu contingit: aut fœtu incōsideratè eliso, aut ex ictu, aut ob animi affectus, ut si filiorū interitus, aut hostium incursus nuncietur, aut ob nauigationem periculosam, aut aliquam id genus occasionem toto corpore soluto, uulua simul prolabitur: aut musculis membranisq; uterum sustinentibus languidis & resolutis, quod decedente ætate senescentibus frequenter accidit. Procidit autē orificio suo maximè. Nōnulli uerò uniuersum uterum
procidere

procidere affirmant, quòd sanè uidetur absurdum. Quo enim pacto reducta in suam sedem queat restaurari? Oportet itaq; in huiusmodi curatione, stercore prius per clysterē euacuato, et lotio excreto, quo undiq; ab anxietate libera sit uulua, laborantem supino corpore collocare, coxis accliuibus, & poplitibus reflexis, cū diuaricatis cruribus. Deinde hastulā laneam, forma & crassitudine pudendo muliebri conformē, tenui linteolo circumuoluito, & in succū acaciæ, aut hypocystidis uino dilutū demergito, subijcitoq; uuluæ, & absq; uiolētia omnem uteri partem delapsam sursum retorqueto, quoad uniuersus tumor intra sinū recipiatur. Pecten præterea extrinsecus spongia in posca expressa operiendus est. Decumbat autem mulier extensis et coaptatis insertim cruribus, ita quidem ut alterum alteri inequitet. Post hæc cucurbitulæ sunt adglutinādæ, cum flamma plurima, umbilico & utrisq; ilijs. Odoramenta naribus offerenda sunt perodora. Tertio die lana sinui imposita, mulier uini nigri & austeri insessu quadantenus tepefacto utatur, siue in decocto myrti, lentisci, & malicorij insideat. Post hæc, priore lana è pudendo sublata, altera eodē madefacta medicamento imponatur. Foris cataplasmata abdomini inijciantur, diaphœnicon scilicet ex farina hordei, aut lente, & malicorijs cū oxymelite, atq; hæc alternis diebus usq; ad exactam curationē rursus permutentur. Quòd si pars prolapsa diuturnitate temporis putruerit, amputetur, nullū prorsus discrimē ueriti. Totam etenim uuluam putrefactā quandoq; amputatam fuisse, & mulierem superuixisse tradunt.

De Muliebrium locorum præclusione. Cap. 73.

ACcidit angusta circa muliebrium locorum os præclusio, quam phimon appellāt, aut propter exhulcerationem quæ præcessit, aut obduratam illic inflāmationem. Succurrendum est igitur insessibus qui mollificant ex oleo & aqua, & fœnograeci decocto, cataplasmatisq; eiusdem facultatis: pessis item emolliendo efficacib. adhibitis. Quòd si inueterauerit malum,

suffimentis uaporibusq; aromatib. confectis utendum. Discutit etiam eiusmodi nexum pessulus ex oesypo, nitro, resina & terebinthina contextus, si nihil aliud quàm uuluæ orificij conniuentia subsit.

Sterilitatis præsidia. Cap. 74.

Sine itaq; discrimine utriusq; sexus, tam maris quàm fœminæ, corpus uniuersum in media et inculpata temperie conseruare congruit, & absq; laborũ, ciborũ, balnei, & reliquorum omniũ excessu. Præcipuũ enim est à sagina, ne obesiorẽ cõparet habitudinẽ, arcere: neq; enim habitiores progignendis liberis sunt idonei, eo quòd pudendis inter se optimè conuenire nequeant, tum quòd paucißimũ seminis emittant: neq; uehementer extenuati procreare liberos sufficiunt. Cõferunt in hac cõstitutione, cuncta quæ calfaciendi, paululumq; inflandi uim obtinent. Vinum calidæ naturæ cum modo sumptum. Et ex holeribus eruca, nasturtium syluestre quod, hominúmre, erysimon, & id genus. Ruta uerò & nepita prorsus sunt fugienda. Si autem prauorum humorum copia conceptus impediatur, eosdem expurgare, aut utili uictus ratione temperare expedit. Priuatim uerò mulieribus utile est, summã uuluæ curam habere, ac mẽsium purgationẽ mediocriter & sine impedimento fieri. Cum igitur pro foribus est purgatio, cura mediocritatis non tã esculentorũ quàm poculentorũ, quàm fieri potest, maxima habenda est: & quippiã eorũ quæ ad purgationem stimulant, sumendũ: cuius farinæ sunt cùm holera odorata, tum quæ acrimoniã præferũt, puta scandix, crithmon, fœniculum, apium, smyrniũ. Prauam uuluæ temperiem emendare cõuenit. Frigidiores igitur arguit mensiũ retentio, uictus gelidioris potentiæ, & craßi succi, et stupor circa pectinem, lumbos, & crura. Quæ uerò ad summum sunt perfrigeratæ, ne uenerem quidẽ appetũt: expedit igitur cùm alijs remedijs, tum fotibus quibuslibet, tum ijs quæ suffitibus constant, reuocare calorem. Neq; abominandum fuerit, castoreum potare,

& fra

& fragrantia semina, cyminum, anisum, pulegij comam & iuniperi baccas, unicuiq; pipere commixto. Vteri uerò fotus, partim uapores erunt, qui infernè per sedem in sinum pudēdi excipiuntur: partim calida aqua abluendo fiunt, in qua elixa sit saluia, artemisia, ruta, cyperum, pulegium, acorū, & quæ bonum emittunt odoris fluxum semina. Cataplasmate ex singulis pectinem illinemus. Conducit non minus Polyarchium epithema. Frictio porrò pectinis atque coxendicum nulli alij præsidiorum cedit. Vtitor etiam pessis è myrrha, ruta, galbano, & castorio, fomento genitalium locorum prius facto ex aqua mulsa, siue marina. Probatur ad hæc pessus qui appellationem Gone obtinuit. Calidiores locellos testantur corpus totum calidius, mensium paucitas, qui cum labore erumpunt, et exhulcerationes muliebrium naturalium. Succurritur itaq; mediocriter humectantibus, & perfrigerātibus: cuius generis sunt olera, lactucæ, maluæ, blitū, cucurbita, cucumis, pepon, atriplex, portulaca, atq; id genus esculenta alia. Vesicæ, imo uentri, lumbisq; refrigerantia adhibentur cataplasmata, succiq; illinuntur. Quòd si humiditate muliebrium locellorum infœcundæ non cōcipiant, in media re uenerea madore profunduntur, tenuioresq; & copiosiores defluunt menses. Victus ratio sic habentibus proficit aridior, pariter & labores, frictionesq; superiorum partium, simul et uomitus, cibariaq; sicca et mediocria. Ex re præterea usuq; fuerit, ipsam quoq; uuluam medicaminibus acerbis continere, è quorum numero habetur lentisci elixatio, & myrtorum, & rosarum, & rhus, præterea mali Punici floris, & foliorum rubi, atque gallæ. Vtero contrà aridiori, cōtrarijs occurritur auxilijs: lauacris inquam, & unguentis, cibisq; humectantibus, & holeraceo nutricatu: uino mediocri, haud admodum ueteri. Si propter craßiores humores fœcunditas frustretur, siquidem mordax humor infestet, mulierem probè purgare à quolibet humore, familiari medicamento, maximè tamen picra ex aloe:

deinde sero lactis eluere, uictusq; rationem exquisitiorem dispi cere cōuenit. Pituitosos aūt humores exercitijs, sudationibus, uomitionibusq;, siue per inferna euacuare expedit. Oportet insuper ex pharmacis epithymum, euphorbium, piper, semen dauci, semen petroselini, singula contusa pondo duûm drach. potui dare. Hoc per uentrem etiam pulcherrimè deducit, uuluāq; calfacit, quēadmodū sæpe iam mēses quoq; rupit his, quæ purgationē non sunt expertæ. Quando aūt remedia profecisse cōstat, mēstruis purgationibus rectè expeditis, cessante purgatione, in uenerem congredi consultū est. Quandoquidem autē spiritus similiter in utero conclusi, facultatem concipiendi prohibēt, notas ex his, quæ de uuluæ inflationibus prodita sunt, deprehēdes. Medendū uerò talibus primùm cibi abstinētia, mox cyminū, anethum, apij semen, rutæ, anisi, & aromata pleraq; offeruntur, partim quidem potanda, partim uerò apponenda. Conniuentes porrò mulierū uuluas aperire conuenit, fragantibus, iniectis lauaminibus ex malua, & semine lini fœnogræci, & oleo, interdum etiam melle. Vehementioribus item artemisia, cunilagine, nepita, pulegio, & anthemide: ad hæc resina quoq; terebinthina, nitro, cucumere syluestri, elaterio, cassia, & liquida pice. Quibus ostium hiat, his uictus, fotus, medicamenta aridiora, & constringentia, cytini malorū Punicorum, lentiscus, rubi radices, myrta, & quæcunq; in humidiore uulua expediunt, accommodātur. Peruersiones deniq; uuluarum, fomentationes corrigunt, & mollitoria si inferuntur. Coitus postremò qui à tergo exercetur, plurimū momenti ad partus conceptionem conferre uidetur.

De uuluæ rhagadibus, condylomatis, & hæmorrhoidibus. Cap. 75.

IN uteri ostiolo, rimæ (quas Græci rhagades uocant) quandoq; ex uiolento partu proueniūt: quæ primum quidē recētibus etiamdum ex puerperio doloribus delitescentes fallunt, postea uerò paulatim sensu percipiūtur, nūc attrectatu, nūc in

congressu

congressu uenereo, dum ex attritu polluuntur cruore. Agnoscuntur uerò sinu pudoris adaperto: scißiones enim, rimæq; in ostij corona speculantur. In quibus sanè chirurgi operam, & erodendi uirtute prædita medicamina respuentes, simplicioribus inseßionibus atq; peßis utemur. Cõfert etiã tetrapharmacum dissolutũ. Quòd si labris callosis fuerint rimæ, cõpositione ex charta, cum rosaceo utendũ. Si autem uehementiam eius laborans non sustineat, iridem Illyricam resina terebinthina exceptã imponito. Hulcusculis uerò cicatrice obductis, magno cum emolumento adhibetur medicamentũ ex cadmia, aut eorum aliquid, quæ sedis affectibus dedicata sunt: cuiusmodi est, quæ ex spuma argenti contexitur confectio. At ubi eiusmodi fissuræ uetustate in condylomata degenerarint, consimilibus discutiendæ, & ad cicatricem quamprimum reducendæ sunt. Hæmorrhoides præterea in muliebrium locorũ ostio siue ceruice nascuntur, quæ in partibus speculi artificio deprehenduntur, quia in exacerbationibus sanguinolentium, subrubrũq; tuberculum excrucians, euidenter apparet. In uitij uerò relaxationibus fluor dolore uacans, subliuidus, feculẽtus excernitur. In quibus igitur loci commoditate fieri potest, per morbi inducias, amputari mydio instrumento debent. Sin minus, medicamentis restringẽdæ sunt, nunc quidem aridis malicorijs, adiecta galla, aut quopiã eiusmodi adplicatis: nunc uerò his quæ in sanguinis uteri profluuio cõprehẽsa sunt, adhibitis: quæ etiam diarrhis, & sanguinis fluxũ patientibus congruunt. Hoc potißimum discrimine discernuntur, quòd uterus per interualla continenter cruorem emittit, non eo solum, quo menstruas expedit purgationes, tempore.

De difficultate pariendi. Cap. 76.

PAriẽdi difficultas, uel parturientis, uel fœtus, uel loculi, uel à foris euenientiũ uitio accidit: parientis quidẽ, si nimium crassa & præpinguis, aut uulua tota iusto arctior sit, aut dolorum imperita, aut pauida, aut inflammationẽ circa uterum,

aut alijs partibus experta, aut quocunq; alio morbo affecta, aut suapte natura imbecillior, minus ad fœtũ propellendum firma, aut quia parturitionẽ intẽpestiuè accelerauerit. Fœtus aut ẽuitio, si inusitatæ magnitudinis, aut paruitatis, et modicæ grauitatis, aut amplißimi sit capitis, aut mõstrũ (uerbi causa, biceps: aut mortuus) aut uiuens quidẽ, sed imbecillis, neq; potens in lucem progredi: aut si numerosi fœtus, quinos nanq; simul editos asserit Herophylus: aut si naturæ contrariam habuerit in utero figurã. Naturalis etenim nascentis figura est: Prima quidẽ, in caput uergi, manibusq; in femora protensis, procliui directè ad orificiũ capite. Proxima uerò, si fœtus rectà in pedes conuersus est. His exceptis, reliquæ omnes parturiendi formæ præter naturã sunt. Vitio autem loculi, partus redditur difficilis: si propter craßitiem non auellatur: uel si antequam conueniat, præ nimia tenuitate abrũpatur. euacuato nanq; humore, fœtus propter ariditatem ægerrimè delabitur. Ex his quæ foris occursant, ægra fit parturitio, uel frigore, quod uterũ cõdensauit: uel calore immodico, qui uires deiecit: aut alio quopiã euẽtu fortuito incursante. Si igitur astrictio, quasiq; obturatio difficultatis pariẽdi author sit, laxatione primitus succurrito, infundendo largiter oleũ dulce, et calidũ, et decoctũ fœnogræci, aut maluæ, aut seminis lini, aut etiam oua, doloris mitigandi gratia. Deinde pubem cum imo uẽtre et lumbis, cataplasmate illinito ex semine lini, aut aqua mulsa, aut hydrelæo, insesßibusq; similib. A balneis remedia quæ relaxent, cõmendantur, nisi febris, aut alia quæpiã prohibeat occasio. Mouetoq; parientẽ lectica, in aere temperatè calido. Nonnulli uerò cõquassationes ualidas, sternutamẽtaq; adhibuerunt. Meticulosam adhortamur, in expertã doloris, docebimus, ut ualidißimè spiritum contineat, et ualidiore nisu conceptum ad os uteri protrudat. Quæ animi deliquium pati cœperit, ijs quæ stuporem arcent odoramentis recreanda est. Reuocatã mediocriter, modico cibo reficimus. Præpinguem

ad

ad lectulum supinam collocabimus, contractis ad femora genubus, quò uulua pubē uersus tendens, ostiolo directè opponatur, quòd cerotarijs & inunctionibus delinire digitis cōuenit, ac leniter aperire. Si quis præterea morbus has partes infestauerit, etiam huic prospiciendum. Alui excrementum detentum, molli clystere extrahendum. Secundas autem clausas, digitis aut ferramento quod polycopon uocatur, in ipsis digitis occultato, diuidere oportet, læua manu prætentante, & pinguem aliquem humorem in uuluæ loculamentum per clysterem immittimus. At si præter naturam iufans figuratus sit, ad naturalem figuram redigendus est nunc quidem impellendo, nunc uerò adducendo, nunc flectēdo, nunc uerò dirigendo. et si quidem manum prætēdit, aut pedem, membro apprehensus extrahendus non est, magis nanq; affirmatur, aut luxatur, aut membratim etiā dilaniatur: sed digitis humero aut coxendici conceptus affixis, prominens eius particula denuò in locum conuenientem reuocanda est. Si toto fœtu in sese conglobato perperàm figuretur, sursum prius ipsum ab uteri orificio sublimem euomere: deinde prehensum denuò, ad os ipsum dirigere consilium est. Quòd si plures uno fœtus deferantur, iterum à superna infernaq; parte reducito: uerùm ut omnia leniter, & absq; membrorum offensa tractentur, locis oleo perfusis. Tempus in sellam collocandi parturientem est, cum uuluæ ostium apertum digito subcidit, & quod præruptum est, prolabitur. At si quòd mortuus sit infans, aut aliā ob causam progredi moratur, extrahi necesse est.

De coxendicis affectibus. Cap. 77.

ISchias, hoc est, coxendicum afflictio, de genere omnino morbi articularis existit, nisi quòd causa ipsius coxæ inhæret: Quæ est crassus & pituitosus humor, qui in coxēdicis cōpage et articulo cōcretus innititur. Dolor uerò à natium gibbo pubeq; ad genua usq;, plerisq; autem ad extremum usq; pedis calcaneum peruenit. Quum igitur circa prima morbi rudi-

menta in languentem incidimus, facta alui scyballorum per clysterem euacuatione, ex uena cubiti sanguis detrahēdus est: si dolor inueterauerit, à malleolo affecti cruris detractio moliatur. Per morbi quidē insultus, istac irrigatione utemur: Cyprini cyathi octo, aceti quatuor, nitri duo, seminis roris marini unus, lanis succidis calida imponuntur. Post id cataplasmata applicentur ex amarorū lupinorū farina, cum oxymelite, farina'ue lolleacea, cum resina, et cucumeris erratici radice, & nitro, & nepeta, & semine roris marini, & baccis lauri. Cæterum nepita per se magna cum utilitate cataplasmatis modo cum oxymelite, aut mulsa imponitur. Emplastro præterea mitigatorio utendū, in quo ceræ drach. centum, terebinthinæ uigintiquinq;, eruginis sex, myrrhæ. galbani, ireos, singulorum drach. sex, cedriæ quinq;. Cæterū potionandi prius sunt ipsi succo Cyrenaico erui quantitate, aut castorij drachma, cum opopanacis triobolo. Porrò capparis radicis cortex potus, & cataplasmatis immixtus confert Quòd si dolor intensus urgeat, tum anodyna medicamenta locū habent: uerbi causa, confectio Philonis, & quæ è duobus piperū generibus contexitur. Clystere uerò utimur illo: Mellis cyathus unus & dimidius, olei sesquicyathus, aquæ cyathij bini, nitri denarij octo, terebinthinæ drach. quatuor. His calidis aluo immißis, circulum ani fouere expedit: ut per morulā longiorē contineantur. mucosum humorē euacuat, nonnunquā etiam sanguinē, cum plurimum præsidij cōfert. Si his actis malū non cesserit, quod rarenter usuuenit, tum denuò frequentius id ipsum usurpandum, aquæ loco cētaurij decocto admixto. Sanguinē uerò cit capsellæ herbæ semen infernè inditū: liquor item cucumeris erratici, et medicamentū quod ex ipso cōficitur, uel oleum quod è radicibus eius contextum est sycionium: & salsorum piscium muria, & oliuarum colymbadum per anum utiliter infunditur. Cucurbitulæ insuper sunt cum plurima flamma & scarificatu coxendici adglutinandæ: interdum etiam hirudines,

dines. Morante autem diutius hac ægritudine, aggrediunda est purgatio ex hiera, aut colocynthide, exhibendo medullam propè læuigatã & maceratã pondo drachmæ unius, in mulsi cyathis duobus, siue non multo plus minus'ue, pro uiribus languẽtis, aluiq; facilitate. In aqua uerò mulsa ruta elixetur. Puls item colocynthidos sic affectos probè expurgat. Vomitus insuper cũ radiculis elicitus, intra initia quibusdã auxilio fuit. Morbo remittente, dropaces inungendi sunt. Vtendum quoq; acopo ex euphorbio, præcipuè eo quod pœcilum, hoc est, uarium appellatur. Lauacra quoq; naturalia accõmodata sunt: si hæc ad manum non sint, in aliis lauare balneis, & memoratis indoloriis uti debent. Mixturisq; nitris, Asclepio, compositione ex euphorbio, adarce, nigro ueratro, castorio, pyrethro, pipere, et staphide syluestri, æquis portionibus. Post balneum picis aridæ unciæ tres, sulphuris uiui duæ, calidæ adhuc cuti inspergantur, & cooperiantur charta. Si hæc nihil profuerint, reliquiis morbi restãtibus præstat sinapi cum caricis, aut per se cataplasmatis more imponere. Persanat autẽ ipsos exactissimè iberidis herbæ usus, quam & lepidiũ, nonnulli uerò agriocardamum appellant. Nostras uerò, fruticosa est, folia lauri cõparia, & longè maiora possidens: quæ multa experimenta sæpius nõ modò in coxẽdicis ægritudinibus, sed in aliis etiã diuturnis affectibus dedit. Cæterũ efficaciora multò sunt æstatis tempore. Quòd si tum nulla detur foliorũ copia, radicis corticẽ cum adipe suillo cõtusum, emplastri modo linteolo denso impactũ, locis maximè dolẽtib. imponito, puta gibbæ, natium regioni, & femoribus, atq; tantisper dum nigrorẽ induat, aut omnino liuescat cutis, sinito: deinde ipsum demito, lotoq; laborãti cerotarium illud impingito: Opopanacis unciæ quatuor, aceti cyathis duobus diluuntur, & ceroto cyprino excipiuntur. Verùm si tam ardentium usum respuunt, instaurantibus emplastris utendum: cuius notæ fuerit, Ceræ, resinæ picæ, singulorum drach. duodecim. terebinthinæ, syluestrium

columbarum fimi feculæ uini recentis crematæ, uniuscuiusq; drach sex. galbani unam & dimidiam. Sed & ea quæ Leæna appellationẽ habet, è numero reficientium iudicatur. Conferunt item quæ ex lixiuio quod destillauerit, & nitro contexuntur. Potionibus nonnulli continuatis per annum usi sunt, è quibus est medicamentum diatessaron, trixaginis libra, gentianæ unciæ nouem, aristolochiæ rotūdæ tantundem, seminis rutæ aridi sextarius. hæc trita & cribrata singulis diebus cochliarij quantitate exhibēda sunt ieiuno, et ei qui probè confecerit cum aquæ gelidæ cyathis duobus, per annū, quoad morbus discutiatur: necnon diahepta, quod est è septē compositum, & quod Procli cognomentū habet, eadē pollicentur. Iam exercitationes quæ inambulando, cōtinuis flexionibus, saltibus, & cursu perficiuntur. Alimentum sit mediocriter attenuans, & quod concoctioni minimè resistat. Quòd si nulli prædictorum cesserit morbus, in suppurationē transit, quandoq; laxatis neruis ligantibus uertebra luxatur. Prorogante se igitur longius ægritudine, iunctura tribus aut quatuor locis exurenda est, quemadmodum in opere chirurgico memorabitur: ad compluresq; dies hulcera aperta, ne cicatricem obducant, seruanda sunt.

De Podagra & Arthritide. Cap. 78.

POdagricus & articularis cruciatus, non solum ex imbecillitate particularū corporis proficiscitur, quoniam accessiones indesinenter adfligerent, quatenus & infirmitas continuè imbecillibus articulis adest. Neq; etiā ex humore solùm, quoniam nō in articulis modò insidet affectio, sed utraq; et humor præter naturā, & particularū debilitas, morbū articularem suscitant. Cum enim membrorū nutrix facultas debilior ob ciborum affluentiā defatigatur, cruditates continuè obueniunt. Sæuiēs igitur humor superabundās quācunq; articuli iuncturam prius debilitatā occupat, colligantesq; neruos distendens dolorem excitat. Neq; enim principales nerui, quibus arbitra-

rius

rius cietur motus, primaria affectione inflãmantur, quoniam in medijs articulorũ internodijs inflammationem oriri oporteret: uerbi causa, cruribus, aut femoribus, aut genu, aut cubito, aut humero. Sed per consensum tamen, quem cum articulis ineunt, ijdẽ nerui afficiuntur. Quàm diu igitur pedũ articulamenta humor infestarit, duntaxat, podagra morbus nuncupatur. Cum autẽ in reliquos corporis articulos causa penetrauerit, iam tum articularis morbus appellari cõsueuit: quo nomine uertebræ, humeri, maxillæ, atq; uniuersi deinceps articuli languore impliciti cõprehendũtur. Nõnullis aures quoq;, & dentes, & guttur, & interdũ etiam iecur, & lien, articularijs doloribus oblanguent. Quibus nisi protinus malũ in articulos eructet, laborantibus periculum imminet. Exuperans uerò humor, nunc quidẽ biliosus, nunc uerò sanguineus, quandoq; melancholicus, magna uerò ex parte pituitosus ac crudus est, ex alimentorũ redundãte copia, et cruditatibus et ocio cõflatus. In articulis nãq; si lõgiore tẽpore inueterauerit, inspissatur, et glutinescit, ita ut lapidosas articulorum duritíes, quas tophos Romani, poros Græci nuncupãt, efficiat. Nonnunquã uerò diuersi commiscẽtur humores. Proinde cognitu curatuq; difficilius est uitiũ, & tantũ nõ immedicabile malũ. Authores huius mali plerunq; sunt, labor immẽsus, inambulatio uehementior, iugis equitatio, et intẽpestiuus rei ueneræ usus, insolita gelidæ potatio, et frigidorũ, aut pluriũ, aut prauorũ esculentorũ esus, & uini largioris usus. Quin et ex prolapsu quidã, aut propulsationibus, aut luxationibus, aut id genus, primã morbi tentationem auspicati sunt: antecedẽte interim in corpore materia, quæ antea quiescebat, sed quam euidẽs causa mouet. Mæstitia autẽ, solicitudines, uigiliæ, & reliquæ animæ affectiones, non solum prauum humorem concitant, sed etiam siue primariè, siue per accidens pariunt. Variæ itaq; sunt afflictionis huius, ceu dictũ est, causæ: humorũ tamẽ negociũ facientiũ differentiæ, haud difficulter locis quibus impacti sunt, perspicuæ red-

duntur.

duntur, tum coloribus, tum cæteris accidẽtibus proditæ. Biliosus nanq; fluxus colore sublurido et rufo deprehẽditur. Idem caloris insuper sensum ingerit, cruciatumq; acerbiorẽ efficit, & protinus ad supremã cutem, citra amplum tumorem erumpit, calidarũ rerum impositu magis exacerbatur, quemadmodum ediuerso frigorificis placatur: quod quidem cæteris ferè omnibus magna ex parte, peculiariter uerò alijs biliosis euenit. Febris item sæpenumero in acceßionũ summis uigoribus accedit, ualdeq; sitibundi redduntur. Consimili modo et in melancholicis, atrioris coloris corpus deprehendas: sicuti in pituitosis, album & aquosum corpus cernitur, unde minus cruciantur, & serius tumẽt particulæ. Perinde atq; si sanguineus humor in corpore abundat, cruentum colorem membra præferunt. Sed ad exactiorem indicationem iuuabit te superior uictus ratio, & cætera.

Curatio eorum qui ad biliosum humorem fluxum referunt.

Caput curationis eorum qui flaua bile conflictantur, magisq; ipsius qualitate, euacuatione infestantis humoris, per medicamenta purgandi uim habentia tentabitur: cuius est modi potißimum quod ex rhodomelite contexitur, & quod è malis cotoneis constat, & quæ ex hiera picra conficitur antidotus, & ex aloe præparata catapotia. In acceßionibus uerò foris rosaceo cum oui luteo, modicoq; uino utemur, leniter particulam infricando, demulcentes: herbas quoq; frigorificas admouebimus: uerbi causa, solanũ, portulacã, herbã apollinarem, semperuiuum, lenticulã lacustrẽ, serin, papauer, seminalem, rosarum folia, atq; consimilia. Quæ nunc quidẽ seorsim, nunc uerò cum micis posca irrigatis illinũtur, farináue hordeacea cum rosaceo cataplasmatis modo imponuntur. Cum autẽ erysipelatis naturã sortita fuerit artuum inflamatio, solatur eximiè impositus cucurbitæ recentis cortex, peponis & cucumeris caro, cùm per se, tum adiecto pane: perdicij item folia, & hederæ cum pane, aut hordeaceæ farinæ polline: psyllium

quoq; cum polenta elixum, feruores flagrantium inflammationum mirificè lenit. Rosaceum itidem cerotum cum aliquo liquore frigorifico illitũ, & ex lomẽto medicamentum. Constat autem ex his: Ceræ uncijs quinq;, chamæmelini duabus et dimidia, rosacei utriusq; uncijs duabus & dimidia, lomenti fabacei semuncia, ouorum luteis quinq;. Aliud cataplasma: Maluas uirides coctas contere, & psylliũ separatim in lentorem redactũ admisce: deinde ouorum luteis adiectis, oleoq; chamæmelino, cataplasmatis instar impone. In multo ac intolerabili cruciatu medicamine è croco et glaucio, et opio utendum, posca dilutis & circumlitis, aut cum mica panis cataplasmatis more impactis. Sed hæc Galenus cõmendat: Succi papaueris drach. quatuor, croci unã, cum lacte bubulo siue caprino, uel panis medullam inijce, & subactam rosaceo assume, cataplasmateq; utitor, uel opium, & crocũ cum lacte trita, ceroto rosaceo excipe. Cerotũ uerò ex turpena eandem uim in paroxysmis obtinet, atq; oleum ex eadẽ expressum. Eiusdem generis est: Panis mica aqua uel posca macerata, semperuiuæ, uel strichni, uel portulacæ, & palmularũ carnibus, et papaueris semine, æquis portionibus, cum ouorũ assatorum luteis, & rosaceo quantũ satis est, cataplasmate imponitur. Cæterum quæ membris torporẽ inducunt, minimè probantur: præterquam ad cruciatus uehementiã leniendam: plurimus quippe narcoticorum usus, meatus obstruit, tophaceas durities, & diuturnas motionis difficultates procreat. Post anodynorũ itaq; usum, uel cõfectione ex succis herbarũ facta cum chamæmelino temperata utendum, aut ea quæ constituitur ex althæa, aut aliquo eiusmodi medicamento. Vbi uerò pars affecta refrigerata, calfacientibus instaurata fuerit, robur membro, palmulato, διὰ τῶν φοινικίνων nominãt, aceto rosaceo, aut uino rosaceo soluto inducemus. Quæ si detrectent emplastra, acaciæ succũ è posca, aut lyciũ cum croco, & glaucio, et succo perdicij cũ posca illinito. Victus insuper frigorificus et humectãs expedit: uci bi

causa,

causa, ptisana, è chondroq́; sorbitiones: & ex holeribus, malua, lactuca, intybus: ex auibus uerò domesticis, maximè pulli: & ex piscibus saxatiles, echinus, pectines, atq; id genus. Deuitanda sunt omnia quæ calfaciũt, bilemq́; pallidã atq; flauam pariũt: uina itẽ uetera, uermicola, nigra, satietasq́;. Lauacris uerò ex potabilib. aquis utendũ, et circa ipsos noxij humoris fluxus, quatenus causam exhibent: & cũ absunt, si nihil prohibeat. Arceri etiam debet excandescentia, inedia, acrium esus, ebrietas, labores immensi, & ueneris usus.

Curatio, sanguineo humore artus tentante.

In quibus uerò sanguineus humor abundat, in his sanguinis detractione confidenter utendũ est: enimuero id etiam in pituitosioribus, aut ualde melancholicis: quoniã in eorum uenis humor plurima ex parte quantitate magis quàm qualitate infestans cõtinetur. Tentãda est itaq; in prima statim ægritudinis aggreßione, sanguinis detractio: quoniã qui sæpius huiusmodi defluxionibus cõflictati sunt, sanguinis euacuatione læduntur magis, quàm adiuuẽtur, præcipuè quibus natura frigidius imbecilliusq́; corpus est. Post sanguinis uerò mißionẽ, alijs etiam humoribus redundantibus, pauculo temporis spacio, etiam ex hiera purgatione utemur. Verùm oxymel Iuliani hos etiam appositè purgat. Qui autẽ eiusmodi purgatoria medicamenta abhorrent, catapotijs utantur quæ recipiunt aloes, colocynthidos, ueratri nigri, scammoniæ, singulorũ unciam, euphorbij, nitri, utrobiq; semunciam, succo braßicæ excipito, & pro uirium ratione porrigito. Præstabit autẽ, si cũ malorũ cotoneorum succo in globulos digerãtur. Aliæ pilulæ in acceßionib. & in remißionibus, cuiuscunq; humoris causa podagricis exhibendæ: aloes unciæ sex, agarici dimidia, croci tantundem, costi, spicæ nardi, rotundi iunci odorati floris, carpobalsami, singulorum uncia, caßiæ duæ, scammoniæ tantundem, epithymi unciæ treis & semis. Dosis mediocris, dioboli duo: consummata, dioboli quatuor. Catapotia similiter ex lapide Armeniaco

niaco mirificè purgant, & priuatim articularijs cruciatibus expediunt, tum in fluxionum initio tum in incremēto, tum inclināte morbo exhibita. Sed cum non desint, qui scammoniam ceu stomacho officientē damnent, ministranda illis, præcipuè pituitosa materia redundāte, hæc sunt: Colocynthidis interioris, hellebori nigri, bdellij, gummi, aloes, singulorum uncia, nitri Alexādrini, euphorbij, uniuscuiusq; uncia dimidia. Modus est instar diobolorum quatuor. Ego gummi loco epithymum posuerim. Quidā inter ipsas accessiones cuiusuis cruciatus articularis, hermodactylo ad alui subductionē utuntur. Cæterùm attētione opus est, stomacho nanq; hermodactylus officit: nam anxietatem inappetentiamq; inuehit. In solis igitur his qui negocijs ineuitabilibus obstricti sunt, eo utendum: breui quippe, & cum plurimum post biduum omnis inde fluxio cohibetur, ita ut consueta obire possint munia. Noui ipse quempiam, qui substantiam hermodactyli nunquam præbuit, neq; quippiam ex eadem compositorum medicaminum: sed herbæ ipsius decoctum, cum aliquo solenni medicamine, cuiusmodi est anisi, aut apij decoctum, potui dabat, & suspiciendo quodammodo uentre concitato, humoris impetū compescebat. Sed quoniam stomachum, ceu dictū est, lędit, his postea quæ stomacho conducunt, & robur inducunt, cum mediocri calfactione os uentris corrigere conuenit. Sed ex coronopodio medicamentum præstare Alexander asseruit, eo quòd ex hermodactylo conficitur: quod nō secus aluum subducat, dolores omnes discutiat, minimeq; stomachum offendat. Localia pituitosis imponantur: modico quidem dolore infestante, braßica uiridis cataplasmatis modo adglutinata, apium, conyza, uerbenaca erectior conferunt. In uehementi autem dolore, farinæ fœnogræci partes tres, lolliacei pollinis, farinæ cicerum, utriusq; partem unam ex mulsa, aut uino tenui, cum exiguo cyprino, aut nardino, præsertim hyeme imposito. Et braßicæ radicis & caulium combustorum cinis, cum axungia cataplasmate

impacta,

impacta, multis opem præstitit. Verùm ad dolorem mitigandum, recentem esse oportet axungiã: ad disijciendum uerò, ueterem & salsam. Et stercus bubulũ cum farina hordeacea in mulsa decoctũ, aut per se recens humidum, cum folijs braßicæ cataplasmatis more illitum iuuat. Itidem præstant pilulæ caprinæ priuatim, uel cum farina hordeacea in posca elixæ. Quoniam uerò quidã etiam per ea quæ contraria esse uidentur, adiuti sunt, (nam diuersorũ humorum miscella dignotionem præcedat requiritur;) iam harũ materia promiscuè exponẽda est. Cõducit itaq; atriplex, tam syluestris, quàm satiua, cũ pane cataplasmate facto imposita. Aut uerbasci folia, cum bulbis & pane læuigata: uel cũ polenta, uel è pulte hordeacea cataplasma. In uniuersum, ubi abdita morbi causa est, uarijs quoq; remedijs pugnandũ est, nunc quidem cõsimilibus, nunc uerò planè contrarijs, neq; ijsdem tamen diutius insistendum, si nullo sunt præsidio. Hæc quippe in arte medica obeunda, quotidie cõtinere cernimus idem remediũ, articulũ unum quidem iuuare, alteri uerò in eodẽ ægrotante inflammato, non modò non auxilium eodẽ die præstare, uerùm quandoq; etiã non sine magna demiratione offendere. Vnus enim et idẽ sæpenumero articulus ab eodẽ remedio nũc quidẽ iuuatur, paulo uerò pòst ab eodẽ inflammationẽ cõcipit. Nunquam igitur cum uiscida & crassa materia præcellit, calidiora adferũt præsidia: acri autem ac feruentiore humoris qualitate superante, refrigerantibus placantur dolores. Nihil uerò mirum, si frigidior materies inflammationis tẽpore accẽditur, æstuq; ferueat, ut bilis, si ita contingat, admixtionẽ prætercam. Tophos porrò in articulis coalescere, lupinorũ farina cum oxymelite, aut posca, uel laserpitio, aut bryoniæ radix cum pane prohibent. Et hoc sine offensione dolorẽ mitigat, et modicè dißipat. Lycij unciã, guttæ ammoniacæ thymiamatis tantundẽ, trita cum uetustißimo uino, & oleo omphacino elixato, lomento quod satis est, adiecto, cocta mediocriter cataplasmatis instar adglutinato.

Post summum uerò uigorem, tumore relicto, bulbos per se, uel cum farinæ tenuißimo flosculo, usq; ad laniationē illinito, sic enim efficaciā exerunt. Quòd si dolores cataplasmatis nihil leniūtur, irrigationibus membrorū, calidisq; affusionibus ex alto opus est, præsertim si partes tumētes fuerint extremæ. Ex chamæmelorum, & sertulæ campanæ, aut centaurij decocto: nonnullis uerò solum capparis decoctū satis auxilij tulit. Id uerò omnium efficacius fuerit: Thymum in aceto acerrimo, & origanum, & satureiam, & nepitā decoquito, eodemq; aceto locos affectos foueto: non semel modò, uerùm sæpius in die fidenter: cōpluribus, nanq; hoc profuit, non pituitoso solùm humore languētibus, sed quibus flaua etiā bilis fuit infesta. Sunt qui quod infrà scribitur, obseruauere: Ilicis glandes læuigatæ contunduntur, & quàm plurimū decoquuntur, quo decocto ab initio statim articularis fluxus, extimi quidē artus ad bene longum tempus asperguntur: sed interiores particulæ spongijs liquore tinctis fouentur: hoc enim modo impetū materiæ reprimunt. Idem his qui è bile hoc malo laborant, accommodatum est: quemadmodum & aquæ calidæ sine elixatione perfusio. Aduersus porrò eos qui ex intēsißimo frigore oriuntur dolores, & constrictiones articulorū, ualidißimum est remedium, quod habet olei ueteris sesquilibrā, nitri Alexandrini libram, resinæ terebinthinæ librā, euphorbijunciā, iridis sextantem, fœnogræci farinæ sextarium unum & dimidiū. His etiam ea quæ in coxarū morbis recensuimus, pulchrè conferunt: plurimi nanq; in sic perfrigeratis, in remißionibus morbi etiam sinapi, cum caricis, & alijs phœnigmis usi sunt, aliqui etiā composito ex cantharidibus medicamēto: sed hæc in posterum noxam inferūt, nisi aliquo etiā ex mollificātibus utantur: qualis est compositio ex lanaria, diastrutheon uocant, atq; pyxide, et basilio, & medicamine ex abiete, item ex populo nigra, & bromio, & lysiponio, atq; acopis adhuc uehemētioribus. Quorum autē articuli nerueo potißimè consortio affliguntur, succiq;

cióq; impacti ipsis constringũtur, ijs ex muli lotio fotus, in summis præcipuè morbi incremẽtis, gelidioribusq; defluxib. confert. Pari etiam modo is qui è duobus ueratri generibus constituitur pastillus, turgidis laxisq; tumoribus congruit: fomentatio itẽ ex frictis salibus, aut aquæ aliàs marinæ calfactæ cum spongijs conspersio, & ex salibus emplastra: & quæ ex stillatitio lixiuio, nitroq;, & his non dißimilia cataplasma post morbi uigorem opitulantur. Victus ratio aridior ita habentibus conuenit, et ab excrementis superfluis aliena, atq; inedia, aut cibi frugalitas: quotidianus balneorũ usus uitãdus est. Post lauacrum uerò ex nitro, alijsq; absterſionibus utantur. In dolorum relaxationibus exercitia, ac frictiones præsertim artuum magna cum utilitate adhibẽtur. Balineis naturalibus, necnon sabulosis etiam fomentis uti alienũ non est. Probantur & uomitiones ex raphanis, cibarijsq; elicita. Qui suapte natura huc sunt procliuiores, etiam cum ueratro, eoq; candido euacuabuntur, si per uomitum, uel per aluum etiam inferiorem expurgentur.

De his quorum sanguinei humoris fluxus artus infestat.

Qui sanguinei humoris influxui articulariũ dolorem acceptum referũt, postquam sanguis in principio morbi detractus est, prædicta subsidia foris inijciãtur. Biliosior quidẽ si fuerit, et acrior, naturæ modum excedens sanguis, ea quorum in bile propriè meminimus, adhibeantur. Si frigidior, pituitosiorq;, aut melancholicus redundat, his quorum postea mentionem fecimus, exceptis nimium acribus, occurrendũ. Si malum inueterauit, ijsdẽ etiã ipsis locus erit. Verùm illud etiã cataplasma intra principia statim expedit: malicoriũ, rhus coriariũ, atq; farina in uino eliquata, cataplasmatis modo inducuntur. Aliud: Folia braßicæ cocta, & exquisitißimè læuigata, fece aceti iniecta, & ouorum crudorum bina lutea: & rosacei parum, cõtritaq; simul identidem cum aßidua permutatione imponuntur.

ponuntur. Alimenta quæ extenuant, parumq; nutriunt, assumenda sunt. A carnibus itaq; et leguminibus, uinoq; multo ac nigro abstineatur. At si fieri queat, uini potus ex toto deuitandus. Non paucos equidem noui, qui ab hoc solo in totum abstinentes, omnes morbo leuati sunt. aly nanq; in morbi confestim exordio prorsus conualuerunt: aly uerò in posterum rarius, et minus grauibus accessionũ doloribus uexati sunt. Quocirca si non cõtrariũ hinc eueniat, nihilq; mali inde speretur, per uniuersum deinceps uitæ curriculũ, uinum nunquam admittant. Quicunq; uerò propter imbecillitatem aut frigiditatem succumbere uidentur, per biennium saltem uitam degant abstemiam: mox ad consuetudinẽ paulatim reuersi, modicum atq; aquosum perpetuò bibãt. Oportet abstemios in locũ uini decoctum anisi, uel alicuius id genus seminis potare: à fugacibus pomis, & reliquis refrigerantibus, uenerisq; usu pro uirili abstinentes. Atqui sumptis anni spacio pharmacis, languentes prorsus à morbo uindicare conati sunt, plures quidem pituitosioris & excrementitiæ naturæ iuuerunt: calidioribus uerò & aridioribus repentinæ mortis autores extitere, ad aliquod interaneum, puta renes, costas, aut pulmonem, aut principem aliquam partem, translata materia. Satius igitur fuerit biliosioribus, plurimoq; sanguine præditis, uini usum ex toto uitare, quum nemo ex hoc memoratis inciderit periculis. In frigidioribus autem, & excrementis redundantibus, theriaca è uiperis utere: crebrius quidem, si concocta fuerit materia, & præsertim hyeme: rarius uerò æstiuo tempore. aut enim inde ægritudo discedit, aut saltem lenior redditur absq; prædictorum membrorum oblæsione. Verùm quoniã nos cõmemoratis aliqui uti cogũt antidotis, genere nõ dissimilibus: scito id quod Damasoniũ, et Agapetium nũcupatur, et atacton, et octaidon, & quod ad Proclũ autorẽ refertur, quod ex scordio, itẽ ex corallio præparatur, atq; cõplura deniq; alia proficere. Omniũ tamen tutissimũ est, et sæpius experiẽtia comprobatũ, quod ex

corallio constituitur, & lapidosas etiam articulorum durities in tophum confirmatas dissoluit. Horũ uerò omnium facultates, & utendi rationẽ, mali item huius euitandi consiliũ, in uolumine de Medicamẽtis inscripto reperies: pari etiã modo medicaminum quæ psilothra uocant, aduersus articulares cruciatus, compositiones, & usus modũ in eodem habitu, pituitosiore inquam. Alij uerò, qui à toto morbo liberari cõtendũt, uulpes totas in oleo discoquunt, quo articulari morbo medentur: alij quidem uiuas, alij mortuas capacissimo lebeti coquendas inijciunt. Simili modo & henas elixant, oleum distrahẽtis potentiæ conficientes, deinde solia eodem implent, in quæ articulari morbo conflictati postquam descenderunt, immorari ibidẽ diutius, artusq́; perfricare præcipiũt: sequitur inde, ut non articulorũ tumores modò, uerùm uniuersum etiã corpus euacuetur.

De tophis.

Quoniam inter articulos sæpenumerò tophi, interdũ quidem ex crasso & terrestri inhærẽte humore, interdũ uerò ex medicaminum usu, quæ distrahẽdi & arefaciendi impensius, nulla autẽ molliendi facultate prædita, conflantur. Sciendum idoneora esse medicamẽta, quæ emolliendi pariter et disijciendi uirtutẽ obtinẽt. Molliunt itaq; adipes uetusti, medullæ, gutta ammoniaca, bdelliũ, oleum perquàm uetustum, & styrax. Discutiunt autẽ et arefaciunt, nitrũ, sal, lixiuium stillatitium, adarce, euphorbiũ, & id genus. Cæterum ad tophos in articulis priuatim facit caseus antiquissimus , & acerrimus, cum carnis suillæ pinguis et ueteris decocto tritus et impositus. sua nanq; sponte, topho dehiscẽte, quotidie fit euacuatio. Probatur uerò ex compositis medicamentũ ex perna, experimento comprobatũ, quod bifariã concinnatur. Et quæ ex stillatitio lixiuio diximus, & id peculiariter, quod habet spumæ nitri, terebinthinæ, lixiuij quod primùm destillauerit, propolis singulorum trientem, ceræ dodrãtem, colophoniæ libram, olei uncias sedecim, quibus mixtis tum in tophis, tum in abscessibus utitor

Atqui-

Atqui illud è cinnabari admirandum quidem aduersus topha ceos tumores, aliaq; plurima remediū præstat, sed inuētu ade modum difficile medicamentum est. Quippe quod è leptocary is construitur, præter quòd efficax habetur, etiam parabile est: neq; robustioribus tantùm, sed subtilibus etiā corporibus accommodatum si sumat quis confectionis ex melle, aut ex oreci tunica partes duas, ad illius medicaminis unam. Vbi uerò hæc in prōptu non fuerint, d apsimythiū quoq; nō rarò æquali pondere ipsi confunditur. Aliud ad tophos: Sandaracham resinam læuigatam uisco quercino excipito, atq; poris discutiendis illinito. Aliud quod ad fistulas & ægilopas confert: Olei sextarium, spumæ argenti uncias octo cum dimidia, auripigmenti unciam: Spumā argenti atq; oleum, donec manus non inquinet decoquito, deinde auripigmēti farinam inspergito: et priusquam ustionem senserit, ab igne tollito, ac utitor. Epithemata porrò ex flore Asij lapidis, in morbi remißionib. imposita, ad omnes quæ singulis articulis incūbūt, collectiones ac nodos conueniunt, uniuersaq; ægritudine ueterum quorundam testimonio liberant. Creditur item medicamentum ex flore salis contextum, in morbi relaxationibus, compari modo applicatum, reliquias tumoris dißipare.

De euitanda podagra.

Vbi iam podagra, uel morbus etiā articularis constiterit, difficillimè citra commemoratam methodum eliditur. At non dum oborta uerò seipsum tueri et asserere, facilius, si quis cibos circuncidat & ijs quæ in corpus facilè distribuuntur, superfluitatibusq; uacant, mediocriq; uino utatur, & exercitationibus quantum satis est, indulgeat. Sal in oleo contritum, et articulis cum frictione impactum, cunctos qui podagricum morbum euitare student, magnificè adiuuat, nisi aridam nimium corporis intemperaturam sortiti sint. Vti autem eo manè, & uesperi toto uitæ spacio, et post inflāmationum relaxationes oportet.

Ad perniones qui in planta pedis, imisq; calcaneis eueniunt. Cap. 79.

PErniones hulcerosæ sunt affectiones, quæ in digitis manuum pedumq; brumali frigore emergunt. Quas oportet tepida marina, aut betæ, aut lenticulæ, aut erui, uel albuci radicis decocto fouere. Post fotum, lēticulas coctas in uino læuigatas, cataplasmatis instar imponere: aut ficus tritas cū oleo, aut alumen cum farina hordei æquis portionibus in uino distemperata adplicare: aut fecem subaridam, aut bulbum recētem uino tritum adglutinare: Vel allia in oleo fricta, tritaq;, & ceram cum mediocri oleo liquefactam inijcere. Aut malicoria cocto in uino, & læuigata, cera rosacea excipere, atque uti, irrigatis antea membris rore lupinorum decocti. Vel mannam, aut sulphur uiuū cum melle elixo impingito. Sed alterci etiam succus cōtinuè illitus, inflammationes & dolores sopit.

Marcellium ad perniones.

Rapi radicem excauato, inq; capacitatem eius ceræ uncias duas inijcito, oleiq; lentiscini unciam, & in uase duplici cum aqua marina, seu muria aut decocto lupinorum elixato. Partim superfundito, partim ceratum in rapo liquefactum frigidum imponito. Sed in pernionibus exhulceratis, thuris, scißi aluminis, minij, resinæ, æquales portiones adipe suillo exceptas illinito. Cæterum ad hulcera cum inflammatione medicamento hexapharmaco utendū, quod habet olei dodrantem, taurini adipis, & fellis, uniuscuiusq; librā, lithargyri uncias sex, colophoniæ trientem, mellis selibram.

Ad manus digitorum, totorumq; pedum rimas.

Picem liquidam inunge, aut cancrum fluuialē marinum'ue super carbones crematum, testæ ramentum, cum oleo ad mellis craßitudinem contritum, abstersis prius scissuris instillato. Conducit uerò & scillæ interaneum oleo feruefactum, & resina terebinthina eliquata, & cornu caprinum deustum, caprilloq; adipe exceptum. Sed callos undiquaq; purgare, deinde medicamentis uti expedit.

Ad calcaneorum, plantæq; pedis rimas, anthera.

Calcis uiuæ drach. decẽ, cerussæ uiginti, ceræ tantundem, aut triginta, porcinæ pinguedinis recẽtis septuncem, colophoniæ dodrantem, cremoris seminis lini cyathum, olei dulcis uncias quadraginta. Tam planam mollemq; plantam, quàm ullum aliud reddit. Aliud: Adipis caprillæ, ceræ, olei, æquis portionibus utere. Aliud: Malicoria in aceto elixa, cataplasmatis modo diebus quinq; impone: deinde scissuris circumpurgatis, calcem uiuã cum oleo & balneorum strigmento adplicato. Aliud: Scillã oleo elixato, ipsam quidẽ frixam porricito, in oleo autem terebinthinam liquefacito, ac utitor.

Medendis attritionibus calcanei e longo decubitu.

Ceræ, olei, spumæ argenti, mellis, singulorũ partes æquales, ad omnem plantarum et calcaneorũ palmæ, atq; internæ digitorum partis exhulcerationem conducunt, præsertim si hulcus ungui uicinum sit.

Ad sordida plantæ hulcera, emmoton. Prodest etiam ad ea quæ pudendis adnascuntur.

Amurcæ cyathum, aceti tantundem in æreo uase ad melleam usq; crassitudinem decoquito: separatimq; trita, squamæ æris drach. duas, mannæ tantundẽ, mollis lanæ succidæ quantum manu capi potest tæda contectæ, & crematæ cinerem totum excipito, ac utitor. In uulneribus quidẽ uino resoluuntur: in pudendis uerò plantaq; pedũ, passo. Aliud: Amurcæ, mellis despumati par modus, hoc ipsum gingiuas etiã expurgat.

Ad porrigines ex calce amentorum attritu.

Pulmo agninus, & porcinus, atq; caprillus conducunt: sed corium ueterum sandaliorum combustum, inflammationem quidem sanat minimè: sed inflammatione sublata, opis plurimum suggerit, uel cepa cum adipe gallinaceo copiosior inijcitur, aut galla concremata inspergitur, uel acacia aceto diluta illinitur.

Aduersus clauos & callos. Cap. 80.

CLauis prius undiq; repurgatis, aliquid ex erodentibus superinducito: uel rubiginē rasilem, uel sandarachā, uel puluerem Syringiacum, aut collyrium Syringiacū gummi loco, gutta ammoniaca exceptū. Est autem clauus, circinatus in orbem callus, colore cādido, clauorū capiti similis: omnibus corporis partibus, sed pedū planta digitisq; potissimè oriēs. Longiori autem tempore euellitur etiam, si scalpello ferreo apex claui continuè abscindatur, aut pumice atteratur: pari etiam modo & callos. Prosunt uerò lupinorū crudorum deustorum cineres cum melle, aut misy liquida pice exceptū: nigella cum urina pueri uenerē non experti, uel oui croceum, uel putamen fabaceum cum aceto decoctū. Ad hoc in frequēti experimēto est, Cantharidum, atramēti sutorij, castorijq; æquales portiones, terebinthina, emplastri modo exceptæ, et clauo prius undiq; repurgato impositæ. Aliud: Fecis, calcis uiuæ, uisci par modus cū stillatitia lixiuia, uel lotio pueri uenerē nō experti.

De unguium uitiis, & primum de paronychiis. Cap. 81.

REduuia, quam Græci paronychiam dicunt, abscessus est, qui iuxta unguis radicem suppurat, quem utiq; etiamdum pusillum inchoantemq; galla cum melle reprimit, & radices agere nō patitur, uel Musæ pastillus, uel iris ex aqua. Sed ubi iam præter naturā caro excreuerit, scopus medicationis est, eam non mordicantibus consumere et rūpere. Faciunt autem ad reduuias, auriū sordes, & lycium. Cum in suppurationem maturuerit hulcus, acu, ut humor effluat, compungito, spongiamq; aqua imbutā imponito, aut lenticulā aqua eliquatam adglutinato, aut palmulatū cum uino, aut rosis uiridibus, aut aridis aqua irrigatis, læuigatisq;, aut farinā hordei cū aqua. Prodest itidē ad paronychias lupinorū farina, melle uel mulso macerata. Ad exhulceratas uerò reduuias expedit: Aeruginis, spumæ argenti, sarcocollæ, uniuscuiusq; drach. quatuor. Super linamētū cōcerptū ex uino, itē spongia imponitur. Sed

necesse

necesse est carnem undiquaq; ab ungue diuellere ac diducere.

De pterygiis.

Pterygium, carnis incrementũ est, partem aliquã unguis operiens, ex reduuia neglecta, uel alia eiusmodi occasione obortũ. Cui auripigmentũ, uel manna æquis portionibus insper gitur, desuperq; motũ ex uino atq; spõgia imponitur. Aliud: Chalcitidis, squamæ, malicorij, æquas partes ficubus assatis, & melle excipito, asperso prius decocto stibij. Cæterum arefactam pterygij partem circumuellito.

Ad putrescentia digitorum pterygia, naturaliumq; hulcera.

Thuris, squamæ, singulorum drachmam, æruginis rasilis semunciam, mellis cyathum, cõtere in sole, tantisper dum subflauum induat colorem: deinde utere cum splenio, loco prius uino irrigato.

Quæ breui pterygia exiccant & persanant.

Soreos tosti drach. duæ, thuris tantundem, æruginis rasæ drachma cum melle subacta, pterygio imponũtur. Facit uerò idem ad reliquas etiam, quæ in ijsdem locis oriuntur, hulcera malefica, nigredines, & hulcera putrida. Aliud: Squama æris palmularum carnibus, aut ficuum subacta adhibetur. Aliud: Fimum palumbinũ cum tenuissimo farinæ flosculo in passo elixato, atq; conterito: calidumq; applicato. Squamula item per se inspersa arefacit pterygia. Sed frequenter oportet angulum unguis pterygion pungentem, auctum, copario inserto amputare.

Ad ungues contusos.

Myrtum, & mali Punici tenerrima folia unguibus adglutinabis.

Ad ungues cruentos.

Vtiliter hordeacea farina cum pice mixta imponitur.

Vt ungues qui doluerunt, abscedant.

Sulphur læuigatum adipe suillo exceptum applicatur.

Vt scabri ungues abscedant.

Visci quercini, sandaraches, fænogræci, singulorũ unciæ

duæ, cantharidum, thapsiæ, uniuscuiusq; uncia, aceti quantum satis uidetur. Aliud: Propoleos Atticæ, ceræ, bituminis, uniuscuiusq; drach. duæ, sulphuris ignem non experti drachma, oleo non inquinentur. Vbi usus poscet, calfactũ unguibus circumlinitur. Aliud: Picis liquidæ, ceræ, colophoniæ, terebinthinæ, guttæ ammoniacæ thymiamatis, sulphuris uiui, spumæ nitri, æquis portionibus, cauendũ ne polluantur, manusq; inquinent. Aliud ad tollẽdos scabredine affectos ungues absq; exhulceratione: Sumantur bituminis, auripigmenti, sandarachæ, sulphuris ignẽ non experti, singulorum drach. quatuor: quibus contritis, resina excipiantur, atq; utere, septenis diebus dissoluens. Aliud: Erui farina, bile ouilla, aut lotio ouino temperata utere, aut calce aqua non extincta cũ oleo, aut chia cum opobalsamo. Vel atramẽtum sutoriũ, & sulfur ignẽ nõ expertum, uisco quantũ satis esse queat exceptum, corio impactum imponito. Vel herba pediculari aceto diluta utere. Vel resinæ terebinthinæ drachmam, sandarachæ binas, simul unguis radici adglutina, fascia accuratè circumligans. Cum uerò exciderit unguis, ceratum myrtinũ, in quo medicamenti ex resina compositi mòmentum contineatur, superinducito.

LIBRI TERTII FINIS.

HYPOTHESIS LIBRI QVARTI.

In hoc uolumine operis uniuersi quarto, de affectionibus quæ foris in corpore potissimum nullo certo limite, sparsimq; insurgunt, tractatio est.

CAPITA LIBRI QVARTI.

FINIS.

PAVLI

PAVLI AEGINETAE LIBER QVARTVS, ALBANO Torino interprete.

De Elephantiasi. Cap. 1.



AIOREM oportere semper remedij, quàm ægritudinis uim esse, bellè Cappadox, arbitror, Aretæus docuit: indeq; fieri, ut curari Elephas minime poßit, quòd scilicet medicina nulla superior inueniatur. Nã si Cãcer, qui singulorũ modò corporis mẽbrorũ Elephas quidẽ est, inter morbos immedicabiles ab ipso etiã Hippocrate cẽsetur: quî non sit Elephantiasis, qui cancer quidã corporis uniuersi existit, multò potius, lõgè curabilis minus? Atra siquidẽ bile, cuius soboles hic morbus habetur, bifariã proueniẽte (aut enim è melãcholico feculẽtoq; sanguine, ac ueluti sanguinis limo, aut è flaua bile, utrisq; supra naturæ modum assatis, originẽ habet.) Elephãtes quippe perrubros mitiores ferè, aut, ut uerius loquar, malitiosos minus prima bilis atræ differẽtia gignit: Reliquos uerò qui infestiores sunt, & corpus totũ ulcerosũ reddũt summaq; decidere faciũt, altera flauæ bilis nimiũ cõbustæ proles parit. Morbo igitur iã uictis, manus admouẽda non est. Auspicãte uerò primùm morbo, ita ut nihil ab extremis deciderit, nulla etiã fœdarit cutem exulceratio, neq; extuberationes admodũ exurgũt, uultus tantùm liuido rubore magis quodãmodo suffunditur, sed neutiquã admodũ indecorus apparet, mederi tentabimus. Quidã etenim, atq; hi sanè non pauci, morbũ inchoantẽ plerisq; sola capitis adustione, ne suppuraret, prohibuerunt. Ocyus itaq; nos, ubi morbus primũ suppullulare cœperit, sanguinem secta uena detrahimus, & uerno potius tempore, quãdo frequens iste affectus ingruit, et accessionibus suis exacerbescit. Sed paucis inde diebus nouem aut decem interpositis,

pulte colocynthidos hac lue oppressos purgabimus: nō semel, sed identidē ex proportione uirtutis medicamēti quantitatem adaucturi. Proficit etiam talibus per hierā purgatio. Rursum uerò diebus circiter decē intercalatis, serū lactis scissi offerendum est, neq; sanè minus tribus heminis, neq; ultra quinq;. Sequentibus uerò diebus, non scisso, sed recens emulcto alantur. Inter hæc, morbus si remittat, alimento eodē utantur si autem permanet lacte abstinendū. Vomitus acrium ciborum esu, raphanis, & cibarijs prouocēt. Probatur post hæc ueratro candido facta expurgatio bis quidē si queat fieri in uere, semel uerò autumnali tēpore. Conclamatis neq; uenam secare, neq; ueratrum propinare cōuenit: quum inde materiei neq; in altum ex cute deriuatio, neq; ulla etiā diminutio fiat. Cæterum in aluum atq; intestina materies deriuāda est, remedijsq; noxā eucantibus utendū, arefaciendo atq; astringendo summā corporis cutem. Cucurbitulæ itaq; inanes ori uentris & præcordijs affigantur: easdemq; partes dropace illinito: pusillo inde temporis progressu denuò ad principia reflectendū, à purgatione quæ per hierā fit auspicando: sanguinis missionem plus detramenti quàm emolumenti allaturā, uitantes. Eodem ductu ter aut quater in anno repetito, tempore autē uerno potissimum, atq; autumno. Iam uerò his etiā potiones expediūt: Aceti cyathus unus, cum cedrini liquoris cyatho, & succi brassicæ crudæ cyathis duobus cōmixtus potui cùm manè, tum uespere exbibeatur: Aut uertemni herbæ folia arida pondo drachmæ unius in uini cyatho. Vel cornu ceruini drachmā, et aceti scyllitici cyathi mensurā, post dilucularium inambulationē quotidianam potui datur. Cætera uerò pro loco ac tempore ijsdem porrigantur: Vel scyllæ seminis drach. quinq; in aqua mulsa, aut in melle instar linctus exhibētur: Vel succi Cyrenaici erui quantitas melli atq; butyro subacta: Vel ebonis rasuræ drachmæ semissis, cum uini cyathis duobus: Vel cymini Aethiopicē drachmæ tres, cum melle eligmatis modo. Atqui multo præ-

stantius

stantius auxilium quàm hæc præstiterit, theriacorum pastillorum drachma, in uino generoso cyathi unius mensura læuigata & epota. Pari etiam modo scylliticorum pastillorum drachma bibatur. Nepetæ insuper liquorem, tanquam efficacißimũ in potu præsidiũ summis encomijs euehũt, absorptũ. A cyathis tribus auspicandũ, et ad senos usq; transeundũ perbibent. Verùm omnibus facilè efficaciæ palmam surripuerit è uiperis contexta theriace, cùm in potu sumpta, tum foris illita. Quòd si ad manum fuerit uiperarum copia, non est aliud efficacius, quàm harũ carnes comestæ, albo iure ex aqua largiore, salibus, porro, atq; anetho, usq; ad spinarum discretionem probè elixæ: capitibus ipsarum primò, caudisq; ad digitos quatuor amputatis, & intestinis omnibus exemptis, pelleq; detracta. Theriaci uerò sales eadem pollicentur, cum obsonijs assumpti. Nam qui ijs hoc pacto utuntur, illis squama quandoq;, aut ueluti uulpis pellicula quædam à cute decidit.

Victus ratio eiusmodi conuenit.

Post somnum manibus leniter permulceatur, recrementisq; alui depositis, gestationibus, uocis exercitio, frictionibus, uarioq; gymnasio, partim saltu, partim altoribus & folle utatur. Postea deterso sudore, ursino, uel uulpino, uel bircino, aut uolucris alicuius adipe, uel butyro recente perungatur. Modico autem interuallo temporis interposito, lauacris operam dantes, fœnogræci, aut ptisanæ cremore, aut guttæ ammoniacæ perexiguo in aceto liquefacto delinetur. A balneo detersus, oleo lẽtiscino, aut œnanthino, aut myrteo perfundatur, & uino modico cum alumine, gutta'ue ammoniaca strigmenti balneorum craßitudine. Abstersus denuò tenerrimis linteolis, horæ dimidium quiescat: à quo aqua hausta euomat, digitis in fauces, pinnis'ue demißis. ubi euomuerit, uinum absinthites, uel origanites bibatur. Alimenta erunt, panis hordeaceus, mazáue ex polentis. Ex oleribus beta, lactuca, rapha-

nus, porrum, & braßica, bis aqua ad dulcorem usq; elota, & capparis. E maritimis autem admittuntur ostrea, pelorides, herinacei, pectines, tellinæ, cum beta decoctæ: salsamentum uetus ceu medicaminis uicem obtinet. Mero omni morbi tempore abstineatur, & coitu similiter. Paucißimum modò uinum, ac tenue & aquosum, quando uires restaurare post purgationes uolumus, assumitur. Tunc acria quoque præter condimenta circumcidenda sunt. Adhæc utiliter offeruntur ptisana, oua, chondrus elotus, lac, mel cum pane, malua, rumex, sisarum, & piscis teneræ carnis: Ex auibus, quæ inculpati succi sunt: Ex fructibus, ficus, uuæ, & uua arefacta: Ex dulciarijs mellitis conueniunt, ex nucleis pineis, uel ex amygdalis frictis placentæ, & cnico, his qui bis in die nutriuntur: molestum quippe ipsis, semel duntaxat cibum capere. Vbi corporis interni habita fuerit ratio, smegmatis quoque usus commendatur in balneo, ex decocto betæ, aut fœnograeci, cum spuma nitri, aut sapone, aut myrobolano: & nonnunquam psilothris utendum. Exterit & portulaca cum aceto contrita, tenuêque semperuiuum: rumicis radices aceto concoctæ, alumen cum salibus, & sandaracha æquis portionibus in uino & lentiscino. Facit huc medicamentum alphis dicatum, ex alcyonio, nitro, myrrha, sulphure, ficusq; syluestris folijs aridis, cum aceto læuigatum ac illitum. Præstat idem quod constat ex sepiæ testæ combustæ, pumicis, nitri, cretæ cimoliæ crematæ, commeosq;, & gallæ immaturæ, æquis ponderibus, aridum inspersum, aut cum aceto affricatū. Illud etiam admirandū: rumicis radicū fasciculus qui manū impleat, nitri drach. quadraginta, thuris uigintiquinq;, sulphuris totidē ex aceto Aegyptio circumliniuntur. Vincit itidē, si inducatur cui insunt auripigmēti drach. decē, sulphuris igne intacti octo, costi duodecim, calcis aquæ non restinctæ quatuor, ceræ tantundē, baccarū lauri aridarū duodecim: hæc simul cōterūtur, et macerātur foliorū populi albæ succo, uel crasso decocto: et

cum iam mellis craßitudinẽ prætulerint, illinuntur. Aliud: Radicum rumicis fasciculi duo in aceto decoquuntur, & in pila contunduntur, & læuigãtur: deinde alcyonij libra, aphronitri unciæ octo, sulphuris uiui libra, cochlearũ testarum crematarum unciæ quatuor, chamæleontis cum radice totidem, conterãtur pariter omnia usq; ad balneorum strigmentitiam craßitudinem, deinde corpori circumlinantur: æstatis quidẽ tempore in sole sæpius, hyeme uerò in balneo, tãtisper dum exudent. Cæterũ Asclepij aridũ smegma his bellè cõueniet: et omnia cõmuniter abstersiua, quæ dicturi sumus, ad Alphos facta, quemadmodum etiam quæ in præsens aduersus illa relata sunt. Turgidæ uerò corporis eminentiæ inflãmatæ, uel exhulceratæ, delinentur lycio Indico, aut glaucio, aut aloë, aut Andronis pastillo, aut polyidæ sigillo. Cataplasma insuper accõmodabitur ex chõdro cum succo herbæ seminalis, aut plantaginis, aut parietaria læuigata. & milesiæ herbæ uiridis folia, cum axungia cõtusa. & cataplasmatis more imposita, mirificè prosunt: rubefiunt quippe inde partes quibus imponuntur, subsidũt autẽ facilè pane superinducto, aut cerato ex oleo amygdalino, rursumq; naturali suo colori restituũtur. Exhulceratis uerò emplastra congruunt ex diphryge consarcinata: & ex uino, melinũ, & coracion, et quod ex aceto mulso constat, necnon Andronius pastillus, & bulla quã pompholygem dicunt, & cadmia. Cæterum morbũ totum leniri indicat, si cicatrix primis hulceribus inducatur. Cõtra uerò difficultatem anhelitus laborantium elephantiasi, millepedas sub aqualibus degentes quinq; aut sex, ex mulsæ cyathis tribus potui dato. Communiter uerò & eorũ nonnulla huic affectioni cõpetunt, quæ suspiriosis conducere prodidimus. Aquarũ porrò sponte emergentium usus ueluti necessarius seligendus est, atq; in primis aluminosarũ, & quæ ferri naturam obtinent, et si fieri potest, frigidarũ. Vtiles etiam ipsis plurimum fuerint potæ. Maritimi etiam sabuli usurpatio eiusdem semper est potentiæ, omniaq;

niaq; sudorifica. Quoniam autem hic morbus nō minus quàm pestis cōtagiosus est, quàm procul ab urbibus, in loca mediterranea & refrigerata, & quibus est hominum infrequentia, tabe illa affecti habitandum ablegandi sunt. Si poßibile est, hinc etiam ad proxima loca migrabunt, tum propter se, tum propter eos qui (ut uerisimile est) ipsis incident. Ipsi nanq; ita salubriore aere fruentur, & alios hac lue non inficient.

De lepra & psora. Cap. 2.

LEpra pariter et psora summæ cutis scabredo est, cum pruritu & corporis colliquatione, ex atrabilario humore orīginem trahens. Sed lepra profundius circularibusq; erosionibus corporis cutē depascit, et piscium instar squamulas ex se remtttit. Psora uerò summā corporis cutem uaria erosione figurat, furfureaq; ex se corpuscula edit. In quibus sanè sanguis detrahēdus est, si humorib. redundare corpus appareat: sin minus, idem omnino purgante pharmaco atra bile exonerandum est. Extrinsecus uerò utroq; ueratro cōmuniter utendum. Calcemq; ablutā seruato aridā, cumq; usus poscet, aqua diluens ad strigmentitiam craßitudinē illinito. Aliud: Saluiæ, oliuæ, Aethiopicæ lachrymæ, singulorū drach. octo, radicis corticis capparis, gummi, uniuscuiusq; drach. tredecim, illinito ex aceto in sole. Sed lepras peculiariter exterunt ac dimouent anemonæ appositæ, uitisq; cādidæ radix. Composita uerò: Lolleaceæ farinæ chœnicē, cardamomi albi drachmas quatuor, spumæ nitri unā, atramenti sutorij octo, asphodeli radicis mediæ quatuor, tritas in aceto, et in cerati spißitudinem subactas circumlinito, nitro prius loco deterso. Vbi solueris, solues autē die tertio, & ablueris aqua gelida, denuò illinito.

Aliud: Radicum hastulæ regiæ succi uncias sex, sulphuris ignem non experti, mannæ, uniuscuiusq; drach. decem, nitri octo: aceto subacta inungito. Cæterum ad psorā propriè conducunt: Ex simplicib. quidē, uua syluestris, lupini amari, carmomū cum aceto, lilij radix cū melle, resina terebinthina,

ſulphur, ciceres, fimus caprillus, Cōpoſita uerò, miſy unà cum chalcitide æquis partibus ex uino, pſoris humidioribus illinito. Aliud: ℞ hododaphnes teneriora folia in olei ſextario decoquito, tātiſper dum areſiant, ramuliſq; porrectis adÿce oleo ceræ candidæ quadrantē: ubi eliquaueris refrigerato, ſulphuriſq; uiui unciam inſperge atq; illinito, idq; uel ſub ſole, uel in balneo. Sunt qui unà cum rhododaphne ſcyllā etiam in hunc uſum decoquant. Aliud: Accipe confectionis diachylon, hoc eſt, è ſuccis herbarū ſextantē, ceræ tantundē, roſacei unciam, ſpumæ argēti, ceruſſæ, ſingulorū quandrantē, picis liquidæ ſelibrā, ſtercoris argenti, ſirici, cuiuſq; ſextantē, aceti quantum ad læuigationē aridorum ſatis eſt. Aliud: Ceruſſæ unciam dimidiam, amyli tantundē, plumbi unciam, lotariorū rubrorum uel anchuſæ ſextantē, ceræ ſelibrā, roſacei dodrantē. anchuſam egregiè unà cum roſaceo elixato, deinde reliqua inÿcito.

Aliud: Oua decem, uel quot opus fuerint in aceto acerrimo macerato, donec cortex ipſorū emolleſcat, inde eodē aceto lutea ipſorum decoquito, roſaceo eliquato, & reliquo aceto, & ſpumæ argenti ſymmetrū ſtrigmentitia craßitudine illinito.

Aliud: Ouorum maceratorū in aceto uitellos treis, roſacei ſelibrā, ſulphuris uiui quadrantē. Prius eliquatis & contritis cum aceto uitellis, & ſulphure, inÿce ceratum. Spuma quoq; argenti aceto roſaceo læuigata, ut emplaſtri formam induat, acriores pſoras expurgat. Porrò ex rumice etiā, atq; pleraq; quæ elephantiaſi medendo ſunt facta ſmegmata, communiter lepræ & pſoræ accommodata ſunt.

De impetiginibus. Cap. 3.

MIxtis ſaniebus ſeroſis, tenuibus, & acribus, cum aliÿs humoribus craßis, impetigines oriuntur, quæ procliuiter in pſoram & lepram cutis aſpredines tranſeunt. Quocirca uehementer arefaciētibus egent pharmacis. Proinde poſt uniuerſi corporis, ſi opus ſit, euacuationē, ſimplicia quidem ipſis conueniunt: Cicer, ueratrū, echinus ſaxatilis, pix cerato et reſinæ mixta,

mixta, crocodili terrestris stercus, et sturnorum, cum oryzam solùm epulati sint. Non pauci unico hoc impetigines, quæ in mento aut aliàs proueniunt, medicati sunt: Plurimũ tritici sumens, incudi cuipiã ignitæ imponito, humidũq; ex eo defluẽs, etiamdum calidũ impetiginibus inungito. Puerorũ uerò lichenas saliua humana continenter perfricato. Hos etiam gummĩ pruni illinitũ adiuuat. Quibus uitium inueterauit, uiticis folia aceto trita, cataplasmatis modo adglutinãtur, aut pari modo folia capparis. Cõposita uerò hæc: Sulphur cũ thure, uel cum gutta ammoniaca, eliquatum aceto illinitur.

Pastillus aduersus impetigines.

Glutini fabrilis drachmæ quatuor, thuris tres, aceti cyathĩ dimidium: aceto diluta illinũtur. Aliud: Chalcitidis, gummi, uniuscuiusq; drachmæ octo: sulphuris uiui, misyos, singulorũ drachmæ sex: squamulæ æris, acaciæ, uniuscuiusq; drachmæ duæ aceto inunguntur. Aliud: Sulphuris ignẽ non experti, nitri spumæ, singulorum drach. quatuor, seminis roris marinĩ grana sexaginta, contere cum aceto: uerùm locum tantummodo affectũ illinito, sanam partem nihil inquinãs, arefactũ frigĩda aqua eluito. Aliud: Veratri albi drach. octo, farinæ lupinorum tostorum, buccinorũ cinis, nitri, uniuscuiusq; chœnix, in puluerẽ redactis fricẽtur. Iam uerò feras lichenas appellant, qui à mediocriter arefacientibus nihil iuuãtur, sed acrioribus exacerbantur. Exhibenda sunt igitur medicamenta, abundè quidem efficacia, sed quæ non plurimũ erodãt: cuius est modĩ quod habet glaucij, thuris, alcyonij, bituminis, sulphuris, gummi, uniuscuiusq; unciam, si cum aceto illiniatur. Aphricam pĩcem cum aceto elixam, liquefactamq; illinito. Aliud ad impetigines & pruritũ: Atramenti sutorij, sulphuris ignem non experti, nitri, thuris, æquis portionibus, ad impetigines cum aceto, ad pruriginem autem cum uino utitor. Aliud lichenium: Guttæ ammoniacæ thymiamatis, erui farinæ, farinæ lupini, æquas partes, cum aceto illinito.

De prurigine. Cap. 4.

PRuritus qui ſenibus accidit, ex toto nunquam curatur, placatur autẽ ſubordinatis remediorũ auxilijs in cæteris ætatibus. Si malus humor author fuerit, hunc quàmprimum euacuare expedit, ſiue biliosus, ſiue pituitoſus, ſiue putris, ſiue ſalſus extiterit. Deprehenditur autẽ id quidem ex ætate, temperatura, uictu, anni tẽpore, regione, atq; reliquis hiſce cognatis. Quocirca ſi uenæ pariter cũ ſanguine fartæ, redũdare uidentur, à detractione ſanguinis auſpicandum eſt: Sin qualitate potius moleſtat, congruis eo medicaminibus exinanito, ad externam uertamus nos curationẽ. Lauacro itaq; utendum omnino etiamdum ieiuno eſt. Verùm nonnunquã etiam poſt exiguum cibum ſumptũ, denuò lauandum. Aegrè nanq; humectatur affectio. Decocto autẽ fænogræci detergitur, uel betarũ, uel furfurum, uel maluæ ſylueſtris & ſatiuæ, uel ptiſanæ. Lomẽtum ad hæc, farinæ ue lupini, uel myrobalanorum, uel peponatum præparatũ ualent. At ſi uitium uetuſtatem ſenſerit, lauacris conſimiliter indulgẽdũ. Fotus ex decocto ſaluiæ, myricæ, mercurialis, origani, pulegij, baccarũ lauri, cucumeris ſylueſtris radicis, capparis, lixiuia ſtillatitia, & muria acida cõmendantur. Deinde nitro arido conſperguntur, uel cum fece aceti, uel eo quod accipit nitri ſpumæ ſextariũ, thuris, ſulphuris ignẽ non experti, uniuſcuiuſq; librã, cretæ cimoliæ libram dimidiam. Vel illud: Spumæ nitri, ſulphuris uiui, alcyonij cremati, æquæ portiones, quib. uel cum prædicto decocto aliquo utere. Quòd ſi uidetur, ueratro etiã arido cõſperge, ſine pingui. Illinitur autem cum oxelæo pedicularia herba trita, uel ſulphur, uel ſandaracha, uel ſimul omnia: uel ſinapi cũ myrobalani ſucco expreſſo, et oxelæo. Vel cochleis combuſtis læuigatisq; in melle, uel rumicis radicibus, uel ex iiſdem rebus confectis ſmegmatis, ueluti paulo antè in capite de Elephante proditum eſt, uel quibuſdã pſoræ conſecratis. Quòd ſi partes hulcerib. cõflictentur, parygro, uel ea quæ diapompholygos

nomen

nomen obtinuit, compositione utendum: uel ceræ uncia liquefacta, in cyprini cyatho, cui sulphuris uiui uncia admixta sit.

Aliud contra pruritus: Nucum iuglandium rancidarum unciam, sulphuris tantundẽ, apij succo contritis, utere in balneo, abundè membra perfricãs. Hoc unũ auxilij satis plerisq; scabiosis, & aliàs pruriginosis præstitit. Apiũ item per se, uiride, contusum, & affricatũ in balneo, magnificã opem contulit. Pari quoq; modo perdiciũ, & acerna resina cum rosaceo dissoluta, ac illita iuuit. Aliud: oryzæ purgatæ atq; admodum albæ quadrantẽ tusum, incerniculoq; traiectũ, aceto acerrimo, donec strigmentorũ spißitudinem induat, dissolue: adiectaq; læuigati sulphuris uiui uncia, pulchrè cõfusis, in balneo utere, diu perfricans. Verùm in his qui excrementorũ nimia multitudine obruti sunt, æquis illorũ portionibus commixtis, longè præstantius reddetur subsidium.

De Leuca. Cap. 5.

LEuce, uitiligo à quibusdã appellata, coloris quædam cutis ad candidius immutatio est, ex uiscida glutinosaq; pituita proueniẽs. Quoniã uerò non quælibet leuce remedijs illinitur, notas ipsius istiusmodi censeto: Acu in superficie leucen compungito, ita tamen ne ultra cutẽ penetret: si sanguis promanauerit, curabilis est: sin lacteus humor, conclamata existit. Vel laneo panniculo asperiore ipsam perfricabis: si rubicundior euaserit, curationẽ recipit: si uerò in eodẽ cutis colore permanserit, remedijs nullus est locus. Et quæ plura corporis loca occupauit leuce, magis desperata est, quàm quæ pauca fœdarit: & inueteratæ potius quàm recentes, curã respuere putãdum est. Nonnulli quidẽ ferro candenti leucen exurẽdam autumauerunt, & hoc solum ceu compendiũ sanationis probauerunt. Alij adustionẽ dolorosam, atq; ex hac cicatricem nõ minus ac leuce indecorã fore arbitrati, medicamentis crustam inducentibus usi sunt: cuiusmodi perhibent, quæ cicatricẽ concolorem efficiunt. Alij uerò repudiãtes horũ uim perdifficilẽ, tincturis

uti maluerũt, imposturæ magis, quæ circa hæc accidit, quàm utilitatis ratione habẽtes: qui sanè reliquis omnib. magis sunt auersandi, propterea quod statim reuertitur affectio. Vtendũ igitur subiectis est remedijs: Adarcæ, seminis roris marini, sulphuris uiui, æquis portionib. singulatim tusis, et priuatim cretis: deinde simul cũ aceto sat multis diebus læuigatis, in sole illinito, nõ cõfertim, ne cutis exhulceretur: procedẽte uerò tẽpore exiguũ quippiã hellebori, gallæq; tantundẽ admisceto. Aliud: Fici atræ uirgultis in aceto maceratis et cõtritis, nitri spumã, sulphur uiuũ, myricæ fructus, æquali cuiusq; põdere adijcito: ubi locũ prius nitro defricaueris, illinito & insolato, obseruãs ne exhulceratio inde cõsequatur. Cæterũ Archigenes folijs fici, calcis quantũ satis est cõmiscendo, similiter usus est: Vel helleboro, inquit, cãdido fricatas leucas quoad sudãdo reliquo corpori cõ colorẽ speciẽ induant, sinopide aut mediade illinito: uel acubus trãsfixis pũctas, donec cruore inficiãtur, sinopide cũ aceto perũgito: uel abstersis prius locis recẽte fici succo, ut dictũ est, in sole illinito, et folijs eiusdẽ aliquandiu obnixè cõfricato.

De alphis candidis & atris. Cap. 6.

ALphorum generatio eiusdem speciei cum leucis est: uerùm hæ altius penetrando cutẽ immutant, ita ut pili etiam consimiles sibi enascantur. Alphi uerò summã cutem deturpant, licet ipsi quoq; si in uetustatẽ incident, profundius recedant, ut pili in eis albi, ob subiectũ humorem procreentur. Ex pituita namq; cãdidi, nigri uerò ex atræ bilis humore nascũtur. Communiter igitur utrisq; cõgruit calx abluta, aqua dissoluta, uel dracunculi radix cũ aceto cataplasmatis modò imposita. Pari item modo ueratrũ utrunq;: Lupinorum amarorũ elixatio adspersa, ipsorũq; farina ex aceto melleue acetoso impactæ: radicis itidẽ capparis cortex cum aceto, lilij radix cum melle, cepa cum aceto in sole illita, crocodili terrestris oletũ, itidem et fimus sturnorũ, cum oryzã modò comederint, tostæq; sepiæ testæ. Compositum uerò hoc efficax est: Alcyonij, nitri, uniuscuiusq;

cuiusq;

cuiusq; unciæ binæ: ueratri candidi, sulphuris ignem non experti, singulorũ uncia: nonnulli uerò uini fecem concrematam adhibuerũt. Aliter: Sulphuris uiui, nitri spumæ, singulorum drach. quatuor, seminis roris marini grana septem, læuigato cum aceto. sed non nisi alphon perunge, nihil iniquinans membrum incolume, arefactum uerò aqua gelida dilue. Aliter: Farinæ lupini, buccinorum, & nitri, uniuscuiusq; chœnix, ueratri albi drac. octo, arido locum deterge. Aliter: Erui farinæ libras duas, seminis erucæ, amygdalorũ amarorum, cucumeris agrestis radicis, singulorũ librã, œnomelite pariter eliquata, alphis illinito, & tempore interposito cum spongia abstergito. Proficit idem aduersus lentigines, asperam & discolorem ceu à sole cutem, uaros, summasq; cutis maculas.

Ad alphos candidos experientia comprobata.

Sulphuris uiui sextarij duo, calcis uiuæ albæ triens, albores ouorũ quinq;, olei nardini et aceti aliquãtulũ: sulphur ante omnia læuigatur, deinde ipsi nardinũ oleum superinijcitur, ac denuò cõteritur, ab hoc acetũ instillatur, rursusq; diluitur. Calcẽ uerò priuatim lotã semel, bis, et ter sulphuri immittimus, unà cũ ouorũ albugine, et rursus læuigamus, coactũq; liquorẽ effundimus. Modicũ autẽ relinquẽtes, quo illini ungentũ queat, atq; ita cum opus est utimur. Aliud, quod ad Archigenẽ refertur: Sulphure ignẽ nõ experto, folijs fici aridis, aphronitro, alcyonio, creta cimolia, myrto cum aceto utere. Aliud Archigenis: Fici foliorũ exiccatorũ in umbra, sulphuris, aluminis, æquas partes cum aceto illinito. Vel foliorũ fici drach. quatuor, nitri duæ, alcyonij tosti totidẽ, aceto in balneis illiniãtur. propriè uerò alphos nigros efficaciter discutit sandaracha, cum parte sulphuris dimidiata: præfricata uerò cute nitro, sub sole perũge. Cæterũ cãdidos alphos atramẽti sutorij, æruginis, æqua portio, nitri duplicata absq; pinguedine exterit. Vel seminis roris marini, sulphuris ignem nõ experti, adarces, par modus cõtritus, cum aceto infricatur et illinitur. Vbi uerò aruerit, la-

uato cutem perfricans, quod medẽdis etiam leucis efficax eſt.

De ſtigmatis, ex decretis Archigenis. Cap. 7.

STigmata curabis ſi lotij feces quæ matulæ adhærẽt, acerrimo cum aceto ſuperinducas. Vel calcis uiuæ partẽ unam, nitri aſſati flaui dimidiũ cum aqua ſub ſole inungito. Vbi uerò locum exhulcerauerit, perinde atq; hulcus ad cicatricẽ perducito. Verumenimuero Crito medicus iuſſit, confricatæ nitro prius cuti reſinam terebinthinã illini: deinde linamentis colligatam ſex diebus relinqui, ſeptima die ſolui, acuq; ſtigmata compungi: breuiq; tẽporis ſpacio interiecto, ſanguinem fluentem ſpongia detergi, tenui ſale locum confricari: tum ad dies quinq; medicamentũ imponi, quod habet thuris, nitri, calcis uiuæ, ceræ, ſingulorũ drach. quatuor, mellis octo. Quod ubi ſolueris, nigrũ in medicamento deprehendes. Aliud unguentum: Piperis drach. duas, rutæ quatuor, ſandarachæ tantundẽ, auripigmenti drachmam, mellis quantum ſatis eſt illinito, loco prius nitro confricato: atq; alijs perinde atq; in ſuperiore peractis, per triduũ ſoluito, nigroreq; deterſo rurſus oblinito. Tollit etenim, inquit, uiginti diebus adeò exactè, ut neq; exhulcerationem, neq; cicatricem relinquat. Aliud, quod Criticum appellatur: Thuris drach. quatuor, nitri duæ, atramenti ſutorij quatuor, ceræ ſex, piperis, calcis, thapſiæ, ſingulorum drach. tres, auripigmenti ſeſquidrachma, ſandarachæ drach. tres, mellis quantũ ſatis eſt, haud aliter atq; ſuperiore utitor. Oribaſius affirmat, batrachium illitum, uel capparis folia ſtigmata expungere. At ſi altius radicibus actis non tollãtur, ſed obiter cuti inſederint, cruſta gelido cautere inducta exterminabis.

De papulis, quæ exanthemata uocant. Cap. 8.

PApularum eruptiones, quæ Græcè exanthemata dicũtur, ex denſatis in cute craſsis humoribus, magisq;, ubi denſior pelliculæ ſuperficies extiterit, propullulant. In quibus itaq; ſi profundius humorũ ſubſedit copia, ante omnia purgare expedit. Nam ſi quis id facere ſuperſederit, tentaueritq; prius diſijcere,

cere, is opilabit magis ipsos, quàm per cutem exhauriet. Sin autem intima corporis retrimentorū colluuie uacauerint, per cutē euacuare conuenit: nec eminus attrahere, siue per aluum, siue per uomitū uacuare animus sit. Sed humorum cuti impactorum curatio, medicamentis quæ exurunt et calfaciunt, machinanda est: præcipuè si latæ infestant pituitæ eruptiones. gelidioris quippe craßiorisq; humoris soboles eiusmodi existūt. Lauri igitur foliorū mollium, rutæq;, & mannæ, æquas singulorum portiones conterito, thusq; cum oleo dilutū illinito: uel betam teneram elixatā & contritā, cataplasmatis more impingito. Vel ceræ drach. octo, sulphuris tantundem, salis drach. sex, arida, friata, & olei cyathi semisse perfusa, omnia simul decoque, cōcinnatoq; inde emplastro utere. Præstantißimum remedium, si cocturæ nulla diligentia nec studium desit.

De Epinyctidibus. Cap. 9.

EPinyctides hulcuscula sunt sponte sua surgētia, facie pustularum, colore rubeo: quibus apertis, cruenta sanies defluit. Quæ interdiu non magnopere cruciant: noctu uerò grauiori dolore, quàm pro hulceris magnitudine debuerint, torquent. Liquorē itaq; laserpitij aqua dilutū illinito: arefaciendi nanq; naturam absq; rosione poßidet. Vel cicutā læuigatam impingito: uel braßicā crudam cum aqua, uel apium cum polenta contrita superinducito: uel herbæ apollinaris folia cum melle læuigata applicato: uel solanū absq; ullo additamento, & coriandro uiridi adiecto: uel folijs oliuæ cū aqua decoctis utere: uel uuas exacinatas, contritas, & eliquatas splenio impactas superinuehito, uel adiantum cum melle tritum adhibe. Fugiendus est acrium, acidorum, & salsorum esus, fomentatio item, lauacrumq;, & insolatus.

De pustulis quæ phlyctænæ uocantur. Cap. 10.

PHlyctænas quæ non sponte sua rumpūtur, dolorēq; grauiorem afferunt, acu peracuta, parte cui humor subesse uidetur, perforato, inde humorē suspensa manu exprimito, cutem

circumfusam, quamuis impleatur, finito. Conniuente uulnere pustula denuò cõpungatur, consimiliq; modo exprimatur. seruandaq; ut prius cutis ambiẽs, donec id quod sub ipsa exhulceratum est, in cicatricem cõtrahatur. Quocirca priusquam pustulæ aperiãtur, lentem elixam, cum aqua eliquatam illinito. Aut mali Punici frõdes cinere calido tepefactas applicato, locosq; attingito. Quòd si fiat eruptio, et hulcus oriatur, adipem suillum liquefacito, spumamq; argenti eliquatam admisceto, & in linteolum impactam superimponito. Vel lilij radicem coctam in aqua, tritamq; cum cerota superinducito.

Ad epinyctidas & phlyctænas.

Spuma argenti, sulphurq; uiuum, æquis portionibus cum aceto, & myrtus læuigata, strigmenti illinitione, adiecto oleo & uino applicatur. Cõducit ad hæc, et ad calidas eruptiones, & papulas quæ ab ebulliente feruore perizemata dicũtur, et manãtia capitis ulcera, incipientesq; furunculos, & exustiones, è plumbagine & ex ouis confectum medicamentum.

Ad ambusta. Cap. II.

AMbusta igni modicè abstergẽtia medicamẽta efflagitant, ita quidem, ut eadem ipsa neq; excellenter calfaciant, neq; admodum refrigerent. Terra proinde Chia, Cimolia, & Cretica, omnisq; terra non põderosa circũlita aceto haud ita acri, aut aqua admixta egregiè proficit, pustulasq; exoriri prohibet. Idẽ sanè præstat ouum candidũ crudũ integrũ quamprimum impositũ, uellere molliore exceptum: mediocriter nanq; perfrigerat, & absq; morsu exiccat. Scriptorio adhæc atramento igne usta perunge, uel thus aqua maceratũ, uel lentẽ elixam & læuigatã, uel eruum cataplasmatis modo impingito. Cæterũ ad exustiones feruẽtis aquæ, priusquam pustulæ exoriãtur, oliuarũ salsarũ aqua cõtinuè cõspergito: ipsasq; oliuas sale cõditas, cũ polẽta eliquatas inducito: uel alumẽ scissile cũ aceto tritũ illinito: uel taurinũ fel cum aqua permulta liquefactum circũlinito: uel lixiuiũ stillatitiũ garo uel muria superfundito; aut bulbos liliorũ, uel hyacinthorũ, uel narcissorum

cu-

cum rosaceo tritos, strigmẽti balneorum craßitudine inducta, illinito. Cæterùm Marcellus hoc modo compositũ tradit: Linteolum melle irrigatũ, hordeiq; succo imbutũ cõburito, et cineris drach. octo immittito, cerussæ quatuor, butyri octo, ceræ, adipis caprilli, rosacei, cuiusq; sedecim. Sed medendis pustulis excitatis iam, Rhun et farinã hordeaceã cum melle læuigata impingito. Vel calcẽ uiuã cerotæ confundito, & panniculo illitam superimponito. Medicamentũ cognomẽto Sphærion ad hæc est utile. loca exhulcerata porris læuigatis obducuntur: uel portulaca trita cum polenta, uel stercus columbinũ linteo inuolutũ exurito, oleoq; dissoluens, cinere ipsius utere. Mirum sanè quàm præsentaneũ perhibeatur: Pini aut piceæ cortex, seu adiantũ aridum friatũ, myrti'ue folia cõcremata, et in læuorem contrita insperguntur. Conducunt autẽ hæc etiam singula, si cũ cera concinnentur. Necnon quod accipit rubeæ anchusæ radicis aridæ, contusæ, & friatæ uncias quatuor, ceræ cãdidæ nouẽ, rosacei octodecim. postremò cõpositio ex cerussa cum momẽto medullæ ceruinæ, exquisitũ præstat remedium.

Ad eos qui uapulauerunt. Cap. 12.

MEdendis flagris, cerussæ, et spumæ argẽti æquas partes, ceræ quadruplũ, cum susino aut rosaceo, in emplastri modum imponito. Primo die lilino tantùm seorsim utitor, uel croci, tragacanthæ, singulorũ drachma, ouoq; integro absq; eruis unita percußis inducito. Pellis præterea ouis recens excoriatæ calida circumposita, reliquis omnibus efficacius naturalis diei spacio cæsis medetur.

Quomodo pili ambustis renascantur. Cap 13.

CApilli ambustis renascuntur, si folia ficus in olla cremata cum cerato emplastri modo imposueris: uel caricæ drach. octo, amaraci drachmam, læuigatis cum oleo ad cerati consistentiam utere. Aut ramentorũ lapidis drachmas centũ, squamulæ æris decem cum aqua in pastillos subactas reconde; & cum usus poscet, partẽ unam cum cerotæ partibus octo dilue.

Ad abrasa. Cap. 14.

SI cutis aliqua corporis parte auellitur, & superficies ipsius hulceribus cõflictatur, primis diebus uel uino, uel aceto, aciáue muria constringito: sequentibus autẽ ad inducendã cicatricem, liparis & ex albis emplastris tripheris utitor. Maximè uerò iuuat, quod cerussæ recipit partẽ unam, guttæ ammoniacæ dimidiã, myrtei quantum satis: gutta ammoniaca aqua læuigata, cerussam admisce, myrtinũ superinfundẽs, et utere lipara, aut scobe lapidũ, quod marmorarij deradũt, squamam æris admiscens, & myrteo conterens utitor: uel cretam cimoliam, & argenti spumam cum uino & ricinino, & myrteo læuigata usurpato.

Ad parasyrmata, intertrigines, hulcera, inueterata, & seniles mollesq; cuticulas.

Spumæ argenti chrysitidis drachmæ quinquaginta, ceræ uiginti, resinæ aridæ ex picea duodecim, olei cyathus unus & dimidiatus. Argẽti spumã & oleũ ubi coxeris, reliqua inijce, rudiculaq; cõmotis, & in pila emollitis utere. Abrasam uerò cutem hulceribus amputare non conuenit, sed inducere remedium. coit nanq; & conglutinatur hoc pacto, etiãsi nigrescat. Denudata uerò carne, ægrè cicatrix cõtrahitur, uellicatione et sordibus infestato hulcere. Cæterùm ab inflãmatione aposyrmata conseruat rhu rubrum cum melle illitum, uel iunci rotundi odorati coma cremata, & cum melle imposita.

Ad Abrasa, & flagellata, & contusiones articulorum, dolorem sedans medicamentum.

Spumæ argenti, cerussæ, uniuscuiusq; sextans, ceræ selibra, olei puri uel rosacei sesquilibra, amyli sextãs. Prodest ad hæc eadem: Pelarium ex recremento argenti, & medicamento ex ouis confecto.

De formicis & uerrucis. Cap. 15.

VTrũq; uitium exigua quædã in cute excrescẽtia, callosa, et magna ex parte rotũda est. Hoc uerò dirimũtur discri

mine: Formica quidem latiore basi seßiliq; est, in scalpendo & attritu similẽ morsiunculis formicæ sensum adferẽs. Verruca uerò, quam acrochordona nuncupant, basim habet angustam ac pensilẽ, ita ut chordæ nexu suspensa pendere uideatur. Hos sanè tumores è medio tollunt elateriũ cum sale impactum: thuris item lachrymæ cum aceto, großi cum aceto & farina, nitroq;: succus fici illitus, itidẽ tithymalli, smaridisq; caput salsum, crematũ. Aerugo itẽ cum sulphure igne intacto cõbusta, ocymi folia cum atramẽto sutorio, quod ex palmitibus etiam dum uiridibus cõbustis destillat, retrimentũ ouium cum aceto, hirci fel illitũ: herbæ solaris maioris fructus, cũ uino cataplasmate inductus: ruta cũ nitro et pipere, nitrũ cum lotio pueruli uenerẽ nõ experti, stercus bouis armẽtarij in aceto adhibitũ.

De Ganglio. Cap. 16.

GAnglion, neruorum est concretio ex percussu, uel labore proueniẽs, in plerisq; corporis quidẽ partibus, præsertim uerò motui consecratis, puta manuũ extremis, et pedum plantis. In quo utiq; malo Archigenes iubet calcẽ uiuã cum adipe anserino & terebinthina imponi, crebrò tamen ex achate lapide medicamento utitur. Oribasius uerò usus est illo, quod habet cerussæ, resinæ pineæ, olei ueteris, uniuscuiusq; unciam, guttæ ammoniacæ thymiamatis, galbani, singulorũ unciam, ceræ trientem. Aut plumbeum orbiculũ craßiorem, uertebræ instar, magnitudine ganglion excedentẽ, imponi & alligari præcipit: pondere nanq; suo ipsum longo tempore dissoluit. Et nos illo quoq; utimur.

De inflammatione. Cap. 17.

QVoslibet calidos cũ dolore & ardore tumores, phlegmonas Græci, Latini inflammationes appellare consueuerunt. Cæterũ pro diuersitate materiæ ipsos efficientis, horum quoq; differentiã euariari perhibent. Sanguine nanq; bono, et moderata craßitudine in partẽ aliquã confertim subitò confluente, & ob nimiam copiã inibi impacto, peculiaris cognomenti

mentiinflãmationem excitari asserunt. Bile uerò flaua in aliqua corporis parte hærēte, herpeta uocãt. At ubi sanguis unà cum bile flaua simul influxerit, erysipelata cōstituit. Cū uerò influens sanguis calidus admodū fuerit, atq; crassus, carbunculos párere solet. Ab ea igitur inflãmatione quæ propriè phlegmone appellatur, quæq; in permultis usque accidit, inchoandũ. Ea tumor quidã est rubēs cũ dolore multo, renitens tactui, calēsq;, ex sanguine, ceu relatum est, non prauo oriũ habēs, qui aliquãdo ex uniuersa corporis mole fertur: nõnunquã in aliquam modò particulã nimiũ incũbit, ita ut in uasis nō cōtineatur, sed roris instar in media partiũ spacia uacua excidat. Vulnerationib. adhæret, ruptionib. itē, hulceribusq;, et alijs compluribus, quæ foris ingruunt causis hæc accidit affectio. Cum igitur pars corporis aliqua subitò absq; præcedēte causa euidēte inflãmatur, toto uerò corpore in partē contagiũ mittēte, uniuersum tũ corpus sanguinis detractione leuandũ est: mēbrum aũt inflãmatum irrigandũ, et illinitione consolandũ, non calorificis & humectãtibus, sed humorũ illuuiē repellentib. auxilijs, quodq; in loco hæret affecto, euacuantibus. Cataplasmatis igitur modo semperuiuũ, & mali Punici corticē in uino decoctum, ceramq; cum polenta subactã impingito. Cum dolor uehemēs nullus excruciat, hoc fuerit et similibus utendũ. Maiori uerò cum dolore parte fluxu infestata, ne tum quidem calidã aquam aut oleũ adhibeto, uel quæ ex farina cōtexuntur cataplasmata: hostilia nanq; hæc rheumaticis affectionibus sunt. Mitiganda uerò doloris uehementia medicamēto ex passo, ex rosaceo, ceraq; exigua, uelleribus sordidis œsypi quàmplurimum cōtinētibus, æstate quidē frigida, hyeme uerò tepida excipiuntur et applicantur: ita sanè, ut superiores affectarũ partium loci spōgia uino adstringēte et austero, siue posca gelida imbuta cōprehendãtur. Admiscēdæ porrò sunt cataplasmatis ad eã prouinciã utiles herbæ. Parietaria idcirco omni inflammationi accōmodata est, cùm intra exordia, tum etiã in incremento:

mento: Glaucium non dißimiliter, atriplex, et malua, lactuca item, & cucurbita, calidis illitæ. Valẽt etiam tribuli utriq; ad eas quæ ex destillationibus oriũtur inflãmationes. Braßica uerò ad tumores facit indurescẽtes. Cæterũ cum immutatio oboritur, purisq; nihil subsidet, ex chalcitide emplastro curabis, uel aliquibus eiusdẽ generis defluxionib. cõsecratis. Purã porrò lanã uino imbutã austero, extrinsecus medicamẽto superaccõmodabis. Medebere itaq; hoc modo his qui ad fluxũ referuntur inflãmationibus. At quæ occasioni cuidã adscribuntur, humectando eas, calfaciendoq; non lædes: etsi quãdo res ususq; feret, scarificare easdẽ haud erit absurdũ. Verùm si eas quæ ex fluxu originẽ trahũt inflãmationes scalpello incideris, præsertim ab initio, autor ingẽtis cuiuspiã incõmodi languẽti fueris.

De exterioribus corporis abscessibus. Cap. 18.

QVòd si tibi suppurationem prohiberi non posse uideatur, panẽ in hydrelæo coctũ cataplasmate impingito: uel hordeaceam farinã cõpari modo præparatã. Foueatur mẽbrum aqua altheæ radicis incoctæ. At si tumor ægrè in suppurationem perducatur, aut cute imperspirabili difficulter distrahatur, cataplasmate ex ficis siccatis utere. Oportet autem dulces et præpingues ficus elixas eliquari in aqua, et aquã mellis instar tenuis efficere, farinãq; hordei inijcere: et si dißipetur quidem tumor, sed minus quàm opus sit, cum ficis hyssopum aut origanum coquito. Si quando uehementius exiccare uolueris, salẽ decoctioni immittito. Exquisita autẽ diligẽtia attendendũ, ne propter uehementiorem ariditatem membrũ obdurescat. Si quando eiusmodi quippiã conspexeris, aqua cucumeris syluestris radicẽ, aut altheæ, aut bryoniæ decoquito. Efficacior autem, et in discutiẽdo uehemẽtior dracũculi radix est. Ipsum adhæc ex dracũculo medicamẽtũ ualidius eiusmodi uitia disijcit. Interdum igitur hunc solum decoquas, aliquando uerò etiam ficus aridas inijcias. Farinam quoq; cũ adipe. Et oleũ anethinũ discutiendi uim habet, humoresq; crudos ac tumores incoctos

dißipat,

dißipat, & maturat. Pix quoq; duriores & crudos tumores uniuersos indita cataplasmatis concoquit, & præcipuè liquida. Medicamentum compositum, quò iam concocti abscessus extirpantur, ita ut in splenio pus subinde deprehendatur, incocti uerò exactè discutiuntur: Lapidis pyritis drachmæ duodecim, guttæ ammoniacæ læuigatæ tantundem, fabaceæ farinæ denarij sex: pice liquida excipiantur, & alutæ illita imponantur. Sed spleniū ne tollas, quoad ultro decidat. Remedium tamen illud haud ita diu antè est præparandum: arefit enim ocyßimè. Si uerò ob hæc tumor nihil distrahatur, pus autem subiaceat, parte scalpello diuisa, idipsum euacuandum. Vitari deinceps conuenit, ne oleū quis aut aquam applicet: uerùm si abluendū interim hulcus fuerit, aqua mulsa poscaq; ac uino, necnon mulso utendū. Etsi inflammationem experitur, è lēte cataplasma inijcimus: sin nulla adsit inflāmatio, aliorū quippe medicamentorū in istiusmodi sectionibus forma emplastri usurpemus. Neq; etiam minus quod conflatur ex chalcitide. Spongiam insuper, aut lanā uino imbutam acerbo superimpone. Vulneri autem nullum pinguetudinem præferens medidicamentum admoue: cuius notæ tetrapharmacum est. exactius nanq; gliscit arefacere.

Quæ rumpant abscessus.

Quoniam autē nonnulli ferro abscessus dissecari non tolerant, usu etiā medicamentorum extrahentiū & disrumpentiū dissectionem moliemur: narcißi radicem in læuorem tritam, et in mulsa cum irino coctā illinito. Vel mollem arundinis radiculā cum melle minutim contere. Quòd si dura fuerit, in aqua mulsa prius decoquito: uel aristolochiā cum melle cataplasmatis modo superinducito. Disrumpūt præterea picis aridæ, propolis Creticæ æquales portiunculæ, et cicatricē inducunt.

Dionysia medendis abscessibus admirandæ uirtutis, & ad mammillas & bubones, extrahendi potentia regnans, per abditos meatus distrahens.

Olei ueteris, aquæ, uniuscuiusq; libra. Hydrelæum illud de

coquito,

côquito, mox ſpumæ nitri uncias ſex immittito, miſyos unciam unam, ſeu duas. Decoquantur quouſq; recrementis per coctûram ſeparatis inquinandi finem fecerint: deinde adijciatur mannæ, thuris, ceræ, terebinthinæ, ſingulorum ſelibra.

Ad neruorum abſceſſus.

Ceræ, colophoniæ, butyri, uniuſcuiuſq; libra: picis aridæ, mellis, ſingulorũ libræ duæ & ſemis, æruginis quadrãs, uiſci quantum ſatis eſt. Aliud epiſpaſticum: Guttæ ammoniacæ thymiamatis uncias ſex, ceræ, terebinthinæ, uniuſcuiuſq; uncias quatuor, ſulphuris igne intacti uncias treis, nitri tantundem: et Smelion quod uocant medicamentũ, & diaſcordon, uiolenter ea quæ iam mutata ſunt, diſrumpũt. Id etiam quod è cremore ſeminis lini fit, diſcutit, et tranſmutat, rumpitq; commodiſſimè. Sed ad manſuetiora apoſtemata etiam quæ contra abſceſſus, ſecundum atq; poſt aures dicta ſunt, expediunt pharmaca. Hæc igitur ſuper demanante ex inflãmatione abſceſſu. Galenus autẽ aſſerit abſceſſum nonnunquã, etiam ſi nulla inflammatio præceſſerit, poſſe cõſiſtere, quæ ex ſanguine incul pato originẽ trahit. Cõfeſtim nanq; ab initio, inquit, per aliũ quempiam humorẽ excoriãtur temporis ſpacio ſubiectæ partes adhærẽtes, & abſcedunt, & ob id ſectæ quoq; omnigenam humidorum & ſolidorũ corporum intra ſeſe ſpeciem habere inueniuntur. Oleto etenim et lotio, grumoq;, atq; humori mellis ſpeciem præferenti, & mucoſo, & oſſibus, unguibusq;, & capillis, in abſceſſibus ſimilia reperiuntur corpora: certè & animalcula non rarò deprehenſa ſunt, cunctis ferè quæ ex carie naſcũtur quàm ſimilima. Porrò lapidibus et harenis, teſtis, lignis, carbonibus, argillæ, ſordiũ ſtrigmẽto, amurcæ, & feci deniq; (inſit) cõparia, in abſceſſibus præſertim inueteratis ex humorũ decubitu conflãtur. Proinde abſolutior apoſtematum extra corpus ſignificatio quàm compendioſiſſimè dicenda: & eorũ quæ adhibitis remedijs diſſipari nequeunt. Eſt igitur abſceſſus carnium, carnoſarumue partiũ, uerbi cauſa, muſculo

rum, uenarum, & arteriarũ corruptio, mutatioq́;. Horum alij quidem tunica continentur, ueluti atheromata, steomata, melicerides. Alij uerò tunica destituũtur, generis uocabulo nomenclaturam sortiti, de quibus in præsens uerba facimus. Abscessuum generationẽ magna ex parte inflammatio præcedit, de qua disputauimus. Cæterũ quandoq; confestim etiam à principio, ceu iampridem diximus, oritur abscessus. Abscessus comitantur ardor uehemens loci, spaciosus tumor, rubicundior solito, & durus, cum dolore pũgitiuo, pulsu, & grauitate, ita ut uideatur partiũ aliquid suspẽdi. Quòd si locus princeps fuerit, febris quoq; inuadit, & horror inordinatus, & per noctẽ impensius dolent, ac febriunt. Bubo adhæc nõnunquã proximis in glandulis exurgit. Cũ autẽ consummatur abscessus, magna ex parte minuitur: stimuli uerò pruriginosi obueniunt, & torpere nonnihil incipiunt, tumorq́; magis in apicẽ mucronatam fastigiatur, tangenti lenis cedensq́;, & superficies in acumine detrahitur. Dico autẽ hæc de ijs qui foras rũpuntur. Siquidem igitur uel medicamentis, aut sua sponte rumpãtur, emmoto curentur, particula iam euacuata pure. Sin contrà, abscessus, eo quem in chirurgicis præscribemus modo, aperiendus est.

De gangræna & syderatione. Cap. 19.

QVando inflammatio neq; distrahitur, neq; in pus conuertitur, frequenter in gangrænã & syderationẽ, quam sphacelon nũcupant, cõmutatur: de quibus inpræsentiarũ agemus. Gangrænas quidẽ esse dixerunt, cum ob inflammationis amplitudinem pars aliqua mortificatur: neq; iam consummatas, sed etiamdũ confiunt, ita cognominant. Huius affectionis tanta uis est, ut nisi quispiã rupta omni mora, præsentissimas tulerit suppetias, pars afflicta promptissimè mortis habitũ cõtrahat, & hominẽ interimat. Cum uerò exactè sensu carere locus cœperit, non amplius morbũ gangrænam, sed iam syderationem nominant. Accidit autẽ hæc labes ipsis etiã ossibus, cum eisdem circumfusa caro, deprauatã gignẽs saniem, eadẽ madefecerit,

& cor-

& corruperit. Cum igitur membrū ex toto interierit, quàm ocyßimè ad ſanam uſq; partē attiguam eſt amputandū. Cæterum in gangrænæ curatione, ſanguis ex male affecta parte, quàm fieri poteſt, euacuandus eſt. aut enim uena inciſa uitiatus ſanguis, cum in eadē parte uena turgens conſpiciatur, exhauriēdus: aut tota corporis cute pluribus et altis plagis diſſecta. remedium putridis dicatū accommodari debet, cuius ceræ eſt, farina eruina, aut loleacea, aut fabacea ex mulſo acetoſo. Si quis harū uires intendere deſideret, ſalem im mittat, uel paſtillum Androniū, aut id genus aliquē. Conferunt & gangrænis nuces peruetuſtæ. Perpurgat uerò ipſas cortex ſeu urtica, cremorq; tithymalli, in loco ac tēpore modoq; exhibitus. Cōducit ipſis irrigatio ex lupinorū amarorum decocto. Nonnulli poſt putridæ partis præciſionē, tutioris exciſionis gratia, cauterijs adhibitis mali radicē exurunt, in quibus ſale cum porro utendum. Poſtremò ad cruſtas & ſquamulas dimouēdas cataplaſma adglutinandū ex pane, uel hordeacea, uel triticea farina in hydrelæo decocta. Et cephalico puluere cum melle, tetrapharmaco item, & Macedonico quod uocāt, utendū. Probè itidem cruſtas detrahit panis cū apio læuigatus, eliquatusq;, aut ocymo, uel iris, aut panax, aut ariſtolochia, acorúmue cum melle, uel etiam rhus. Belle etiā cruſtas abducit Machærionis medicamentū. Et Iſis, linamentaq; concerpta ex melle. Sed in corporibus delicatis ſufficit farina erui cum melle.

Ad gangrænas, ex Oribaſio.

Rubiginis raſilis, rubricæ, aluminis ſcißi, æquas ſingulorum portiones aqua liquefactas, gangrænis inungito circumquaq; ſcarificatis. Loleacea itē farina raphano & ſale cataplaſmatis modo impacta gangrænas remouet, quādoq; etiam cum aceto: Vua paſſa acinis demptis cum cortice adiecto ſale & oxymelite, idem præſtat. Iuglandium item medulla, myrtiq; folia in uino elixa, & detrita cum melle. Raphanus cum aceto cruſtas ad os uſq; effringit.

De herpete. Cap. 20.

FLaua bilis nullo confusa humore excreta, in quampiã corporis partẽ decumbens, herpetem procreat. Qui si essentia sua craßior & maioris accrementi fuerit, altius totã, usq; ad subiectam carnẽ, exhulcerat cutem: & appellatur herpes exedens. Sin tenuior, minoreq; acrimonia, & calida fuerit materies, exiguas bullas, paruasq; pustulas in summa cutis superficie milij seminibus persimiles excitat. Miliaris herpes à similitudine nuncupatur: quanquam Oribasij opinione, mixta flauæ bili pituita, miliarem herpetem constituit. Vniuerso igitur corpore felagio prius medicamine exinanito, locis deinceps languore possesis, frigorifica, siccificaq; applicantur medicamenta: intra principia quidẽ capreoli uitis, rubi & plantaginis folia, deinde lẽticula his admiscetur interim, mel item atq; polenta, & quod traditũ est ad inflammationes ex destillatione, cataplasma, absq; semperuiuo. Exhulceratis uerò locis pastillos passo, uinóue tenui et adstringente, nõ uetere, uel posca aquosa subactos illinito, & glaucium, eiq; similia ex aqua. Si nihil proficit, aceto temperatũ adhibebis: succo autẽ plantaginis, aut solani, uinoq; diluta magnificè opitulatur: uel semen lini arefactũ, inq; uino & oleo elixum, in pollinẽ tritum superinducito: uel cretam cimoliam solani succo dilutã inũgito: uel spumæ argenti trientẽ, & porri cremoris cyathos septem, betæq; succi tantundẽ, læuigata illinito. Vetustis iam hulceribus pastillus Musæ & Andronis accõmodus est. Aliud ad ampullosum herpeta: Recrementum plumbi in uino adstringẽte tritum inducitur, superinducantur cataplasmatis modo folia betæ in uino decocta, uel ceræ unciæ quatuor, myrtei sedecim, recrementi plumbi quatuor, uino diluta illiniãtur. Hulcere uerò serpente represso, ex recremẽto cerato utere, uel lẽticulam elixam cum melle adglutinato. Cæterùm ad herpeta sub cute, recrementũ plũbi, rutæ contritæ succo excipitur, uel ceratum myrteum rutæ loco. Aliud: Lanæ ueteris succidæ, thedacco ligno

ligno crematæ drach. duodecim cum dimidia, ceræ uiginti-quinque, stercoris plumbi oxybaphi semissem, adipis caprilli depurati, & aqua abluti drach. uigintiquinq;, myrtini uncias quinq;. Aliud ad herpetas acriter depascentes: Corticum dulcis mali Punici, spumæ argenti, uniuscuiusq; drach. sex, lanæ succidæ thedaceo ligno circumplicatæ & crematæ treis, ceræ duodecim, cerussæ octo, thuris, aluminis scißilis, cuiusq; drachmam, uino & oleo myrtino excipe.

De igne sacro, erysipelate'ue. Cap. 21.

GAleno autore, tumor ex feruente tenuiq; sanguine excitatus, priuatim & propriè erysipelas uocitatur: ex utrisq; sanguine pariter & bile creatus, ex dominãte in mixtura humore nomen obtinuit. Sanguine nanq; iustum naturæ modum excedente inflammationẽ erysipelaceam: flaua autẽ bile præpollẽte, erysipelas inflammatũ nuncupant. Cõmunius autem, tumor è sanguine biliq; feruẽtioribus factis cõflatus, plurima ex parte erysipelas nũcupatur. Verùm utro modo dicas, nihil adeò ad opis ferẽdæ usum interest. Id uerò ignorandũ non est, difficiliora esse erysipelata, quæ caput inuadunt: proinde nisi efficaciore subueniatur adminiculo, languentes interdũ suffocant. Quamobrem ab initio confestim simul atq; apparuerit, uenam in cubito præsertim humeralẽ aperi: si ea non compareat, obuiam. Sin uerò sanguinis detractionẽ quippiam uetet, medicamento flauã bilem ducẽte corpus euacuabimus, quo in cæterarum etiam partiũ erysipelatibus utere, uel maioris efficaciæ clysteribus. Erysipelataq; perũgito, his quæ influẽtem materiam frigorifica uirtute retundũt: aceruatã uerò modicè calfacientium & humectantiũ beneficio dißipent, priusquam particula liuorẽ aut nigrorẽ contrahat. Cura perpetuò adhibita, ut liquidis perungantur, sic ut crebrius cõmutentur, prioribus per spongias probè tinctas, ablutis: multa nanq; & feruida membri incensio ocyßimè in uaporem erumpens, eadem exiccat. Initio itaq; erysipelata, ut dixi, refrigerantia cum hu-

miditate absq; adstrictione indigent. Cuius claßis censentur, semperuiuum, portulaca, herba pulicaris, lenticula palustris, seris, cucurbita, solanũ, herba apollinaris, lactuca, glaucium, aliquando etiam apium, ramniq; folia cùm per se, tum addito pane cataplasmatis modo impacta: necnon cerotũ ex aqua gelida. Admiscetur uerò his opij nonnihil, succiq; papaueris, cicutæ, & mandragoræ. Cõcinnenturq; cõposita medicamẽta, fiatq; cerotũ ex cera dealbata, rosacei quadruplo admixto ex oleo omphacino absq; sale facto. His in pila emollitis, aquæ frigidæ quantũ suscipere potest, superfunditur. Quòd si aceti tenuis & cãdidi nonnihil admiscueris, præstãtius medicamentum conficies. Iam polẽta quoq; cum herbis aliquot prædictis refrigerantibus, frigoris quantũ res postulat, inducit. Et palmularum dactyli pingues cum horum aliquo mixti. Illiniatur præterea membrũ cum cerussa, aut creta cimolia, aut terra figulari cum solano, aut spuma argenti cum rosaceo, uel chalcitide adiecto oleo & passo, uel cerussa cum aceto & lycio, uel acacia cũ aceto. Remittente porrò feruore, probatur usus simplicium, sulphuris igne intacti, mentæq; cum oxyrhodino, aut rutæ cum absinthio, aceto, & oleo: uel spumæ argenti, adiecto porri betæq; succo. Compositorũ uerò priuatim quidem in capite, cõmendatur usurpatio pastilli: Spumæ argenti, cerussæ, croci, sulphuris ignẽ non experti, opij cũ uino passo. Communiter uerò uniuersis, rubricæ sinopis, chalcitidis, misyos cremati, rubiginis, atramenti sutorij, aluminis scißi, æquis portionibus, cum aceto utere. Aliud: Sulphuris uiui, cerussæ, opij, acaciæ, pares singulorũ partes cum aceto. Cataplasma ad ignem sacrũ, hulcera serpentia, abscessus, parotidas, & ambusta: Altheæ recentis foliorũ mollium libram elixam in hydrelæo probè conterito, & ingere rosacei uncias quatuor, spumæ argenti, cerussæ, uniuscuiusq; uncias duas cũ dimidia: denuò cum coriandri succo læuigato, uel cremore semperuiui, aut solani: inde panis micas inijce, donec formã induat emplastri,

stri, & superinducito. Atqui emplastro etiam illo utitor: Recinini libra, myrtei tantundem, ungenti unciæ quinq;, spumæ argẽti quatuor, eruginis rasæ duæ: aceto dissoluantur rubigo & spuma argenti. Ceratum ad erysipelata & igne usta: Ceræ dealbatæ triẽs, rosacei quadrãs, oua sex, perdiciadis triẽs. Cessante autẽ inflammatione, aut in uetustatẽ incidẽte, priusquam liuescat membrũ, cataplasma ex farina hordeacea illinito. Quòd si luridum iam fieri cœperit, cuti scarificatæ, cataplasma inducendũ. Irrigandum autẽ est ex unda dulci calida, interdum uerò & marina, aut muria: nonnunquã etiam cataplasmati talis liquor cõmiscetur. Postremò prædictis medicaminibus cõpositis utendum, animum cum medela applicando. Nam si diutius perseueret inflammatio, in suppurationem uel in putredinem commutatur.

De pano, bubonibus, et furunculis. Cap. 22.

SEcundum Galeni sententiam, bubo, panus, & furunculus glandularũ affectus sunt. Bubon quidẽ inflammatio: Panus uerò glandulæ inflãmatio, suppurare incipiens. Aliorũ autem quorundam opinione, tubercula communiter omnia, è quouis membro præter naturã erumpentia, ita quidẽ ut abscessus naturam referant, phymata, hoc est, Pani uocãtur. Tradit enim Hippocrates, quibuscunq; phymata in urinario meatu erumpunt, ij suppuratione facta in uomicã prorũpente, liberantur. Quicunq; autẽ bubones ex collisu, uel alijs hulceribus, doloribusúe excitantur, periculo uacant. At qui febribus superueniunt, sicut præcipuè in lue pestilentiali incidere cõsueuerunt, pessimi sunt, siue in femoribus, siue sub alis collóue prouenião. Verùm priores, intra initia, quemadmodũ quæuis inflammatio, præsidijs refrigerantibus & constipantibus repelluntur: uel spongiæ impositu è posca, uel lanæ ex uino, & oleo ex oliuis acerbis & immaturis expresso, uel rosaceo, uel melino, aut lentiscino, uel myrteo: inde eis quæ discutiendi uim habẽt, utendum. Si corpus omne humoribus æquabiliter redundat, prius

euacuandum est: Sin excrementis uacauerit, hulceris, in quacunq; corporis parte prouenerit, habenda est ratio, perinde atq; in sermone de hulceribus preßius agetur. Cæterùm glandula inflammatione oppressa, lanis oleo quodã relaxante imbutis mitigatur, membrumq; uniuersum ipsis circũuoluitur. Cum tumor ad suppurationem spectauerit, non promptè incidere, uerùm medicaminibus ceroti formã imitãtibus dißipare tẽtato: qua in re primas facilè tenet medicamentũ ex perano, et botanicum, id est herbaceum. Si per hæc non dißipatur, ad sectionem, perinde atq; in reliquis absceßibus, deueniendũ est, consimiliterq; illis medendũ. In his autem quæ in febribus, uel omnino humorũ copia proueniunt, arceri debent repellentia, ne retrusa profundũ repetat materies, sed à discutiendi facultate præditis cõfestim auspicandũ. Et si nullũ impedimentum obstet, puta ætatis, aut uiriũ, ex uena cubiti prius sanguis detrahendus. In loco autẽ affecto, fotus ex decocto chamæmelorum, aut anethi, aut id genus aliorũ adhibeãtur. Reliqua uerò medicamentorum materia, huc ex his quæ proximi uoluminis capite de parotidibus inscripto memorata sunt transferatur: neq; ex his etiã minus, quæ nuper admodũ mihi ad inflammationes conferre dicta sunt. Quemadmodum & furunculorum quoq; curationẽ tum hinc, tum ex his quæ ad erysipelata conducere recensuimus, sumito. Atticus insuper aster herba, quæ bubonium, hoc est, inguinalis etiam ob hoc ipsum appellatur: nõ solùm cataplasmatis instar impacta, sed alligata quoq; bubonibus, opitulari creditur. Panos peculiariter discutit, si inducatur adiantũ, atriplex, helxine, althææ radix uino elixa, gutta ammoniaca cum melle eliquata et imposita, uiscus cum resina atq; cerato. Rumpit item propolis: lupini amari cum aceto illiti, cucumeris syluestris radix terebinthina excepta, radix capparis consimiliter, nitrum itidem cum fermento uel ficubus.

De

De Dothienibus. Cap. 23.

DOthien, quem furunculũ appellant, tumor eſt abſceßionis faciem præferens, ex craßis humoribus in carnoſis plerunq; partibus proueniens: clemens quidem, cum in ſola cute coierit: maleficus autem, curatuq; difficilis, cum altius radicibus actis in cutem erumpit. Dißipat autem dothienas, & maturat, triticum dentibus friatum & impoſitum: maſtiche Aegyptia: uuæ paſſæ exemptis acinis ſale contritæ, & cataplaſmatis more impactæ, hunc uel diſtrahunt, uel diffindunt. Fici aridæ ex hydromelite adglutinentur, aut reſina ficis commixta imponatur. Aut ipſæ ficus aridæ dum fuerint pingues diuiſæ, aut fermentum cũ nitro, aut ſemen lini cum melle, aut alterci folia læuigata cũ butyro. Mixta uerò proſunt ex fermento, ex polline farinaceo, & medicamentum ſuo nomine Dothienicum appellatum conuenit. Fotus uerò ex ſpongijs mollibus continuè in calidam aquam immerſis competunt, deinde ſic medicamenta inducuntur.

De Terminthо tumore atro ac tereti. Cap. 24.

ORibaſius terminthum phymatis ſpeciem eſſe aſſerit, ſupra quã puſtula nigri coloris adiacet: qua rupta, ſubtus ſimile quiddam deſquamato apparet: quo quidem diſſecto, pus deprehẽditur. Diſcorides uerò Alexãdreus, Terebinthi, inquit, cutis eminentiæ ſunt rotundæ & oblongæ, atrouirides, terebinthi fructibus conſimiles. Quocirca his quoq; perinde atque alijs phymatum tumoribus, ſuccurrendum, ex prædictis huc transferendo præſidia.

De Carbunculis anthracibus'ue. Cap. 25.

CVm ſanguis copioſiore atra bile infectus & feruidus cuipiam corporis parti incubuerit, carbunculi exoriri ſolẽt, quæ cruſtacea ſunt hulcera, magnaq; parte ab ampulla, igne ambuſtis non dißimili incipiunt: quandoq; ſine ea emergunt. Loci omnino pruritus quidã præcedit, mox una interdũ quidem puſtula, nonnunquã uerò plures etiã puſillæ milij inſtar

ſequuntur: quibus diſruptis, cruſtaceum hulcus ſuccedit, cuiuſ-modi ferramentis candentibus excitatur, cum cruſta nunc ci-neritia, nũc colore nigra, ſic ut imæ radici adhæreat, & quo-dam modo affixa ſerpat. Caro in ambitu reliqua feruidiſsi-ma efficitur atra, & bituminis aut picis modo ſplendida. eiuſ-modi autem bilis eſt exquiſitè atra. Verùm qui carni tantum inhæſerint carbunculi, breui circumſcribuntur: qui uerò in membranis aut neruis gignuntur, longo tempore durant, & ſubiectas partes ad affectionis cõſenſum trahunt, ita ut inflam-mationes eryſipelatoſæ in ipſis excitentur, non paucis in ſup-puratione uertatur: plurimis febres ſuperaccedũt. Oboriun-tur autem & ex populatim graſſante aliqua cauſa carbuncu-li. Occurrendum autem ipſis, niſi perpuſilli ſint, ſanguinis è uena ad animi deliquiũ uſq; detractione. Mox à phlebotomia, locũ profundis punctionibus ob humoris craßitiẽ ſcarificare alienũ non eſt. parti uerò languenti, quæ reprimendi & diſcu-tiendi uim habeant, adplicabimus: cuius eſt modi cataplaſma ex plantagine, & quod ex lente elixa, paneq; conficitur, ſu-mendo panis fornacei molle, quem neq; puriſsimũ, neq; ſordi-diſsimũ eſſe cõuenit. Ipſi uerò hulceri, uehemẽtius aliquod medi-camentũ inducemus: cuius generis eſt, Andronis, et Polyidæ, et Paſionis, diluẽtes eadẽ paſſo uſq; ad ſtrigmẽti balneorũ conſi-ſtentiã. Maſſaleoticũ itẽ aridũ, uel et ipſum pariter eliquatũ, dracunculiq; radix, uel ariſtolochiæ uel laſerpitij liquor, uel Cyrenaici, ſingula ex aceto ſcitè illiniãtur. At quæ eryſipela-tis naturã ſortita ſunt, præſidijs eidẽ uitio ſuprà dicatis dilinen-tur. Quæ uerò partes ad affectionis cõſortiũ duci credũtur, la-na ſuccida, œnelæo imbuta irrigãdæ ſunt. Placato iam feruo-re, carbũculis, cerata cephalica, remittentiaq; filatim diſcer-pta linamenta, admoueantur. Præſtantiſsimũ eſt, quod ex her-bis, & quod ex nitro conſtat, & quæ hulceribus depaſcenti-bus conferunt, arida, priuatim & cum roſaceo admota. Duri-tia autem perſeuerante, melina Serapionis utẽdum. Dandaq;
opera,

opera, ut quamprimũ ad ſuppurationẽ ueniant carbunculi. quod fiet, ſi bis quidem interdiu, noctu uerò ſemel cataplaſmata remediaq́; cætera permutentur. Sed quo radicitus carbunculos euellas, & loca continuè uicina aſſeras, mala Punica acerba minutim diſciſſa, in aceto elixato: & ubi tabuerint, læuigato, linteoq́; illita ſuperimponito: ubi aruerint, aceto humectato. Carbunculos ad ſuppurationem perducet & diſſringet nucis baſilicæ ueteris nucleus, uel etiã non ueteris interius farctum. Cupreßi folia, & uirgulta, recentesq́; et teneriores galbuli, cũ polenta, uua paſſa acinis excußis, ficus aridæ in uino elixæ: papaueris cornicularis flores, liquor laſerpitij cũ ruta, exiguoq́; melle, pix liquida, cum uuis paßis, et adipe ſuillo

Ad carbunculos impendio utile.

Spumæ argenti libra, olei ueteris ſeſquilibra, auripigmenti uncia: oleũ, argentiq́; ſpumam tantiſper dum recrementum exuat, decoquito. ubi ab igne ſuſtuleris, auripigmentũ immittito: rurſusq́; donec nigrore ſuffundatur, decoquito: tritis in mortario, linteolis filatim concerptis utere.

Ad gangrænas, uetera hulcera, chironia, ſtrumas, podagram, & propriè ad carbunculos, eosq; comprimis qui in palpebris oriuntur.

Opij, acaciæ, miſyos torrefacti, ſquamæ æris, uniuſcuiuſque drachmas duas, atramẽti ſutorij unã, ſeminis herbæ apollinaris tantundẽ, læuigatis ex aqua utere. Confert etiã eximiè tetrapharmacum quintã partẽ thuris continens. Ad pudendorum carbunculos: Chalcitidis, atramẽti ſutorij, ſingulorum drach. octo, ſpumæ nitri duas cũ aqua terito, & utere. Subuenit etiam fimus ouillus torrefactus, cum melle ſubactus. In Alexandria ſarapiade (quæ etiam orchis atq; triorchis uocatur) uiridi, cum mica panis, modo cataplaſmatis aduerſus carbunculos & omnia cruſtacea utuntur. Vbi uerò cruſta deciderit, triuialis hulceris modo reliquam curationem proſequere.

De

De canceribus. Cap. 26.

CAncer in qualibet corporis parte oriri potest: siquidem in oculis & locellis (quemadmodũ de ipsis suo loco tradidimus) atq; alijs corporis partibus bene multis, uerùm præcipuè in fœminarum mammis prouenit: quoniam natura laxæ & fungosæ craßißimum atræ bilis (unde hoc malum gignitur) materiam promptius excipiunt. Ex eo nanque humore cum referbuit, cancri contrahuntur: qui si acrior fuerit, cum hulceratione. Ob hoc, colore atriores quàm inflammationes sunt, citra caliditatem tantam: uenæ circa id malum turgescunt & intenduntur instar pedum animalis cancri, unde etiã appellatio huic uitio indita est. Quidam uerò hinc nomen sortitũ asserunt, quod ab his, quas occupauit, partibus ægrè euellatur, ueluti cãcer animal aquaticum. Hoc malum ob humoris craßitudinem nulla medicina eliditur, ut quod neq; repelli, neq; discuti queat, neq; purgationi totius corporis cedat, uel quod mitiora remedia contemnat, asperioribus autem irritetur. Possunt uerò cancri inchoantes, quo minus augeatur, impediri, si atribilarius humor priusquam in mẽbro affecto radices egerit, euacuetur. Euacuabimus autem primitus quidem, nisi quid obstet, sanguinis detractione: mox purgatione, simpliciora quidem intra primordia statim exhibendo: uerbi causa, epithymum quatuor unciarum & semißis quantitate, in sero lactis, aut aqua mulsa. Deinde hiera, quæ helleborum atrum assumpserit, euacuentur: Solani succus loco languenti illitus, sine molestia exhulceratis subuenit, si linteolũ molle duplicatum in ipso irrigetur, et imponatur. Foris autẽ circa ipsum lana mollis, eodem succo madefacta, inijcienda est: prospiciendumq; eadem succi infusione crebrius repetita, ne exarescat. Vtatur insuper quis longo tempore exhulceratis cancris ex pompholyge medicamento. Expediunt etiam, quæ libro tertio de fœminarum locorũ cancris descripta sunt, remedia.

Ad cancerosa & malefica, adq; sedis tuberosa hulcera, pudendorum item aut testiculorum, mammarum ue inflammationes.

In plumbeo mortario cum pistillo plumbaceo, lemniā sigillatam è posca & mulsa, lacte'ue conterito, ut nigrescat, uel rosaceū, uel omphacinū oleum, uel succū semperuiui, uel umbilici Veneris, uel lactucæ, uel laserpitij, uel uuæ acerbæ, tritæ cōpari modo illinito. Manducet aūt languens cremoris ptisanæ plurimum, serum item lactis: ex oleribus maluam, atriplicem, blitum, cucurbitam: Ex piscibus uerò saxatiles, & aues omnes, exceptis ijs quæ in paludibus degunt.

Archigenis ad carcinode & malefica hulcera.

Cancrorum fluuiatiliū combustorum, & cadmiæ æquas singulorum partes læuigatas insperge: uel eiusdem animantis cinerem cum cerato superinducito, uel erysimi semen subactum cum melle superaccommodabis.

De œdemate, laxo tumore. Cap. 27.

QVum super tumoribus qui ex calidioribus succis generantur uerba fecerimus, rursum de contrarijs tractabimus: principiū à tumore laxo, quod œdema Græcè uocant, sumentes. Quemadmodū enim ex biliosis humoribus sacer ignis, quē erysipelata appellant, gignitur: ita pituitosi humoris cōfluxu œdema, mollis quidē & doloris expers tumor exurgit. Neq; nos fugit, œdemata præcipuè in pedibus in aquæ subtercutem affictionibus, in tabe & prauo corporis habitu, contrahi. In his quippe, istiusmodi tumor affectionis hominē opprimentis, accidens est, nullā peculiarē medelā efflagitans. Abūdè enim est, si crura perfricētur, interdum quidē cum oxyrhodino, aliquando uerò cū oleo & sale, uel oxyrhodino sale adiecto. At si propter pituitosi humoris in membrū aliquod confluxum, œdema coeat, opis interdū satis tulerit spongia posca madēs cū amēto clementer stringēte imposita, ex inferioribus quidē partibus inchoans, superioribus uerò terminans. Cæterū spongiam nouā esse conuenit. At si ad manū non sit eiusmodi, eam

quæ in prõptu est nitro, et lixiuio potius stillatitio appellato, mundabis. Quod si his tumor non reprimatur, poscæ nomentum aluminis admisceto. Idoneum item fuerit elychnion mollißimum, humore eiusmodi imbutũ, atq; impositum. Probatur etiam glaucium. Si œdema uetustas occupauerit, illito prius cum oleo membro, spongiam ex lixiuio stillatitio imponito, uiolentiusq; constringito, & sanabis. Distrabit uerò & comprimit tumores laxos quælibet terra illita, & uehementius Aegyptia, & isatis satiua.

De inflatione. Cap. 28.

Spiritus flatuosus, sub cute aliquando, interdũ sub mẽbranis ossa uel musculos ambientibus, collectus, inflationẽ producit. Congregatur aũt quandoq; in uentre, & intestinis, & inter utraq; ipsorũ, et peritonæũ membranã, ceu in tympanijs, ut uocant, intercutibus. Dirimitur hæc ab œdematis, quod digitorũ cõpreßioni cedens, non tantã relinquit fossulam, quantam illa dũ premuntur, & strepit instar tympani. Efficit aũt corporis densitas, crassarũq; partiũ spiritus, ne idem spiritus halitu diffletur. Vnde curationis scopus est, corpori raritatẽ inducere, craßiorẽ spiritũ extenuare, quod medicamentis tenuium partiũ, calidæq; potentiæ absoluitur. Quamobrem ad uentris & uiscerũ inflationẽ, oleum tenuiũ partiũ in quo ruta fuerit elixa, aut cyminũ, aut apij semen proficit: non rarò cucurbitula ingens, nõ incisa cute scalpello, umbilico bis aut ter adglutinata, flatus discußit. Cum aũt musculi ob cõtusionem, ceu in pulsationibus inflantur, membra calidis admodũ rebus acrioribusq; indignantur, doloresq; intenduntur. Quocirca à principio statim mitigãtibus remedijs, plurimũ occupari expedit: in declinatione uerò, discutientibus. Sapa igitur cũ oleo exiguo utendũ, quod lana succida calẽte excipiatur, uel ceratum ex œsypo cõfectum immiscetur: cura adhibita quò caliditas permaneat, frigus enim nõ expedit. Mitigato iã membro, & ægro mitius sehabente, acetũ admisce, nitrũq; uel nitri spumam,

mam, post hæc percolatũ lixiuiũ. Postea emplastris discutiendi facultate præditis, ut inflatio subsideat, utitor, cuiusmodi est quod subijcitur: Balneorũ strigmentum elixatũ excolato, ut purũ reddatur, atq; rursum in cacabũ conijcito. Et calcem extinctã farinæ modo contritam, tantisper dum cœni crassitudo inducatur, inspergito, et uteris. Cæterũ efficacius quàm hoc censetur pharmacum è fico Aegyptia, quem sycamoron uocant, contextum.

De luxatis, intortis ue & contusis. Cap. 29.

ADuersus articulorũ luxationes & contusiones conferunt lanæ succidæ, uel spõgia oxelæo irrigata, et imposita. Bulbus elixus cum melle, tenera uiticis folia, sal, nitrũ assum, læuigata cum cerato: utere item fotu aquæ dulcis, uel marinæ calidæ. Sed ubi iam inflammatio doloresq; sedati fuerint, membra eluxata perfricentur.

De carnibus contusis, & sanguine subter cutem collecto. Cap. 30.

CArne à graui aliquo corpore illapso contusa, exilibusq; in ea uenulis disruptis, sanguis exudans per subsultũ trãscolatur: qui sub cute collectus, ecchymoma appellatũ inducit. Cute nullum diuortiũ experiente, tumoris instar moles tactui cedens, liuidi coloris absq; dolore ut plurimũ comitatur. Noster igitur medendi scopus eò tendit, quò grumi sub cute contenti distrahantur, idq; sine mora, prius quàm nigredo superueniat. Inter principia statim astringentia quædã discutientibus sunt admiscenda, eo quòd tunicæ uenarum contusæ condensari postulãt. Post hæc uerò sola discutiẽtia admouebimus, scarificatis initio ecchymomatis, ita deinceps reliquam curationẽ aggredimur. Ad inueterata ecchymomata accõmodatus est raphanus, cataplasmate adglutinatus: discutit enim ipsa, ubi erodere cœperit: uel raphanorũ cremor cum micis panis impactus. Species aũt ecchymomatis sunt suggillata, et rupturæ uenarũ, liuoresq́ue ex ictu prouenientes, hyposphagmata nũcupata,

cupata, & sanguinis ex plaga inter ungues coitus, de quibus suis actũ est locis, uolumine tertio. Atqui de unguiũ uitijs in chirurgico opere fusius explicabitur.

De ruptione & conuulsione. Cap. 31.

RVptura nunquam sine ecchymosi prouenit. Succurritur aũt medicaminibus mediocriter calorificis: cuius claßis habetur, è nigris populis acopũ, et quæcunq; uiribus huic, naturaq; respõdent. Oportet autẽ ruptionibus, acriora, magisq; incidentia adhibere. Proficit ita afflictis cucurbitulæ usus. Siquidem per halitũ confestim fuerit uniuersum ecchymoma discussum, facilè diducta caro coalescet. At si malum in uetustatem inciderit, sordesq; subtus alta succreuerit, ruptio deinceps uniri non potest, labia tantũ fracturæ simul inuicẽ colligentur, ita ut quauis occasione facilè separentur, spaciũq; inter ipsa medium humore aduentitio repleatur, & continuè quodã modo ecchymoma creetur primo persimile: nisi quod hoc quàm illud citius discutitur, ueluti saniem tenuẽ continẽs, cum illud ab initio ex grumis sanguinis cõstaret. Conuulsio autem contusis et distractis neruorũ fibris contigit. Quæ solã mitigationẽ usq; ad indolentiã requirit: cõglutinari nanq; fibræ nequeunt. Aristolochia igitur rotũda, rupturis & cõuulsionibus, si quid aliud, accommodata est. Compari etiam modo & centaurij grandioris radix, eiusq; succus, rheum, costus, bdellium, cum oxymelite hausta.

De scirrhis. Cap. 32.

EXactus quidẽ scirrhus, præter naturã tumor est insensilis, durus et insanabilis. Sed non exactus uix sensibilis est, non incurabile quidem, sed nõ facilè tamẽ medicabile malũ. Oritur enim à tenaci crassoq; humore, indissolubiliter mẽbris induratis impacto. Quãdoq; cõfestim intra principia coit, et augetur. Plerunq; uerò medici eius mali autores sunt, cum sacros ignes et inflãmationes immodicè refrigerauerint, astrinxerintq;. Quamobrẽ si quis quæ uehemẽtius dißipant medicamenta

menta corporibus scirrho oppreßis adhibeat, manifestã scirrhi diminutionem breui tempore efficiens, reliquias paßionis reddet insanabiles: tenuiore quippe humiditate ipsius discussa, reliqua arida et perinde atq; lapidea relinquitur. Oportet itaq; medicamentũ diaphoreticũ aliquã etiã emolliendi uim, citra uehementẽ calfaciendi et arefaciendi potestatẽ habere: cuius facultatis sunt medullæ omnes, atq; inprimis ceruina & uitulina. Ex adipibus probantur, leonis & pardalis, ursinus & taurinus. In auibus uerò, anserinus, gallinaceus, & phasianicus: aridior uerò, caprarum & hircorum. Ad hæc præterea, gutta ammoniaca, quæ ad odorem uaporatur, & bdellium, præsertim Scythicum, & styrax liquidior ac pinguis, mastiche itẽ Aegyptiaca. Quocirca in alijs quidem partibus scirrho infestatis, his seorsim utendum est, & his quæ inde cõponuntur. Cæterum in tendonibus & linamentis, lapidem ignitum aceto acerrimo extinguere expedit: si copia est, pyritẽ: sin minus, molarem, in quo languentis membrum hinc inde per moueatur: atq; ita agitetur, ut uaporem sublatum excipiat. Post hoc denuò remedium emolliendi uim habens, præstat imponere: tenuiumq; partium oleo, non aqua, membrum ab initio ad morbi metam quotidie fouere: interdum in oleo althææ radix, uel cucumeris syluestris elixatur. Lauacris uerò continuis uel in totum, uel magna saltẽ ex parte abstinendum. Scirrho autem mediocriter mollificato, gutta ammoniaca pinguißima aceto peracerrimo liquefacta, membrum afflictum ad plurimos dies perungemus. Deinde rursus ad emolliendi uim habentis remedij usum reuertendum, quod galbano et opopanace pinguißimis compositum sit: cuius generis præcipuè habetur, ex perna conflatum, & Amythaonis, atque ea quæ strumis consecrata sunt medicamenta.

De strumis. Cap. 33.

STrumæ glandulæ sunt obduratæ, quibus collum, axillæ & inguina frequentißimè occupantur. Cõmuniter curatio

ni proximè de ſcirrhis in mediũ allatæ ſubijciũtur. Priuatim uerò lupinorũ amarorum farinã in oxymelite decoctã cataplaſmatis modo inducito: eadẽ & tuberibus phymatis'ue prodeſt. uel bubulum ſtercus cum aceto elixum, cataplaſmate imponito, id quod tumores etiã obduratos omnes diſcutit. Egregiè uerò ſtrophas diſijcit calx aqua non extincta, melle, uel ſtrigmẽto palæſtræ excepta, uel oleo, uel adipe ſuillo. uel calcis uiuæ & nitri par pondus, naſturtij & fœnogræci quadruplum cum melle, inſtar cataplaſmatis impactum, durities diſtrahit, et in pus cõuerſas rumpit loleacea farina cum fimo columbino, & ſemine lini, in uino decocta: groſsi ſylueſtres atq; ſatiui, aut naſturtium candidum cum pice liquida cõtritum in malagmatis ſpecie imponitur. Vel cucumeris agreſtis radicis aridæ, et foliorum lauri aridorum crematorum cinerem cum reſina terebinthina ſuperinducito: uel herbæ pedicularis, nitri parẽ modum, erucæ duplum cum reſina immittes uel ſtercus capriuum aut bubulũ in aceto percoctum: uel erui farinam in lotio pueri uenerem non experti maceratam, & pice, & cera, & oleo eliquatis exceptam. Vel ſerpentem extinctum in aulã coniectum, et gypſo illitam, in fornacem quo concremetur ponito, cineremq; ipſius cum tantundem fænograeci miſce, atq; melle excepto utere. Compoſitio ex aſpidibus ad miraculũ uſq; remedio eſt, atq; ea quæ ex ſtruthio conſtituitur: necnon quæ è cucumere ſylueſtri, & è cedrio itidẽ liquore conficitur. Strumas ad ſuppurationem perducũt, uel diffundunt, myrrhæ drachmæ decẽ, guttæ ammoniacæ thymiamatis duæ, uiſci quercini drachmæ octo, galbani drachchmæ quatuor, propoleos drachma, in pila contũdantur. Ad ſtrumas mammarum, & duritias, uiſci elaborati, reſinæ aridæ, ceræ, uniuſcuiuſq; libra, galbani unciæ tres conferunt.

Ad ſtrumas exhulceratas, et hulceribus carentes.

Accipe ceræ, reſinæ piceæ, adipis porcini inſulſi, marrubij, æruginis raſæ, ſingulorum uncias ſex.

Chæradicũ,

Chœradicum, hoc est strumis curandis factum.

Olei ueteris libras duas, ceræ unam, colophoniæ uncias quatuor, nitri tantundem: allia duodecim detractis tunicis, in oleo per triduum macerato, deinde donec frixa sint elixata, porrice. Vbi ab igne detraxeris, eliquatis oleo, læuigatißimum quoq; nitrum inspargito: abscessus etiam rumpit. Aliud: *Cineris ex ficu arbore sextans, aluminis fißi uncia, nitri spumæ tantundem, liquidæ picis unciæ septem.*

Erodendi uim habens chœradicum.

Aluminis scißi, sandarachæ, uniuscuiusq; semuncia, squamæ æris denarius, auripigmenti tantundem, arido strumas cōsperge. Quod si cācri speciē sortiti sint, rosaceo maceratis, bis per diem utere.

De steatomatis, atheromatis, & meliceridibus. Cap. 34.

QVum hæc in genere abscessuum (quemadmodum in illis explicuimus) enumerentur, singula propriā à rerū quæ in tumoribus continentur, similitudine, nomenclaturam inuenerūt. Est etenim earum quædam instar adipis pinguedinisq;, alia uerò mellis specie, & alia pulti similis. Scopi autē curationis cōmunes sunt, quod tunica illa inuolutum continetur, discutere, uel totum medicamentis exedere, uel sectione auferre. Nōnullis enim ex his tumoribus triplici hoc consilio subuenitur, hisce nimirum qui tenuiorem humorem poßident, ut est meliceris. Quidam uerò duplici solum ratione curantur, quale est atheroma, quod non tam abscindere, quàm remediis tollere licet. Steatoma neq; medicamentis exedi, neq; dißipari potest, sed manuū ac scalpelli dūtaxat præsidiis curatur. Vniuscuiusq; igitur horum agnitionē in opere de Chirurgia reperies. Eorum uerò quæ discutiendi uim habent materiam, inter hæc quæ de strumis edocuimus, inuenies. Priuatim uerò meliceridas disiicit illud: Vuas passas excußis acinis octo, squamæ drach. treis, parti prius fotæ imponito. Aliud: Ladani, bdellii, galbani, ammoniaci, thymiamatis, propolis, terebinthinæ, cuius libet portiones æquales in pila cōtūde. cōducit id quidē etiā

ſtrophis, poſt, ſecũdumq; aures abſceßibus, dothienibus, phymatis. Cõtra meliceridas, Archigenis ſentẽtia, ſpuma nitri, ueratriq; duplũ cum cerato duriore imponitur. Medicamẽtis uerò exedẽdi ui præditis, cute circũfuſa uti nõ licet. Meliceridas itaq; et atheromata, uel ipſas etiã ſtrumas medicamentis adurentibus denudare expedit: è quorũ numero ſimplicius quidẽ eſt, quod cõſtat ex calce aqua nõ extincta, ſapone, lixiuioq; ſtillatitio. Variũ aũt magis, et quod repoſitũ ſeruari poteſt, habet calcis aqua nõ extinctæ drach. quatuor: ſphecles, quæ uini fex eſt, crematæ, nitri liquidi torrefacti, ſingulorum drach. duas, minij unã, dilue in lixiuio, mellisq; liquidioris ſpißitudine inducta ter feruefacito, donec aliquantulum cõſiſtat, & in plũbea pyxide recõde, inſtillans lixiuiũ, ne ſubitò areſcat. Cõfert ad acrochordanas uerrucas, formicas, pterygia, clauos, callos, cicatrices eminẽtius excreſcẽtes, uini fex nõ admodũ uetuſta, duorũ modò menſiũ, cuti illita. Quod ſimulatq; areſcere cœperit, ſpõgijs madidis lotã rurſum inũgito: ubi nigrorẽ cõtraxerit, denuò ijs quæ cruſtã inducũt, lauabis. Poſtquã cruſta deciderit, medelæ erodẽdi facultate præditæ adhibeãtur. Erodit autẽ citra morſionẽ abundè, quod habet ſquamæ æris drach. quatuor, ſandarachæ, atri hellebori, ſingulorũ drach. duas, utere cum roſaceo. Aliud: Squamæ, ſandarachæ, ſeminis urticæ exiccati, æquali põdere: utitor cum roſaceo. Aliud: Erinaceorũ deuſtorum, ſæpiæ teſtæ, auripigmẽti æquas partes cum roſaceo: omnes uerò particulas, quæ in circuitu ſunt, circulatim prius delinito ceruſſa cũ oleo. Efficax etiã cõpoſitio, quæ ex calcis aqua non extinctæ & illaboratæ partibus duabus, chalcitidis parte una, auripigmenti tantundem conficitur.

De fauis. Cap. 35.

FAuus tumor eſt pluribus et cõtinuis in cute foraminibus terebratus, per quæ mellis craßitudine humor emanat. Vuæ igitur paſſæ ipſi ſunt imponẽdæ, cũ ruta, uel fici folia molliſſima cũ melle, uel naſturtiũ cũ ſemine lini et melle: uel cucumeris ſa-

ris satiui radix cũ melle, uel sulphur ignem non expertum, cerato aut terebinthinæ commixtum. Cæterum expeditius magisq; uarium remedium reddes, si quæ superiore uolumine, de manantibus capitis hulceribus relata sunt, huc transferas.

De simplici hulcere, Cap. 36.

QVoniam hulcus simplex non nisi hiatus quidã est, cuius si quis labia diducta, fascia undiquaq; coronæ instar circũposita committat, dißitæ partes facilè absq; ulla alterius rei ope coalescũt. Vbi uerò in aliquo labiorum foraminibus perforatorũ hulcus trãsuersim spectauerit, hinc deligaturã moliri, atq; in cõtraria uertere competit. Si utraq; eò labia detorquentur, apprehendendũ est duobus initijs ligamentũ, et labia hoc pacto contrahẽda: siquidẽ nihil, ueluti neq; pilus, aut arena, aut oleũ, aut festuca, uel id genus quippiã inciderit, hulcus omnino cõglutinabitur. Quòd si hulcus adeò magnũ extiterit, ut nequeant diductæ partes omnino prædicta deligatione glutinari, cõsutionibus ipsæ prius sunt cõmittẽdæ: deinde hoc pacto sutura commissa, remedijs conglutinandi uim habentibus utendũ, et quæ arefaciendi consumendiq; humorem collectũ, & ne alius quispiam se insinuet, arcendi potestatem obtinent.

Quæ hulcera glutinandi uim habeant. Cap. 37.

COnglutinare hulcera possunt quercus folia cataplasmatis modo impacta, et salicis braßicæ, fructus oleaginis fruticis, quẽ chamælæã nuncupãt, folia item et cortex & succus austerioris plãtaginis. Papyrus posca uel uino irrigata, orbiculatimq; circundata. Recẽtia uerò hulcera cõglutinant pini et piceæ folia, et cortex recẽs amẽti modo circũactus cũ aqua aut posca, uinóue, caseus recẽs solutus. Foris aũt rumicis folia applicato, aut uitis, aut betæ, siue lactucæ. Cæterũ caseus, qui eo quod ex acido lacte fit, oxygalactinus nomẽ obtinuit, uulnera quoq; ampliora committit. Pyra itẽ syluestria, quæ achrades dicũtur, fluxũ reprimẽdo sistũt. Equisetũq; ut cataplasma impactũ, etiam si nerui dissecti fuerint. Isatis satiua in duriori-

bus quidem corporibus, etiam si in capitibus musculorum exti terint, pulchrè admodum hulcera conglutinat: item cupressi folia & ramuli, galbuliq; iuuenes & molles in corporibus duris. sed admiscere conuenit tenuißimum farinæ puluerem, qui à pariete molæ propinquo assumitur. Myrrha cum aqua illita, uel lachryma thuris, & lũbrici terræ, neruorũ præcisiones glutinant pentaphylli folia cum melle, alliaq; tosta cataplasmatis instar imposita. Hulceribus autem uetustis conducit anagallis cũ cerato, hordeũ combustũ, cerussa, cũ cerati myrtei triplo. Capitis porrò hulceribus myrrha arida insparsa, nõ irrigua, prodest, celerrimè nanq; cõglutinat. Vel aloen aridam, uel aristolochiã tritã, melliq; et uino simul, quoad in mediocrẽ craßitudinẽ deuenerint incoctã, in linamentũ concerptũ illiniens imponito. Ex cõpositis autẽ cõglutinandi uirtute præditis, sunt, Barbara et chrysa, et medicamentũ Nicolai, tũ quod ex salicibus, quodq; dictãno cõstat, et id genus alia, quæ ingentia potißimum uulnera contrahere possunt.

Ad dolentia & inflammata hulcera. Cap. 38.

SI dolor & inflammatio uulnera exercet, adhibenda sunt siccifica, et quæ inflammationẽ extinguũt, medicamẽta. Ex liquidis igitur probatißimũ creditur uinũ, deinde posca. Si uerò cũ sordibus angat inflãmatio, etiã mulsa aquosa conuenit. Ex aridis autẽ pharmacis cõmuniter expediũt, quæ aduersus inflãmationes facere prædicta sunt, demptis oleosis & acribus. Priuatim illud commendatur: Mala punica dulcia uino elixa, & cõtrita, cataplasmate superinducito: suspiciendũ id, et multiplicis usus. nam capitis quoq; hulceribus cõducit, et ad uerẽdorũ et uniuersi corporis infestãtia hulcera, item cõtra oculorũ inflãmationes. Quod si erysipelas, aut simile quiddam hulceri accesserit, ijs utẽdũ est præsidijs quæ illis dedicata sũt.

Ad immatura & necdum purulenta hulcera. Cap. 39.

REcentia quidem hulcera, atq; ob id etiamdum inflãmata, necdũ suppurantia, maturant, et ad suppurationẽ ducunt,

simplicia

ſimplicia quidẽ aqua temperata inſperſa triticea farina, uel chondrus, uel panis, uel glutinũ quo in libris utuntur, cum terebinthina illitum. Adhæc cera, crocus, thus, pix, roſaceum: adeps porcinus, et uitulinus. Ex compoſitis autem tetrapharmacum emmotum roſaceo imbutum. Cæterum hulcera antiqua & calloſa maturant, ex ſimplicibus quidem uua paſſa ſatiua, ſtyrax, galbanũ, myrrha, ladanum, pix, reſina, butyrũ, maſtiche Aegyptia, et œſypũ. Cõpoſita uerò ex rhicinino aceros GALENI, medicamentũ liquidũ quod linteolis cõcerptis excipitur, uulneribusq; inditur, oleo uetere aut rhicinino ſubactũ: drichromos itẽ, & Baſilicũ, atq; eius generis cætera.

De hulceribus cauis. Cap. 40.

HVlcus cauum amiſſæ carnis inſtaurationem expetit: cuius procreandæ materia, ſanguis cùm moderatus, tũ inculpatus eſt. Huius ergo commoderationẽ ex ſufficiente cibo conciliabimus. Medium uerò temperamẽtum, non tã ex probis alimentorum ſuccis, quàm ex bona membri, quod hulcere premitur, temperatura. Cæterũ recrementum quod excernitur, ulceris ſtatum arguit: ſiquidem tenue, humidius efficit hulcus: craſſum uerò, ſordes ipſi coaluiſſe innuit. Quamobrem medicamentis mediocriter arefacientibus & abſtergentibus indiget: qualia ſunt, thus, farina hordeacea, fabacea, eruina, iris, ariſtolochia, cadmia, panax, & pompholyx. Vbi uerò medicamentum ad incarnandum adplicatũ non profecerit, ad aliud eſt tranſeundum. Verùm ſiquidẽ ſordities ingenti multitudine ſcateant, humidiusq; hulcus ſit, ſciendum eſt, medicamentum infra id quod requiritur deſiccare, eoq; mellis admixtione intendendum eſſe. At ſi mundum & ſiccius deprehendatur hulcus, nimiũ deſiccauit, & oportet cerotum oleo permulto dilutum adhibere. Accidit autem aliquando ut medicamento potentiore caro eliquetur, ita ut ſordidius humidiusq; appareat hulcus, ſimile ijs quæ minus quàm requiritur, exiccantur. At qui hulcus hoc eliquatũ, cauius ſe ipſo euadit, protuberantibus

in cauitate labris, rubeſcente præterea cũ inflammatione quadam crepidine. Sæpe etiã numero morſionẽ manifeſtam languens percipit. Alterum uerò, quod præſidijs minore arefaciendi facultate præditis humeſcit, nihil horum poteſt ſubſequi. Quamobrem lignorum caries, atq; eorum in primis quæ moderatam conſtringendi, abſtergendiq; facultatem ſortita ſunt, ueluti ulmus, expurgat, et carne replet hulcera iam pura, uel anemonæ appoſitæ. Pini quoq; corticẽ detractum, atq; cum cerota contritum, penicillo illitum, cauis hulceribus præſertim recẽtibus, ſuperinducito: carnẽ etenim ea implet. Compoſita uerò, mundatis iam hulceribus probatiſsima cẽſentur, ex oſtreis compoſitio, Manaethonis medicamentum è uini fece confectum, item illud ex aloe: necnõ Meletera cognomento aridum, & quod conſtituitur ex amyli, mannæ thuris, alicæ, erui, æquis partibus. conſimiliter etiã quod thure conſtat. & Aphroditarium. Sordidius uerò quodammodo hulcus, quæ cephalica nomen ſortita ſunt, arida expetit, & quæ linteolis concerptis medicamenta excipiuntur: quæq; Trophos appellationem obtinuit: & Iſis, & cui titulus Athena, & ex colo ruſtica (atractylis appellata) confectum. Eſt præterea cui appellatio Italicum eſt indita: & breuiter, quorumcunque factum eſt periculum.

Quæ ſordida expurgant hulcera. Cap. 41.

SOrdida hulcera, ſiue caua, ſiue plana, egregiè ariſtolochia cum melle purgat. Reſina itidem terebinthina cũ pari menſura roſacei & mellis, uel loco roſacei butyrum, iris Illyrica cũ melle, oliuæ ſalſæ colymbades uocatæ, cataplaſmatis more impactæ. Ad ea uerò quæ neruoſa occupant, terebinthina liquefacta cum butyro adhibetur. Sed immodica ſordium ui obrutis, & eorum quæ depaſcendo ſerpunt, naturam reſipiſcentibus, marrubium cum melle expedit, hoc etiam cruſtas porricit. Mixta uerò præſidia hæc ſunt: Amurcæ decoctæ, mellis deſpumati, aluminis phorimi, quod eſt liquidi, par modus.

dus. Aliud: Sarapiadis herbæ, quam triorchea dicunt, aridæ ireos Illyricæ, marrubij exiccati, mali terræ, singulorum drach. octo. farinæ erui drach. decẽ: arido utere, atq; cũ melle. Porrò aduersus hulcera impura, Aegyptia quoq; facit: necnon ex salibus cõtexta cerota colliquata, Indiceq; et Athenæ, & uiridia diluta, ex pumice præterea, & ex eruo consarcinata arida: ad hæc Melanchloros pastillus, consimili deniq; modo & Ocriogenes.

Ad hulcerum uermes. Cap. 42.

ARcendis quæ in hulceribus prognati sunt uermiculis, primum quidem omnium est, humiditatem putrilagineq; uermium parentem abolere. Interimunt autem uermes in genere quidem cuncta, quæ auriũ lumbricis dicata sunt. His uerò qui in hulceribus nascuntur, Archigenes cerussam et poliũ æquis partibus, cum liquida pice illinienda asserit.

De carnium in hulceribus præter naturam incrementis. Cap. 43.

CArneis in hulceribus superexcrescẽtes medicamẽta acriter arefacientia demoliuntur: è quorũ numero est diphryges calaplasmatis instar inductum, & squama æris, & quæcunq; testacea cremata, erinaceiq; combusti, tam terrestres quàm marini, cum toto corpore. Verùm hæc non admodum eximiè purgant, & superexcrescentia compescunt. sed Asiæ petræ flos longe ualidius id muneris obit: hoc adhuc uehementius, sory, sarcocolla, chalcitis, & misy: uerùm deusta minus rodunt, flos itidem æris. Cæterum ærugo uiribus omnia præcedit. Sales porrò combusti carnes cum humore flaccidas consumunt. Consimiliter & linamenta filatim ex reiiculis pannosis discerpta, in muria maioris acrimoniæ irrigata, & denuò arefacta atq; imposita, mediocres carnium excrescentias auerruncant. Sed rubigo cum squama æris incrementa potentius retinet. Composita autem Rhodia (quæ dicitur) arida, psaron, præterea xanthum, absque morsu excrescentia supprimunt.

munt. Vastißimas uerò carnium excrescentias in altum usq; crusta obducunt Phaustiani pastilli friati atq; inspersi, & heliocaes, à solis æstu appellatum, aridum. Conducit pariter, quod accipit calcis aqua nõ extincti, squamæ æris, mannæq;, partes æquales: idem incrementa immodica, et fungis similia cum melle repurgat, & cum cerato carne implet.

Aridum incrementa carnium coercens.

Spuma argenti, chalcitis, rubigo, plumbagoeon, æquis portionibus. Aliud efficaciter sine morsu reprimens, subueniens prætereà nomis, et epulidibus, hoc est carnis gingiuarum excrescentijs, & dentes deniq; candidans: Calcis uiuæ libra, auripigmenti unciæ sex: auripigmẽto arido aqua læuigato, calcem aqua non extinctã, cadmiæ modo lotã adijcito, cõtritaq; arefacito, & utere. Ex pastillis Pantolmius, & quicunq; polypis medendis dedicati sunt, scitè admodũ hulcera reprimũt. Emplastraq; uiridia, præsertim quod ex Cappadocicis salibus cõfectum est. Isis item summè carnem in hulceribus supercrescere prohibet.

De nomis, putredinibus, atq; phagedænis. Cap. 44.

VIncunt hulcera, quæ depascẽdo serpũt, putridaq; existũt, fomenta ex aceto & posca, uel uino adstringẽte, aut aqua gelida, aut marina, aut iure lenticulæ, malicoriorũ, balustiorum, lentisci, myrtorũ, spinæ Aegyptiæ, aut aliquo ex ijs quæ astringendi & arefaciendi uim obtinent. Cataplasma ita affectis accommodabitur, ex erui farina, alumine liquido, panis siliginei mica: gobio ueteri, uel alio salsamento antiquo carnis illotæ: terebinthina insuper liquida æquali põdere læuigata imponitur: uel malũ terræ, uel rhicininorum foliorum cremor æquis partibus, rubiginis dimidiũ ex aqua mellis craßitudinem habens illinito: si crusta non deciderit, elaterij æqua pars ærugini admisceatur. Putridis prodest sory læuigatum, & inspersum, & super carptum linamentum aridum, uel malum terræ rotundum, uel gallas, æquis partibus cum oleo inungito:

inungito: uel cucumeris ſylueſtris radicem, uel braßicæ, aut betæ, aut rumicis folia illigata calidis cineribus reconde. Quũ autem remollita fuerint, cũ ſale trita impone, efficaciter repurgant. uel extremos ramorum oleæ colicolos teneriores, in uino decoctos, cum melle illinito: uel chalcitim cataplaſmate ſuperinducito: uel apij ſemen contritum, uel ſemen lini friatum cum atramento ſutorio impingito: uel ex thymo, & uua paſſa, & ficubus decoctis cataplaſma adhibe: uel ex ficulneis folijs læuigatis cum melle: uel nitrum & cyminum, & farinam cum melle imponito: uel cucumeris ſylueſtris radicem, uel ſcillam coctã cum melle. uel ſoreos drachmas duodecim, chalcitidis decem, miſyos quatuor, cum aceti acerrimi dimidio acetabulo donec exareſcãt conterito, detractisq; utitor, ſpecillum intingens, hulceriq; circumagitando inuoluens, & ſupernè duplum linteolum ex œnelæo imponito. Quod ſi inflammatione conflictentur, altercum cum polenta, uel braßicam cum melle adplicato.

Ad putredines quæ ſingulis locis contingunt, & hulcera depaſcentia.

Calcis non extinctæ, chalciteos, uniuſcuiuſque drachmæ duæ, auripigmenti drachma: hoc aduerſus etiam digitorum pterygia, & phagedænas proficit: contra carbunculos pudendorum cum melle, in reliquis aridum utiliter adhibetur, ſplenio ſupernè ex reſina ſuperaccommodato.

Ad ſerpentia omne genus hulcera, quæq; os affligunt, & ad ſanguinis eruptiones, & excreſcentias carnis coercens multiplicis uſus puluis.

Habet chalcitidos, miſyos, utriuſq; crudi drach. uiginti, ſquamæ ferri drachmas ſex, gallæ immaturæ drach. octo.

Medendis depaſcentibus & putridis ulceribus.

Salis drach. duodecim, aluminis qualiſcunq; combuſti drachma, ſquamæ, pumicis cremati, æquis portionibus. bene etiã facit

facit rubigo rasilis cum misyi deusto, pice liquida excepta, & squama ferri cum oleo.

Ad serpentia uerendorum hulcera.

Non tam hæc, quàm dictum meleterium conueniunt: Confectio ex acuta myrto, et ex charta medicamẽtum aridum, ad depascentias quascunq; proficit & ex oxymelite Coracium, atq; Andronis pastillus, & id genus alij. Cæterum hæc eadẽ ipsa medendis quoq; phagedænis apprimè quadrant. nam & phagedæna hulcus est depascens, nomæ naturam resipiscens

Ad hulcera cum humore flaccescentia, tetriq; odoris.

Lemnia sphragis ex aceto, uel aceto mulso, uel posca, aut uino subacta, tantisper dum cœnosam induat craßitudinem, illita optimè facit. Vel cupreßi folia, ramuli & galbuli molliusculi, uel cucurbitæ aridæ deustæ cinis, uel platani corticis tosti, & anethi cõbusti similiter, uel lanæ sordidæ crematæ, uel plantago, uel isatis per se, uel cum polenta, aut peucedanĩ radix arida.

De hulceribus cicatrice obducendis. Cap. 45.

SI carnem hulcerũ quæ cicatrice egent, desiccemus, et astringamus adeò, ut non id modò quod præter naturã redundat discutiatur, sed id etiã quod secundum naturã est, attingamus, extimã carnis superficiẽ cuti similem efficiemus, & cicatricẽ, ei inducemus: ad quã functionẽ idonea sunt, galla immatura, & malicoria moderatè exiccantia: & quæ præter astrictionem citra morsum arefaciunt, eadẽ cicatrice quoq; obducunt, ueluti myrrha, spuma argenti, ostrea combusta, si inspargantur, arida. Hæc quoq; cicatricẽ sæpe inducunt, cortex pini cũ cerato myrteo, hederæ flos cum cerato, lilij radix cum rosaceo, resina pityina arida, pumex assatus, squama æris, pari põdere, aridis utitor: hoc etiam reprimit. Vel pumici trito, mannæ & diphrygis cuiusq; momentum admisceto, & utere: uel spumã argenti partẽ unam, diphrygis dimidiam, cum cerato ut splenium impone. Veteribus cicatricẽ inducunt, uiscus cum thure, ærugo cum diphrygis tantundem, atq; cum cerato myr

teo:

teo: uel centaurium minus recens adglutinatum. Sed humidioribus cyprini radicē impinge. Ad sedis & pudendorū hulcera maximè inflāmata, aloe utere læuigata, arida, uel ex aqua: uel squamam æris, uel chrysocollam in sole cum cera emollita, superaccommodato.

Aridum ad cicatricem inducendam.

Ostreorū drach. duodecim, mannæ sex, cadmiæ quatuor, proficit et hulceribus quæ depascunt. Aliud: Mali terræ denarij sex, corticis pini, mannæ, cuiusq; denarij sex, pumicis, colophoniæ, ireos, singulorum denarij quatuor. Aliud: Cornu ceruini deusti drachmæ quatuor, corticis pini selibra, cerussæ triens, æruginis rasæ dodrans, cadmiæ denarij duodeuiginti. Aliud: Florum mali Punici, atramenti sutorij, singulorum sextās, squamæ æris, aluminis scißi, uniuscuiusq; uncia, gallæ drachma. Aliud: Cerussæ, spumæ argenti, uniuscuiusq; unciæ octo, recrementi plumbi, gallæ, myrrhæ aridæ, singulorum drach. quatuor.

Cicatricem inducens.

Aluminis fißi uncia, læuigata in aquæ sextario maceratur: ubi dissolueris, aqua linamenta concerpta imbuito, et siccatis utitor.

Emplastrum ad cicatricem inducendam ex simplicioribus.

Ceræ drachmæ quadraginta, spumæ argenti triginta quinque, diphrygis octo, myrtini hemina dimidiata. Facit etiam ad hæc emplastrum ex dactylis palmæ Phœnicine appellatum, & ex cadmia, & myrsinatum, & id genus alia. Ad ea uerò quæ ægrè cicatricem contrahunt, ceræ, myrtei, singulorum drach. sex, cadmiæ unciæ sex. plumbi, thuris, singulorū drach. duæ, aluminis fißilis, æris cremati, uniuscuiusq; uncia, rubiginis rasæ drach. duæ, alternis diebus soluuntur.

Inueteratis & cicatricem uix contrahentibus.

Cadmiæ, chrysocollæ, aluminis scißi, singulorum drach. octo, æruginis, squamæ æris, uniuscuiusq; drachma, resinæ ex

pinu

pinu drach. quadraginta, ceræ drach. centum, myrtini quantum satis est. Aliud: Ceræ, resinæ ex pinu, singulorum selibra, cadmiæ tantundem, chalcidis crudæ quadrans, myrtini quod sufficit. Cadmia in uino dissoluitur, & chalcitis, tēporibus Caniculæ platysmate utitor. super id aūt linamētum concerptum, et spongiā ex uino, inducito. Aliud: Aeris tosti, aluminis fißi, singulorum sextans, salis ammoniaci denarij duo, ceræ selibra, colophoniæ tantundem, myrtei sextans. Arida ex aceto in sole diebus uiginti diluantur. Cum autem mellis spißitudinem acceperint, liquefacta & refrigerata cera mollificando miscetur. Confert ad hæc præterea medicamentum ex pumice, item Isis, & consimilia.

De maleficis hulceribus, quæ Chironia, Telephiaq́ dicuntur. Cap. 46.

INueterata, & quæ ægerrimè ad cicatricem ueniunt hulcera, alij Chironia, tanquam Chirone medico excellentißimo in curatione egerēt: alij uerò Telephia, quod eiuscemodi hulcere Telephus diu uexatus fuerit, nuncupant. Considerandum igitur, num uniuersum corpus prauo succo redundans, id genus affluentias hulceri transmittat, humorq́; superfluus idoneorum medicaminum officio euacuandus est. Quod si uarix crura hulcere occupata quem infestauerit, tum etiam quemadmodum in Chirurgia explicabitur, tollendum est. Vel sanguinis detractione euacuandum, non parcè auferendo sanguinem: mox topicis utendum adminiculis, quæ instaurandi potentiam absque rosione contineant. Simplicia ergo quæ ex pumice, diphryge, squama, ærugine, calceq́; mediocriter lota constant, alumen item scißile læuigatum insparge: Hyssopi drachmas quatuor, nitri duas, uuæ passæ quatuor, illito prius melle, cataplasmatis modo inducito. Squamæ porrò æris drach. decem, aluminis duas, cum ceræ drach. decem, subactis in sole, superimponito.

Compo-

Composita sunt hæc. Emplastrum ad Chironia.

Cerussæ unciæ octo, aluminis scissi duæ, squamæ æris drachmæ duæ, salis ammoniaci, thuris, æruginis rasæ, corticum malorum granatorum, uniuscuiusque sextans, calcis uiuæ uncia, ceræ libra, myrti libra una cum dimidia. arida uino dissolue. Hoc callum statim à principio tollit, & depositum seruatur. Postremò autem remollitum myrtino, cicatricem inducit. Aliud: Spumæ argenti libra, olei libræ duæ, chamæleontis herbæ nigræ, radicis aristolochiæ, gallæ immaturæ, singulorum uncia, galbani, ammoniaci thymiamatis, thuris, uniuscuiusque unciæ duæ: præparato, cum radicibus uiridium harundinum mouendo.

Archigenis ad Chironia, cum in tibiis, tum in mammis cacoethe, strophulas & parotidas.

Adipis bubuli libræ tres, terebinthinæ quincunx, mannæ septunx: terræ Sardæ appellatæ, qua pictores utuntur, quincunx. his quæ liquari possunt lachrymæ, cum aridis confusis utitor. Aliud Archigenis: Ceræ triens, olei omphacini, pollinis uel lachrymæ thuris, diphrygis, squamæ, singulorum drachmæ quatuor, cum aceto arida terantur, mellisq; crassitudine facta, misces cerato, & utere, linamentum conceptum immergendo. Aliud ad fœminarum, & aliorum tenerioris cuticulæ hominum maligna hulcera: Ceræ Tyrrhenicæ drachmæ octo, pinguetudinis taurinæ, terebinthinæ, plumbi deusti, & eloti, cuiusque drachma una: utere cum linteolis, rosaceo uel myrtino imbutis.

Ad cicatrices atras. Cap. 47.

Fuscas cicatrices exterit oleum, in quo radix bryoniæ candidæ, & nigræ, donec succus extrahatur, decocta sit, impositum. Nepeta item in uino elixa, spuma argenti elota cum rosaceo candido. Quæ lichenas sequuntur cicatrices, & alias, reliquæ cuti concolores facit asininus adeps illitus, erucæ semen contritum cum felle caprino,

&

& bouillo, et ouino illitum, cum spuma argenti. Ouillus talus deustus uino adstringente læuigatus, ammoniacum thymiama cum suillo felle illitum. Composita porrò ex argenti spumæ, mentæ, thuris, æquis partibus cum melle. Aliud: Nitri, ammoniaci thymiamatis, sulphuris igne intacti, myrrhæ, æquas singuloram partes in aceto albo, uinóue aut aqua friatas, parcißima manu, ne exhulcerationem excitent, illinito. Aliud: Cretæ cimoliæ, stercoris columbini, saponis, thuris, par pondus ex aceto. Smegma tollendis cicatricibus nigris: Cretæ cimoliæ drach. octo, spumæ nitri quinq;, ueratri albi tantundem, liquoris glandis unguentariæ drachmæ quatuor, in balneo cicatrices absterge.

De hulcerum lacunis. Cap. 48.

QVando cutis quæ hulceribus adiacet, longo temporis spacio, subiecto corpori non coalescit, et cõglutinatur, Græci colpon, Romani sinum appellant. Proinde cum in superiorem hulceris partẽ sinus porrigitur, facili destillatione per os sanies excernitur, & promptius coalescit. Cõtrà autẽ, qui ad inferiora uergit, inhærens sanies cõtiguas aliquot partes intus corrodit: & nisi incisionẽ prius, quo subterfluat, machinatus fueris, nihil egeris, neq; ipsum carne replendo, neq; cõglutinando. Quod si lacuna alicui membrorum, uerbi causa, brachio, aut crure, insinuata sit, absq; diuisione ex aduerso facta poterit decliuis figurata cõglutinari. In brachio nanq; prope cubitum hostiolo existente, summã manus partẽ altius protendens, sinum in fluxionẽ conuertes. At si in femore prope genu terminetur sinus, situm eius pronum reddes, si popliti ceruical molle subieceris, quò inguina inferiorẽ sitũ habeant quàm genu. Quapropter si carnis impletionẽ sinus nõ requirat, cõtinuò per tubulum rectò perforatum uesiculam intus habentẽ ad abstergendã simul inhærentem saniem, aquoso melicrato potabili eluendus est: sed ad futurã conglutinationem, uino uel mulso, deinde ad ea quæ conglutinandi uirtutem habent, deueni-

deueniendum est. Sin cauus sinus incarnationē desideret, primum quidem est, exiguum medicamenti è charta arida cũ rosaceo immittere: proximum, linamento filatim concerpto ostium obturare. Ab hoc medicamentum Isidis, aut Machærionis, uel id genus aliud emplastrum, cum rosaceo cerato liquidiore compari modo iniycere. Sinu uerò moderatè iam carne impleto, conglutinans aliquod medicamentũ imponito, perinde atq; recens cruentum uulnus curabas. Eius ordinis sunt, Barbara, dichroma, et rubra, fuluáue adpellata: sed omnium præcipuè id quod ex rhicinino, & metallicis, sine cera præparatum est. Rubrum Galeni emplastrum conuenit. Post medicamenta adhibita, spongia recens, uel ex mulso, uel ex uino circunquaq; admodum mollißimè adplicanda est. Deligatura autem à fundo sinus inchoans, ad os ipsius terminabitur. Vinculorum reuolutiones fasciæ q; linteæ, fundum sinus citra dolorem constringant: deinde paulatim remissæ usq; ad sinus oras laxius connectantur, emplastro sinui foris circumposito, forcipe secundum orificium ita discißo, quò sanies poßit excerni. Pusillo interim alio in excisi locũ emplastriolo imposito, ex eodē medicamento ad effluxionem laxo. Sinito aũt ipsum ad solutionem usq;: qua tertio quoq; die facta, auferes id ipsum, atq; permutabis, medicamento totum sinum ambiente semper dimisso. Indicium autem tibi sit, nunquid profundior pars sinus probè sit conglutinata, sanies emanans pauca & concocta, uel si nihil effluat, sensilis. Præterea si eodem in sinu neq; dolor quispiã, neq; tumor percipiatur, sed locus omnis cõtractus, aridus, & indolens appareat. Quin si pus quoq; maturum in ore cõspicias pauculum, noli omnino de conglutinatione desperare: sin primo uel altero die sanies aliqua tenuior è sinu excernatur, de eodem conglutinando spem non abiycias. Sæpe etenim medicaminis uires uehementer ex subiacentibus partibus humorē prætenuē exprimũt. quo quidē expresso, loca moderatè siccata contrahũtur et cõglutinantur. Tertio ue-

rò uel quarto ab initio die, si cruda sanies per os appareat, sinum non coaluisse intelligito. Insistendumq; eodem medicamento: & si, ut solet, propter madorem quempiam decidat, idem etiam mutare, nihil est absurdum.

De sinibus ac laceris.

Si in abscessus curatione serius ad incisionẽ, uel medici imperitia, uel eius cui medetur timore deuentũ sit, cutisq; sinum ambiẽs tenuis, et dirupta ueluti attritum uestimentũ euaserit, fieri nequit, ut memoratis collutionibus elidatur. glutinatoriũ idcirco medicamentum, substantia quidem liquidũ, sed facultate aridum, utiliter applicabimus. Cuius claßis est, cõpositio ex chalcitide, quæ Phœnicina adpellatur, oleo imbuta ueteri, quæ nondum induruerit, neq; manus inquinare desiuerit: mox uerò cum uino mediæ ætatis macerata: deinde orbiculatim competenti cum deligatura imposita. Subuenit autem laciniarum instar detritæ, ceu traditum est, cuti haud parum, mel ad spißitudinem usq; emplastri elixum, et superinductum. Satius uerò fuerit, post illitionem per cribrum in sublime suspensum myrrham in puluiusculum exquisitißimè tritam, uel aloen, uel thus, uel pariter omnia inspergere. Expertus uerò sum, tenue centaurium admirandæ opis esse in hac re præsidium: proximè uerò est simphytum: ab hoc tertium bonitatis locum habet Illyricæ iridis radix: post quæ eruinam comperi farinam cum primis utilem. Atqui inter coquendum nonnunquam eadem melli inserimus, cum auferendus est à flamma lebes. Præstiterit uerò, si illo ab igne sublato hæc fiant: deinde agitetur, ubiq; tepidum euaserit, sinui imponatur, atq; perinde ut tradidimus, illigetur.

De fistula. Cap. 49.

Fistula sinus est callosus: ex absceßibus plerunq; oriens, sumpta per translationem ab harũdinum fistulis appellatione. Quare si ad os usq; decumbat, curari hanc absq; manus opera impoßi-

impoßibile est, nisi temporis spacio sua sponte squama uel os abscedat. At si in os non desinat, medicamentis callum eliden-tibus et cõglutinãtibus curabitur. Sunt igitur hæc quæ callos adimunt: spondilij radix circumrasa & imposita, fistularum callos abscindit: ueratrum item nigrum fistulis impositum, in duobus tribusúe diebus callum expungit: amurca cocta, et ad collutionẽ offusa: Sory crudum uel tostum, cum exiguo uino immodicè diluto, infusum. Sory item, et crocomagma, cũ hydromelite: aut elaterium terebinthina exceptum, in collyria formato, et superinducito: aut laserpitij radicis succũ infundito. Cõsumit callos etiam illud: Aeruginis drach. duodecim, guttæ ammoniacæ duas, aceto exceptas, in longum fingito.

Collyrium quo ad eruncationem calli fistularum utimur.

Ammoniaci suffiminis, atramenti sutorij, rubiginis, misyos, chalcitidis, gummi, æquales partes excipiuntur aceto. Aliud ex Heliodoro Chirurgica: Cadmiæ, misyos, atramenti sutorij, æris cremati, gummi, singulorũ drach. quatuor, chalcitidis crudæ drach. treis, lotio pueri impubis excipito, et in collyria redigito, è quib. uno fistulæ imposito, panis medullã aqua maceratã exterius applicato, mutans subinde, tãtisper dũ inflãmatio quieuerit, et crusta exciderit. Aliud, quod in Alexandria accepi: Anchusæ radicũ, misyos tosti, chalcitidis, æruginis, aluminis fißi, atramẽti sutorij, aloes, singulorũ uncia, cantharides quinq;, aceto læuigata in penicilla coguntur. Aliud: Atramenti sutorij drach. duas, chalciteos, rubiginis, singulorum drachmam ammoniaco excipito, & utere. Callo aũt discusso, rubigine tosta cum mulsæ purißimæ octuplo factis collyrijs, repurgantur. Vbi callus extricatus fuerit, remedijs carne replẽtibus utendũ. Collyrium procreandis carnibus: Aloes, myrrhæ, guttæ ammoniacæ, ouorum testarum crematarum cineris, æquas partes aqua diluito, facitoq; collyria, & applicato. Aliud: Myrrhæ, aloes, thuris, malicorij, par singulorum pondus aqua excipito: sunt qui felle taurino excipiant.

Carnibus etiam ex uuis acerbis succum in collutionem adhibent. Nouimus ipsi quempiam, qui cedrio liquore fistulas colluebat: et uoti compos subinde factus, admirandus habebatur. Postquam aũt fistula carne expletur, medicamentum conglutinandi potentia præditum, est adhibendum, eodem, quem in alijs sinibus explicui, modo. Sed cum angusta pariter & oblonga fuerit fistula, inquit Galenus, nec dum callum, sed sordium modò illuuiem contraxisse appareat, ante omnia lixiuium immisi: deinde in fistula tandiu permisi, dum sorditiem uniuersam radicitus emanasse sperabam: post hæc pharmacũ imposui. est illud uerò, quod rhicinino oleo constare, superius dictum est.

De ruptis hulceribus. Cap. 50.

HVlcerum uerò nonnulla cicatrice obducta, postea tempore haud ita multo interiecto, denuò inflãmantur, ac dirumpuntur. Osse etenim quopiam male affecto, caro quidem ambiens facilè cicatricem contrahit, ac sana in totum esse uidetur. Rursum uerò humoris colluuie ualenter influente, ex osse sensim in alto contabescente, inflammatio cum purulentia cicatricem deradens superuenit. Curatio igitur istiusmodi hulcerum tantam desiderat siccitatem, ut os afflictum decidat. Promptè igitur oßiũ lacunas replebunt papaueris syluestris, ficiq; folia, cum tenuißimo hordeaceæ farinæ flosculo læuigata, & uino cataplasmatis more inducta. Vel alterci semen, & atramentum sutorium pari modo trita, imposita: peucedaniq; radix oßium squamas breuißimè remouet.

De hulceribus articulorum. Cap. 51

ARticuli sicciores, carnosis sunt partibus: cuius ergo cum hulceribus impetũtur, aridioribus egent medicaminũ præsidijs. Pastillus igitur Polyidæ cum uino, tantisper dum strigmenti balneorum craßitudinem induat, contritus, magnificè opitulatur: & quæ huic similiter exiccant medicamina. Melius insuper se habuisse uidimus, si aqua maris uel muria frequentius

quentius irrigentur. In articulis itaq; utẽdum ijs, quæ maiore arefaciendi facultate sunt prædita.

Quæ paxillos, tela, spinas, & consimilia extrahunt. Cap. 52.

TEla, spicula, culmos, surculos, & spinas educunt, anagallidis utræq; species, aristolochia rotunda, gutta ammoniaca cum melle, herbæ apollinaris fructus læuigatus, & cataplasmatis modo impositus. Harundinis radix contusa, melliq; commixta, in linteolum amplum illita, superq; accommodata, celerrimè extrahit.

De sanguinis e uena & arteria eruptione. Cap. 53.

QVando corporis membra sanguinem fundunt, situs ei qui in finibus relatus est, cõtrarius, competit, sursum uidelicet uergens sed intra modum. periculum nanq;, ne dolore conflato sanguis rursum è uase prorũpat. Nihil enimuero uehementius sanguinis eruptionem concitat, inflammationesq; adauget, atq; dolor. Sanguine igitur ex membris prosiliente, confestim digitum osculo hulceris uasorum injcito, clementer innitens: & ne quem dolorẽ inferas, reprimens. pariter enim sanguinem cohibebis, & grumum uulneri conciliabis. Quin etiã si uas unde sanguis emanat, profundius deliteat, exactiore diligentia perdisces cùm positum, tum quantitatem ipsius, & uená ne sit, an arteria: post hæc uerò uase existente exiguo, eorum aliquo quæ sang[illegible]em supprimunt, utendum. Præcipua eius ordinis sunt ea, quæ obstruendi gratia inducuntur, composita ex colophonia, farinæ triticeæ polline, et gypso, & quæcunq; id genus, oui albore eliquata, & cum leporinis pilis imposita. Spacioso autem existente uasculo, hamulo immisso, ipsum extendito, & moderatè circumagito. Suppresso uerò sanguine si quidem uena fuerit, citra laqueum conaberis sanguinem ijsdem ipsis medicaminibus coërcere. Sin arteria, è duobus alterum facies, uel funiculo circũducto, uel toto præciso conceptaculo, sanguinis effusionẽ cohibebis. Filum quandoq; magnis etiã uenis circumponere, quemadmodum & dis-

ſecare interdum totas tranſuerſim nimirum cogimur. In hanc neceſsitatē deuenies in his uenis, quæ rectæ è profundiore corporis loco ueniunt, præſertim per anguſtias loci, uel principes particulas. Sic enim pars utrinq; repellitur, & uulnus à corporibus adiacentibus premitur, & contegitur. Tutius uerò fuerit utrumq; facere, funiculum quidem uaſis radici circumponere: quod autem inde profertur, amputare. Hæc ubi ſic perpetrata ſunt, uulnus quamprimum fieri poteſt, carne repleto, priuſquam conceptaculi uinculum decidat. Nam ſi protinus carne impleatur, locus uerò alibi uacuus offendatur, malum quod Græci aneuryſma nominãt, oboritur. Diſcernes autem, uená ne an arteria ſanguinē fundat, quod arteriæ ſanguis flauior & tenuior eſſe conſueuit, et cum pulſibus exhauritur. Venæ autem ſanguis atrior, & ſine pulſu. Omnium igitur, quæ nouimus, medicamentorum ad incarnationē optimum eſt, quo etiam aduerſus ſanguinis membranarũ cerebri eruptiones tutiſsimè utimur, aduerſusq; ceruicis uulnera, et ad iugulares colli uenas. nam harũ quoq;, nullo adhibito funiculo, ſanguinem compeſcit: Accipit autē thuris pinguiſsimi partem unam, aloës in delicatioribus quidē corporibus partem dimidiatam, in durioribus uerò tantundem: & thuris præterea loco, pollinis eiuſdem æquale pondus, cũ oui albugine ad mellis conſiſtentiam ſubiges: poſtea leporinis pilis mollioribus excipito, inde uaſi & hulceri uniuerſo liberalius imponito. Deligetur autem foris faſcia ex lino, cuius primæ nexuum reuolutiones quatuor aut quinque, ipſi uaſculo unde ſanguis erũpit, iniјcientur. Poſtea uerò ad radicē ipſius nexibus deuolutis diſtribuentur. Deinde ubi tertio die ſoluerimus, ſi quidem medicamentum hulceri etiãdum ſolidè adhæſerit, nouũ rurſus orbiculatim ſuperaccommodabimus, & madefacientes, contegẽtesq;, haud aliter ac prius faſciabimus. Quod ſi primũ linamentum reiectum ſponte exciderit, leuiter ſummis digitis cõceptaculi radicē premendo, ne quid influat, illud quidē ſen-

ſum detrahe, ſed alterũ applica, ab hoc curãdi ordine nunquã recedens, donec carne expleatur conceptaculũ, ſemper membrũ in accliui figura ſine dolore ſeruãdo. Cæterùm quæ cruſtas pariunt, glabriorẽ magis, q̃ ſecundum naturam fuerit, delapſa cruſtula partem efficiunt. Pleroſq; ex ijs quib. cruſta decidit, difficulter cõpeſcibilis ſecuta eſt ſanguinis eruptio: utendum tamen eſt illis, cum ingens urget neceßitas. Extremã autem neceßitatẽ utendi medicaminib. cruſtam inducentibus, uel cauterijs candentibus, cenſeo, cum ex eroſione putredinẽ reſipiſcente ſanguinis profluuiũ oboritur. Vbi in id genus affectibus, totum quod putredinẽ ſenſit, exciderimus, minore cum diſcrimine, aut ipſius ueluti radicem deurere, aut remedijs incruſtandi naturam tenentib. uti licebit. id uerò in uerendis et ano potißimũ ſolet contingere. Scopus uerò medicamentorũ cruſtas inducentiũ erit, cum ſtipticitate caliditas, perinde atq; in chalcitide, miſyi, et atramẽto ſutorio exiſtit. Sed quæ è calce uiua conſtant, his uehementiora quidẽ ſunt: ſed quoniam conſtringendi uirtute calx deſtituitur, cruſtæ citius ipſorũ applicatione decidũt. Præſtaret autem ut manerent diutius: feſtinat quippe caro ad baſim ipſam ſupercreſcere, & tanquam operculum uaſis promanantibus effici. Cæterũ eiuſmodi ſanguinis profluuium, iſatis ſatiua ſi inſpergatur, eximiè compeſcit, uel gallæ toſtæ: expedit autem cauteria ignita aceto uel uino extinguere. In ſumma, ſanguinis profluuia ſupprimunt, incõpoſita quidẽ, aloe, thus, manna, Samius aſter, ærugo ferri, lanarum ſimiliter crematarũ læuigatißimus cinis, ſtercus aſini & equi, malicoria, diphryges, galla, myrtus arida, alumẽ omne genus, tum crudum, tum combuſtum, colophonia, uitis cortex, uel folia arida platanorum, galbulorum puluiſculus tenuißimus, præſertim cum humorem concretũ abiecerint. Priuatim uerò narium ſanguinis profluuia impoſitu ſiſtũt, iunci marini ſemen, foliorũ urticæ ſuccus, chalcitis, ſolaſtrum deuſtum, pili leporis, ferulæ dimidium crematum cum aceto, aſininum

stercus siccum aut humidum, succus porri cum thure elychnio exceptus. Composita autem cuiuslibet sanguinis profluuij remedia hæc sunt: Spōgiam recentē liquida pice imbutā, & bitumine circumlitam in olla recēti combure: cineris uerò partibus duabus misceātur plumbi, & stibij, singulorum pars una. Aliud: Thuris, mannæ, sulphuris uiui æquas partes insere. Aliud: Chalcitidis drachmæ octo, thuris uel mannæ sedecim, resinæ frictæ octo, gypsi deusti tantundem. Aliud crustas generans, sanguinemq; cōpescens: Chalcitidis, æris tosti, atramēti sutorij, misyos assati partes æquales. Ad hæc, Rhodia cognomento, & Xanthe, sanguinem optimè cohercent.

De neruis sauciis. Cap. 54.

NErui saucij, uel puncti, ob sentiendi, qua præditi sunt, excellentiam, inflammationem doloremq; immensum experiuntur. Proinde febres & conuulsiones ipsis superueniunt: nonnullis uerò deliria, propter neruorum ad cerebrum continuitatem. Verùm quandoq; in alijs etiam uicinis uulnerato membro locis, inflammationes & abscessus secundum neruū uulneratum, ob commerciū quod cum ipsis obtinet, oriri assolent. Cutis itaq; uulnus nullo glutine commissum, diductumq;, quo per id sanies excernatur, seruandum est. At si punctus in altum, ita ut in conspectum non ueniant, descenderint, duplici sectione et decußi se mutuò secāte opus est. Sed quod ad opis ferendæ attinet iudiciū, si corpus deprauatis succis infartum sit, inflammatioq; magna affuerit, protinus à sanguinis detractione medendi inchoanda est ratio. Si uerò uitiosis scateat humoribus, medicamēto etiam purgāte utendum. Pharmaca aūt uulneri adhibeātur, quæ dolorē sopiūt, et aperiēdo saniei emissarium promoueant, non facta præsertim dissectione. Aquam proinde calidam cæteris quidē inflammationibus utilißimā, scito uulneratis neruis esse quàm infestißimā. Satius ergo fue[illegible] neruos ictos oleo tenui, adstrictione prorsus carente, ad sen[illegible]lido perfundere. Nec enim frigidū, neq; etiā tepidum

adeò

adeò innoxiũ est. Cæterum ex medicamẽtis, resina terebinthina accõmodatissima est, per se quidẽ cùm pueris, tũ fœminis, et carne mollicula præditis: eliquata uerò cũ euphorbio, in carne durioribus. Et si quando duriora obuenerint corpora, cum oleo quopiam tenuiũ partium macerata. Si nerui inflammatione conflictentur, & putredinẽ sentiant: cataplasmatis hordeaceam habentibus farinam, aut fabaceã, aut eruaceã in lixiuio stillatitio cum oxymelite coctã, utendum. Citra cocturã uerò, in puncturis cerato etiã eiusmodi quis utatur: ceræ uncias treis, euphorbij unciam, uel stercus columbinũ: in duriusculis carne corporibus, olei uncias duas, & terebinthinæ nõnunquam unciã. Emplastri uerò instar remedium efficies, si in euphorbij unciam, ceræ, colophoniæ, olei & picis pinguis, singulorum selibram inijcies: uerùm si resinæ loco propolim pinguissimam indideris, reddes id præstantius. Ad punctos sanè neruos illud excellens est, conferens etiam ictibus rabidorum: Aceti sextarium, picis pinguis libram, opopanacis quadrantem. Opopanacem solutum aceto, amplius læuigato, et picem eliquatam decoquito. Hoc neruorum puncturis expedienti est præsidio, non permittens puncturæ os conniuere, ueluti neque rabiosorum morsuum hulcus cicatricem ducere: sed duris duntaxat prodest corporibus. Sin uerò in pueris, aut mollioris carunculæ hominibus punctis uti uelis, liquefaciendum est aliquo discutiente medicamento: uerbi causa, amaracino, uel opobalsamo, uel oleo ueteri. Cõuenit etiã medicamentũ Basilicũ, quod nitrũ aut calcem uiuã, aut euphorbiũ, aut sulphur igne intactum, aut syluestris palumbi fimum, aut opopanacẽ, aut sagapenum, aut succum Cyrenaicum, aut castoriũ continet. In libram uerò medicaminis, dictorum alicuius unciam conijcito. Conducit autem ad neruos uulneratos optimè, in primisq; compunctos. Poterit autem quispiam ruri, nullo horũ ad manũ existente, propolim recentẽ & pinguem uulneri imponere, uel fermentũ, præsertim antiquũ, per se, aut cũ propoli

mixtum, uel unà cum ſucco tithymalli. Cataplaſmatis præterea ex oxymelite, uel lixiuio ſtillatitio, cum farina fabacea, aut eruina, aut ciceris, aut lupinorũ amarorũ, aut hordeacea, aut tenuiſsimo farinæ polline: nõ ſolũ cũ inflammationẽ experiũtur, uerùm ab ipſo cõfeſtim initio, utitor. Cataplaſmata uerò relaxãtia, in neruorũ uulnerib. ſemper uitẽtur. Quod ſi non pũctim neruus, ſed cæſim euidẽti diuiſione ſauciatus fuerit, ita ut præiacẽte etiã cute diuiſa, neruus nudus et rectus appareat, minimè aũt trãſuerſim diſſectus, prædictorũ ex euphorbio & alio tãtæ acredinis medicamine nullo uteris. nudatus quandoquidẽ neruus, uehementiorẽ ipſorũ uiolentiã non feret. Calcẽ itaq; aſſumes, iterũ atq; iterũ tempore calido ablutã, et liberaliore oleo irrigatã. Vtilis etiã cõfectio ex põpholyge, necnon ex melle contexta, in roſaceo multo eliquata. Neq; uel tantillũ ex his uulnerationem cõtingat, cautio eſt. quoniã plurimũ ſub ſenſum uenit neruus, & eſt tẽperatura frigidus, ac ſummo primarũ partiũ principi cõtinuus. Quin ne oleo quidẽ id genus hulceris, quoniã cõtaminatur inde, aſpergendũ eſt. Sanies ergo tantũ nucleari ſpecillo, lana molliore implicato, abſtergẽda eſt. Omnibus uerò ex animi ſentẽtia ſuccedentibus, citra periculũ datur paſſo madefacere. Atqui in fortioribus: Polyidæ etiã paſtillo cũ defruto calido, linamento diſcerpto illito utere. Vbi uerò neruũ denudatũ contexeris, linteola diſcerpta foris adhibẽda ſunt, aliquo eorũ quæ ad anguſta uulnera conducũt adiecto: uerbi cauſa, medicamine ex euphorbio, aut ex ſtercore columbino, ita ut ampliter ſanas etiã partes amplectatur. Si uerò uulneratio per tranſuerſum fuerit, magis periculũ ſi obtegatur: uel maius conuulſionis periculũ imminet. Huic illiq; medendo eadẽ prorſus adhibẽda eſt curatio: etſi in uulneratione etiamdũ recẽte, cõſutionibus quidã uſi ſint, et glutinantibus quibuſdã medicamẽtis. Verùm oportet cõſutiones non admodũ ſuperficiarias moliri, ne profundiora incoalita dehiſcant: ſed altiores, rurſus obſeruando, ne neruum acu compungas.

compūgas. Scire uerò in uniuersum oportet in neruorū uulneribus, quod medela puncturis subueniens natura calidior, non potest nerui hiatum sanare: mordicationem enim ipsarum, & effrenem feruorem sustinere non possunt. Neque quicquid medicamenti diuisionibus subuenit, punctionibus statim congruit: quoniam uis eius altius non penetrat, quum arcta admodū existit cutis diuisio. Nutricatus hic tenuis esto, culcitra mollis: calidoq; oleo axillæ, caput, & ceruix perfundentur. Si crus, inguina, sumen, et finitima loca neruorū uulnera experiātur, ualeant in totū, usq; ad inflāmationis remissionem (cum aquæ attactus ipsis, ut dixi, infestus sit) balnea. Quoniam autem nonnulli propter solennē lauandi consuetudinē, lauacris abstinere non sustinent: siquidē membrum uulneratū fuerit manus, danda est opera pro uirili, ne hæc, aqua uel calida, uel multo magis gelida madefiat. Sin pedum uulnus exerceat, cum fieri nequeat, ut non irrigetur aut humectetur, sub balneum sauciæ pedis parti emplasticū aliquod medicamentū inducatur: foris insuper, multiplicatis linteis quamplurimis oleo madidatis muniatur. Iterū extrinsecus uinculum è linteo inijciatur, atq; post hæc rursum in balneo ligamentum oleo prius perfunde, iam ægro in solium descensuro: ubi lauerit, cuncta quæ adplicata fuerant porrice, uterisq; præscripta totius curationis regula. Contuso aūt solum neruo, si cutis simul cōtundatur et exhulceretur, appositū fuerit remedium ex farina fabacea, et oxymelite cataplasma. Licet etiam interdum erui farinam & iridis adijcere. Quod si cum contusione dolor infestet, picem liquidā admiscebis: sin cutis contusa nō sit, summū erit discussoriū, calido oleo, anethino inquā, aut rutaceo, aut irino, aut amaracino locū iugiter irrigare. Neruo aūt uniuerso prorsus dissecto, discriminis quidem nihil incumbit, sed membrū languidū et ignauum redditur. Huic uerò curatio cum alijs hulcerib. compar adhibeatur. Hactenus quidē de neruorū sauciorū, quæ simplicioribus adminiculis peragitur, curatione sufficiat. Nōnulli

uerò

uerò ex pluribus rebus cōpositis uti consueuerunt, qualia sunt è metallicis confecta, cognomento Barbara, & Cißinum, & quod ex senecione præparatur, & Melanchlorū, ipsaq; Indica, Harmonia, & Athene: quorum compositiones, utendi rationem septimo reperies uolumine. Quoniam autem locupletißimi quidam sumptuosis in neruorum uulneratione medicaminibus uti dignantur, Galenus ad punctiones neruorū huiusmodi tradidit: Cinnamomi, dictāni, fœniculi, uniuscuiusq; uncia, amaraci sextans, ceræ beßis, opobalsami dextans, resinæ terebinthinæ uncia. Aliud: Liquoris Cyrenaici uncia, ceræ quadrans, succi balsami libra. Facit ad neruos denudatos: Ceræ unguentariæ unciæ tres: unguenti spicati, aut phuliati, uel nardini unciæ duodecim: pompholygos, spicæ nardi, amomi, folij singulorum uncia. Atq; hæc quidem ad miraculum usq; pollere, Galenus ostendit.

Ad contractos seu ligatos articulos. Cap. 55.

ANcylas & ancyloses nuncupare solent articulorum detentiones ex redundantiū humorū infartura, uel neruea quadam tensione conflatas. In quibus emolliēdi & relaxandi uiribus præditis medicaminibus opus est. Communiter his remedia, quæ in membris scirrho infestatis, adhuc uerò magis, quæ de dissolutis enumerata sunt partibus, succurrunt. Priuatim uerò confert ex hydrelæo fotus, in quo cocta sunt semen lini, fœnogræcum, althæa, laurus, cucumeris syluestris radix, & ipsum quoq; sicyonium. Post hanc articulorū aspersionem adhibeantur acopa, primùm quidē simpliciore, ueluti sunt ex nigra populo, ex abiete, bromium, basilium, pyxis: post quæ etiam Aristophanium, & quod ad Azanitum. Vehementißima uerò sunt, Lisoponiū appellatū, & Pœcilum: & ex emplastris seminis roris marini, non modò Amythaonis, sed & Anicetum. Probatißimum uerò: Bdellij, adipis uitulini, guttæ ammoniacæ thymiamatis, ireos Illyricæ, singulorum drach. sedecim, opopanacis, galbani, styracis, thuris, uniuscuiusque drach.

drach. octo, piperis grana centum & sexaginta, ceræ libra dimidia, resinæ terebinthinæ tantundē, fecis irini quantum sa tis est, uini quod sufficit. Tusile est medicamentum. Probatur etiã non contusum (aut laßitudinem tollens) dilutum irino, uel cyprino, uel laurino. Inter acopa uerò et emplastra numerantur ex petasone polymagmatum. Cæterùm acoporum usus cum molli et constanti frictione adhibebitur, facto prius periculo, nunquid flecti extendiq; poßit affectus articulus.

De laxatis artubus. Cap. 56.

IN diuturnis quæ cum febre sunt morbis, & in colicis, paralyticisq; ægritudinibus, articuli sæpenumero relaxati flaccescunt, maximè si calidior ipsos & humidior intemperies occupauerit: hinc etiam motio impeditur. Quibus acaciæ succus aqua dilutus, & fotu adhibitus, congruit: uel rubi, uel myrti, uel lentisci, uel ulmi radicum corticis decoctum, uel malicoria cataplasmatis modo impacta, uel myrti folia unà cum cerato myrteo imposita. Robur quippe neruorum nexibus est inducendum, cũ stipandi & arefaciendi uirtute prædita materia. Huius itaq; farinæ artubus medicamenta sunt adhibenda, cuiusmodi ex salicibus constituitur, & oxyra, & phœnicina, quæ uino astringẽte, uel aceto constat. Permulti uerò ex algore istiusmodi languorem creari autumantes, calidioribus usi adminiculis, detrimentum multo acerbius intulerunt.

De lumbricis. Cap. 57.

TRes sunt omnes lumbricorum differentiæ: una quidē, tereti forma secundum craßitudinem est: altera uerò latiore, unde latos nominant: tertia, eorum quos ascaridas nuncupãt. Omnium uerò generũ origo ex cruda, crassa, pituitosaq; materia, & putrefactioni idonea est, cuiusmodi in pueris, & in alÿs, qui plenis faucibus auidè liguriunt, colligitur: nunquam autem à calida, acri, uel melancholica materia. nam hæ nutricãdi naturam supergressæ, ad lumbricorũ procreationē ineptæ redduntur. econtrario hos biliosa potißimũ excrementa interimunt, si quãdo unà cũ lũbricis flaua bilis, siue per infer

na,

na, siue etiam per uomitum excernatur, ipsos in intestinis consistere: biliosum uerò humorem, uel in ore uentris, uel in alio quopiam membro hærere scito. Singularũ itaq; differentiarũ specie, ortum, locum, notas, & curationem explicabimus, principium à tereti & rotunda sumentes.

De lumbricis teretibus ac rotundis.

Lumbrici igitur teretes formam nemini obscuram continent, quoniã hi reliquis frequẽtiores sunt: in gracilib. plerunque intestinis consistunt, & in superiorem uentriculum procurrunt: proinde per os non rarò eijciuntur, nonnullis uerò per nares. Quod quidem uermiũ genus infantibus, quàm cæteris, peculiarius, & magna quidẽ ex parte cũ febre existit. Verùm si circa febriũ principia proueniant, subsistentiã ex subiecta corruptione recipiunt. Circa summos uerò uigores, ex morbi malignitate. In declinatione aũt, totius in melius trãsmutatione. Tradit enim Hippocrates, bonũ esse lumbricos rotũdos ægrimonia ad iudicatoriũ tendente, progredi, qui ocyssimè etiã pereunt. Accidit uerò lũbricos teretes habẽtibus, morsus intestinorũ, et uentriculi, tusses non magnæ, aridæ, et irritantes: quibusdam etiam singultus: dormientes palpitant, et sine ratione experrecti eriguntur. Nonnulli cum uociferatione expergiscũtur, sed rursus in soporẽ prosternuntur. Pulsus inæquales sunt, et augentur febres absq; ordine, quæ cum extremarum partiũ algore, ter quaterúe interdiu uel noctu præter rationẽ inuadunt. Infantes superuacuè mandent, et linguã temerè exerũt, dentibus stridẽt, oculis conniuẽt, silentiũ amant, excitãtibus indignantur, oculi apparẽt, suffundũtur malæ rubore, atq; rursus mutato colore liuescũt: atq; hæc quidem per exigua interualla. Quibusdã ad uentriculũ procurrunt, nauseãq; et morsum efficiũt: cibũq; laborantes auersantur, coacti uerò nauseabũdi uix deglutiunt: et si quid sumpserint, euomũt. Non paucis uerò uenter etiã multas esculentorũ corruptiones excernit, atq; tympani instar inflatur. Reliquum uerò corpus præter rationẽ tabescit, neq; fame, neq; ulla euacuatiõe immoderata

derata admissa. Cæterũ nõ in omnib. omnia prædicta sunt singulatim inquirẽda indicia, sed quæ principatũ tenẽt: aliquãdo uerò plurima. Accidũt hæc, cum animalia sese in intestinis circumuoluunt, et morsum inferunt, et febrilis ardor uapores ad cerebrum eleuat prauos, ex coaceruato in uentre putrido humore exhalãtes, in quib. partim quidem utrisq; iuxtà cùm febri, tum lumbricis prospiciendũ est: partim uerò febrim haud magnopere curãtes, prorsus expellere uentris animalia cõueniet. Pleriq; etenim cum lumbricos negligerẽt, corrosi ab ijsdem, conuulsiq;, extincti sunt. Nec desunt, qui asserunt se uidisse, per inguina languentis lũbricos prorepsisse. Expelles aũt ipsos, si prius enecaueris: enecãtur aũt præsidijs potissimũ amaris. Cum igitur quartanæ febris, et animaliũ uentris communis sit curatio, expedient præsidia simpliciora. Ius igitur chamæmelorũ, uel myxariorũ, ut uocãt, potui, uel ipsa myxaria decocta esui offerãtur: succus item sereos, aut coriandri semẽ, cum aqua calida, siue cũ posca, uel auriculæ muris herbæ decoctum, uel cornu ceruini ramentũ, uel etiam rubrica sinopis læuigatissima: olei præterea ex nondũ maturis oliuis expressi amari cochliaria duo paulatim absorbeantur. amarulentiæ namq; lumbricos perimunt, lubricitate uerò ipsos unà cum oletulo expellunt. Inflãmatione uerò distentioneq; uiscerũ exuperante, è semine lini & farina lolleacea, absinthio & bryoniæ radice utendum cataplasmate ex hydromelite, uel aspergine cum oleo chamæmelino, uino fructuq; absinthij, uel aloe præcordijs adplicata. Quũ febres nõ uehementer fatigãt, miscenda est myxarijs menta, atq; præbẽda. Quũ ad infebricitationem uentũ est, etiã efficaciora: uerbi causa, seriphij decoctũ, uel nepitæ, uel filicis, uel semẽ cardamomi, uel mali Punici acidi radicis ius ad tertias decoctum, uel fricti cymini, & nitri fului, uniuscuiusq; diobolos tres: uel sandonicũ, uel abrotonũ, uel utrũq; unà cũ melle catapotijs factis, uel lupinorũ amarorũ dioboli tres, aut brassicæ, aut erucæ semẽ cõtritũ, uel absinthium

thium, quod unum sæpius satis profuit. Exhibentur insuper aloes lotæ dioboli tres, quod ex his quæ probantur est nobilißimum: in robustioribus etiam, illota usurpatur. Quoniã aũt pueri aloen non admittunt, instrumento quo os diuaricatur, supinis fasciola ipsis uiolenter detentis, ore distento, per clysteridium quodpiam fistula nõ fragili munitum, inuitis aloen quanto plus fieri potest intimius transmissam inijciamus: quæ quidẽ admiranda curandi ratio puerorũ molestè aloen ferentium est, quibus sorbilia sæpe etiam numero alimenta, ceu ijs qui cibum respuunt, infundimus. Et Cyphi, & Masuaphium utiliter adhibetur. Cornu item ceruinum deustum, cum pipere & melle, uel oxymelite: & reliqua quoq; ex aceto mulso tentanda sunt. Præstat uerò, si scilliticum acetum fuerit, præsertim in adultioribus: uel sinapi, cũ olei et aceti cochliarij quantitate. Cæterũ quibus lumbricorum culpa fluore aluus perturbatur, his succus plantaginis propinandus est: uel ipsa etiam arida exhibẽda est plãtago. iuxtà namq; utriq; suppetias cùm defluxioni, tũ lumbricis contulerit. Cataplasmatis modo adglutinanda sunt, polenta hordeacea cruda, filix, absinthium, farina lupinorum, sandonicum, & abrotonum. Iam uerò malicoria quoque, acacia, galla, uel balaustium admisceantur. Quoniam uerò sæpe potionibus amaris offendũtur aliqui ex ijs quæ iampridẽ enumerauimus, haud euidenter amara exhibe. Adhæc etiam chamæpityn, marrubium, enulam campanam, baccas lauri, casiam, thymum, pulegium, carpesium, cyperum, polypodium, irin, cnicum, rubiam paßiuam, spinam Aegyptiam cum pipere, æquis portionibus pondo diobolorũ sex, uel decoctum mentæ, uel radicis mori succum, uel elixationem petroselini, & id genus alia fragrantia semina. Extrinsecus aloen cum melino, uinoq; adhibeto. hoc utiq; et appetitum excitat, qui summo uix studio reparatur. Admiscetur non rarò aloæ absinthium: uel umbilicus felle taurino, additis aliquibus amaris enumeratis expleatur; uel oleum rhododaphnes

phnes crebro illinetur: uel cedrius liquor priuatim, aut cum cerato uniuerso uentri inducatur: uel pix arida læuigata inspergatur: uel mentam, aut melanthium cum rosaceo adhibe: uel seriphij decoctum ipsis admisce, uel fraxini Persicæ folia contrita cataplasmate imponimus. Iam uerò medulla quoque ceruina unguinis modo circa umbilicum, abdomen, imum uentrem & lumbos utendum. Ceratum insuper illud, si res poscere uidebitur, applicabimus: Aloes, absinthij, farinæ lupinorũ, seriphij, nigellæ, uniuscuiusq; diobolos sex, ceræ unciam unã & dimidiam, chamæmelini quantum satis est, felle taurino læuigantur quæ sunt arida. Mulsa porrò subinde est immittenda, ut dulcore mellis inescata eadẽ uentris animantia, subducantur per inferna. Atqui si iam putrefacti in profundo, nõ excernantur, sed magis euaporationes ab eis exurgant, sunt uel aloes potu, uel ex hac medicamento amaro subducendi: quandoquidem etiam ipsis neutiquam inutilis mediocris alui est subductio.

De tæneis lumbricis latis.

Latus lumbricus est, intraneæ succingentis intestina membranæ, in corpus quoddam instar animalis mobile (ut ita dicam) permutatio, quod per partes interdum redditur, plerunq; totum simul excernitur, incredibilem longitudinis speciem exhibens: dissolutus uerò non coalescit. Abundat quandoq; in non febrientibus, quandoq; febricitantibus per diuturnas ægritudines accidit, continuos stomachi morsus inferens, appetitusq; ad cibos intemperatos. Quod enim animatum est in intestinis animal, escam ita obiectam deuorat, ut confestim alia opus sit: quæ nisi præstò sit, arrodit intestina. Comitatur affectus corporis gracilitas, & pulsus imbecillitas cum inæqualitate. Infallacissimum autem indicium est, si cum alui excremẽtis quædã semini cucurbitæ similia excernantur. Curatio cum superiore concordat. propinationes enim acres, & alliorum esus, conueniunt: filicis item, uel centaurij decoctio

pota, & aluo cœnemate immissa: aut nepitæ, uel dictamni, aut pulegij. Infundēda insuper ab infernis partibus interdum muria. Propinato etiã illud, quod neq; his qui alijs lumbricis conturbantur inutile, potissimè si liberi à febre fuerint: Nitri rubei, piperis, cardamomi, par modus, exhibentur dioboli tres in uino, aquá ue calida. Alius linctus: Piperis, baccarum lauri purgatarũ, cymini Aethiopici, mastiches, par pondus, mellis quantum satis est, præbetur cochliarium unum, mane, & noctu somnũ inituro. Quod si id efficacius reddere uolueris, nitri quoque rufi tantundem adijce. Aliter: Enulæ campanæ, ammoniaci thymiamatis, piperis, aliàs filicis, singulorum drach. quinque cum oxymelite calido. Per interualla potui dato euphorbij drachmam, uel geminas ætate prouectioribus. Aliud: Filicis acetabulum, nitri drach. duæ, cochleare unum aquæ præbeto, iam antea euocato. Præstantius redditur adiecto scammoniæ momento. Aliud: Mali granati acidi radicum corticis, extima semota parte, drach. quatuor. piperis tãtundem, cardamomi drach. sex, marrubij duæ, in melle ei qui prius porrum sumpserit, exhibentur. Cæterum quo æger exactè à morbo uindicetur, theriacen, nisi uehemens febricula uetet, porrigito.

De ascaridibus. Cap. 58.

Ascarides etiam, ceu modò demonstratum, lumbricorũ species sunt, uermibus persimiles, qui in extremo intestini recti & musculi anum stringentis initio (sphinctere Græcis appellato) cõsistunt, uehementem his partibus pruritum inferentes. Quæ uentris animalium species, ex prauis alimentis, frigedine, ciborumq; corruptione prouenit. Euacuãdi sunt itaq;, in pueris glandibus ex melle, cum salis momento, aut nitri. in natu grandioribus, ex acri muria, uel centaurij decocto cum nitro & melle: uel colocynthidis, aut absinthij, uel chamæleontis, uel anchusæ, uel cnici, uel hyssopi, uel pulegij, uel nepitæ, uel lupinorũ decocto. Post clysteres rectum intestinũ subungendum

ungendum est, simplicibus quidē acacia, hypocystidéue, addito nitro, uel rhu Syriaco cum liquido alumine. Sed quorum aluus astrictior est, lemnio sigillo cum uino. Compositis uerò, Andronis pastillo, atq; id genus alijs. Liquor præterea cedrinus per clysterem multis foraminibus terebratum (cuius sunt modi, quæ metrenchyte nomē habent) discutiendus est: uel carnem salitam scitè adaptatam podici intrudemus, ligamentoq; adhibito, quàm longo subsistere poßit tempore sinemus, atq; hoc ipsum identidem repetemus. In uniuersum, omnes qui lumbricis infestantur, ichneumonis pili iuuant suffiti. Alimenta præbeantur probi succi, & quæ facilè in membra distribuantur: nec lumbricorum effectricem materiam accumulant, neque corporis robur labefactari permittunt. Proinde uinum exhibebimus ualde aquosum. Crebrius uerò cibaria ob hoc ipsum affectis largius præbeto, ne nutrimento destituti lumbrici, morsibus impetant. potißimum autem alendi tempus, cum nondum inaniti copiam adhuc alimoniæ habent. Quod si profluuium uentris adsit, sciendum est lumbricos magis redundare edulijs non distributis. Et iam sorbiles ægrotantibus dapes ministrare conuenit, adiectis quibusdam etiam adstringentib. quale est pyrum, aut pomum cotonium, aut malum Punicum, præsertim acidum. Foris autem uentri remedia, quæ alui retrimenta adstringunt, sunt applicanda, quorum sylua superius est enumerata.

De dracunculis. Cap. 59.

IN India, regionibusq; supra Ægyptum animalcula quædā uiua lumbricis similia, dracontia ab animalis specie nūcupata, in musculosis corporis partibus, puta brachijs, cruribus, suris: in pueris etiam in lateribus sub cute consistunt, aperteq; mouentur: deinde ubi diutius extremum aliquod dracontij remanserit, locus suppurat, & aperta cute foris progreditur dracontij principium. Si trahatur, cruciatus excitat, maximè quando disrumpitur. Cuius ergo laminam plumbi appenden-

dam dracontio quidam affirmant, ne uniuersim, sed particulatim graui plumbi pondere decidat. Alij uerò eam curandi *rationem damnantes, propterea quod nihilominus grauitate plumbi dracontium abrumpatur, grauioresq́; dolores concitet, præcipiunt membrum in aquam calidam immergendum, quo dracontium percalfactum foras prodeat, mox digitulis membratim extrahendum.* Soranus *autem non animal planè principium, sed neruuli alicuius substantiam dracontium esse autumat, opinionem duntaxat animalis, eo quod moueatur, inducentis.* Cæterum *siue hoc, siue illud, cuius superius mentio facta est, fuerit: cùm* Sorano, *tum* Leonidæ, *tum etiam cæteris uisum est, in his fotu calido, cataplasmatisq́; maturantibus esse utendum, nempe ex melicrato, farina triticea, aut hordeacea concinnatis.* Emplastri *præterea eiusdem facultatis usum interdum approbant.* Ex *re porrò usuq́; erit confectura è baccis lauri, et quæ* ex *melle conficitur adhibita.* Ex *horũ nanq; remediorum usu extincta iam dracontia, quod cõtinetur corpusculum excidit.* Suppuratione *autẽ facta, nisi exciderit, diuide cutem, & parte denudata, quod continetur auferto, insinuatisq́; cuti linamentis, consentaneam puris opificem curandi rationem deinceps aggreditor.*

LIBRI QVARTI FINIS.

HYPOTHESIS LIBRI QVINTI.

In hoc uolumine operis uniuersi quinto, de theriacis & alexipharmacis, eo qui subiicitur ordine tractabitur.

CAPITA LIBRI QVINTI.

De sco-

FINIS.

PAVLI AEGINETAE
LIBER QVINTVS, ALBANO Torino interprete.

Quomodo quis se ab omnibus communiter uirus eiaculantibus uindicet. Cap. I.


E feris uenenum iaculantibus tractaturi, ab ijs quæ in omnibus eiusmodi communiter cõferũt, exorsi, præcautiones primùm quib. se ab illarum iniuria quis tueatur, exequemur. Quocirca si urgente aliqua necessitate, somnum capere alicui, in locis ubi uenenatæ complures bestiolæ diuersari consueuerunt, contigerit, præsertim ubi salamãdræ, aut phalangia, uel serpentes aliqui magna copia degunt, obturanda sunt ferarum lustra allio cum aqua contuso, uel alia quadam ex his de quibus agemus, herbula. Adolenda sunt suffitus gratia cornua cerui, ungulæ caprarum, aut pili, gagates lapis, bitumen, bdellium, galbanum, cupreßi uel cedri scobes, nigella, peucedanum, uiticis folia, nepita, sagapenum, castorium, radix roris marini cachryn ferentis, conyza, uel aliquid id genus aliud tetrum odorem spirans. Culices autẽ peculiariter arcent, suffitus ex atramenti sutorij, nigellæ syluestris seminis cymini portionibus æquis, & stercus bubulum: adhæc etiam crebrior ignis accensus: magna etenim ex parte bestiolæ ignis splendorem fugiunt. Substernenda est culcitra: ex albuco, nepita, uitice, pulegio, polio, conyza, abrotono. At si totius huiusmodi culcitræ usus non datur, imponenda saltem sunt stratui. Attendere item animum oportet esculentis, quæ coctionẽ experiuntur, aquis, uasisq; uinarijs, ut accuratè semper cooperiantur. Focus autem sub arboribus quibusdam non instruetur, maximè sub picea, aut pinu: in his enimuero salamandræ aut bruchi pestilentes scatent, qui quum aliquẽ ignis teporem senserint, decidunt in fercula, uel in alias patellas, si casu

si casu non fuerint operculata. Sed quæ adhuc tutius seruare studemus, eius cerotam liquidiorem illinemus, ex cera & rosaceo, et galbani momento, & ramento, cornu ceruini modico, aut cymino quoq; Aethiopico. Ab apibus uerò & crabronibus compungi prohibent folia maluæ, oleo læuigata, & illita.

Communis omnium qui uirulenti animalis morsu punctu ue læsi sunt, curatio. Cap. 2.

QVod si contingat ab animante quopiam uirus iaciente, percuti aliquem, aut morderi, actutum exuctu utendum est. Qui exuctionis munus obit, ieiunus non sit, sed uino etiã os colluat, & oleum in eo contineat: deinde loco admittente, cucurbitulam cum plurima flamma ad morsum adhibe, proximaq; loca scarificato: uirus nanq; cũ flatus ac sanguinis attractione iuxtà educitur. Inurere uerò morsus, & ad crustã producere, adeoq; amputare expedit, si morsus feræ letalis sit: ut aspidis, cerastæ, uiperæ, et consimiliũ. quemadmodũ Galenus memorat, uinitorẽ quempiã morsu à uipera petitum, ubi animantis naturam cognitam haberet, falce protinus digitũ cõmmorsum amputasse, periculũ omnino euasisse. Quod si uirus iã corpus subierit, sanguinis detractione quamcelerrimè utendũ est, præsertim si morsus omnibus pariter humoribus scatere uideatur. Cũ cibo edendũ piper et alliũ præbeto. Potui uinũ potens, quo recẽtibus uaporibus, caloreq; naturæ cõgruo corpus repleatur. Post hæc cataplasma quod uulnus calfacere et exhulcerare possit, inducatur: cuiusmodi est cinis brassicæ, aut fici arboris aceto mixtus, aut lixiuio stillaticio, uel garo, et cæpe cũ polẽta, panéue, et porri plurimũ cũ sale, uel pix liquida cum sale calida, aut cedro, aut recremento caprarũ. Competit præterea ipsis conspersio aceti calidi, in quo nepita elixa sit, uel ex aceto & aqua marina, uel oxalme. Locis insuper ictis gallinæ superimponantur, & potius galli gallinacei, aliáue animalia per mediũ dissecta calida: uirus nanq; exugũt, et dolores leniunt. Vtendum et medicamentis emplasticis, ex sale & rore marino, atque adarce, & in totum quæ acrioris sin

potentiæ. Cæterum omnibus cõmuniter morsicatim pũctimq; à bestia uirulenta petitis, nisi partes profundiores nõ omnino inoffensæ uideantur, ex uino propinanda seris est, uel erice, uel astragalus cum aceto, siue bitumen, paliurus similiter, aut rhu ueteris decoctum: uel mustelæ inueteratæ drachmæ duæ ex uino sumptæ, omnium ore probantur: uel testudinis marinæ sanguis, uel castorij drachma, addito uino nimiũ diluto, uel libanotidis drachma, uel sicyoniæ radicis aut porri cremor, uel chamæpitys, uel smyrnium, uel cinnamomum, uel aristolochia, uel uiticis semẽ, uel galbuli cupreßi, uel seseli, uel piper, uel trifolij semẽ, uel baccæ lauri, uel cãcri fluuiatiles tã tosti quàm elixi. Vtilis ad hæc theriace composita est eiusmodi.

Theriace aduersus uenena, herbas toxicas, morsus uiperarum, ictusq; scorpionum.

Bryoniæ, opopanacis, iridis Illyricæ, roris marini radicis, zingiberis, singulorum drach. quatuor, aristolochiæ quinque: thuris, rutæ syluestris, uniuscuiusque tres, farinæ eruaceæ duas, uino redige in pastillos, & cum uino porrige triobolũ. Purgatio deniq; omnibus proderit, & sudoris proritationes, & theriace, quæ ex uiperarum carnibus constituitur.

De rabiosi canis morsu, & aquæ metu. Cap. 3.

SVper rabiosi canis morsu præ cæteris sermonẽ facere maluimus, quoniam id animantis frequens & cõtubernale est, rabieq; concitatur identidem, & uitatu perdifficile, & periculum ex eo fit ineuitabile, nisi quis ope multa, atq; ad hanc rẽ factis utatur præsidijs. Corripiuntur autẽ rabie canes in uehementiori æstu potißimè: sed ut Lycus memoria prodidit, interdum etiam per intensißima frigora. Rabidi autẽ cùm esculenta, tum poculenta auersantur: sitibundi quidem sunt, potare tamen nolunt, anhelant quamplurimum, auriculas demittunt, sputum largum atq; spumosum eiectant, & sine uoce atq; amentes redduntur, adeò ut ne domesticos quidem agnoscant. Irruunt sine latratu in omnes, feras pariter ac homines, &

nullo

nullo discrimine mordent. Vbi momorderint, nihil infestum primò, nisi pro uulneris ratione dolorem afferunt: temporis autem progressu morbum, quem Græci hydrophobiã, id est, aquæ timorem adpellant, inferunt: qui cum neruorum conuulsione, rubore totius corporis, maximè uerò uultus, cum sudore, languore, suiq; et suorum ignorantia euenit. Fugiunt aquã intuentes, admonitiq; alij humorem prorsus omnem auersantur. Sunt qui canum instar latratus edunt, & interuenientes mordificatim impetunt, mordicibus' que suis in alios eiusdem rabiei causam transferunt. Aliorum porrò symptomatũ causa manifesta est, ubi uirus scilicet uniuersas corporis partes occupauerit. Formidinem autem aquæ, nonnulli quidem ariditati immensæ adscribendam censuerunt, quasi in contrariũ habitum mutata penitus eorum substantia. At Ruphus insaniæ ex atra bile genus id esse testatus est, quod id uidelicet uirus illum æmuletur humorem, haud aliter quàm alios atra bile insanientes nouimus alia timere, quæ utiq; causa nihil discrepat ab ijs qui perhibent canis, à quo demorsi sint, spectrum in aquis opinari se cernere. Eorum uerò qui ad id peruenerunt malum, neminem nouimus seruatum, dempto ex historia uno aut altero: eosq; non à rabido cane morsos, sed à morso homine mordicus petitos. Verùm ante huius affectionis occupationem, non pauci etiam à canibus morsi sospitatem recuperauerunt. Hinc itaq; auspicanda est curatio. Sed quoniam frequentißimè eo quod non confestim hydrophobica corripit afflictio (plerunq; etenim post quadragesimum à morsu diem solet ingruere, quibusdam uerò post sex menses, alijs fertur etiam post septem) nonnulli canem qui momorderit non fuisse rabie percitum arbitrati sunt, & proinde cicatricem hulceri inducere festinauerunt, atq; hoc pacto ipsimet huius affectionis autores fuerunt. Proinde huiusmodi usus experimento facilè deprehẽdes, morsus rabiosi canis fuerit nec ne: Nuces iuglandes accuratè tritas cataplasmatis instar hulceri adglutinato. Po-

stera die, demptas gallinaceo, gallinæ ue in cibo obijci, primũ quidem non attingent: fame aũt preßi, si uorauerint, curiosius attendito. enimuero si canis qui momordit, nõ rabierit, superstites euadent: sin rabie percitus fuerit, mortem obibunt postri die, tunc ad uulneris dilatationem maturandũ est. Eadẽq; probatio post paucos dies iterum tentanda. & siquidẽ non interierit gallinaceus, tum hulceri cicatricem inducito, nihil formidans periculi. Huius igitur indicationis autor fuit Oribasius. Quod si ex prædictis notis rabire canẽ exactè cognouerimus, medicamẽtis aperiendi facultate præditis repentè utemur. Ex aperiuntibus itaq; primũ honorẽ habet, quod è pice acetoq; austerißimo, necnon opopanace conficitur. de quo in capite de neruorum uulneratione disseruimus. Porrò si morsus teneriore cuticula præditus sit, diluendum est ipsum irino, seu balsamo, uel alio quopiam eiusmodi. Vel hulcera prius fota, allio obstruantur. Hic etiam puluis crustam inducit.

Aridum rabidi canis morsui crustam inducens.

Salis fosßilis drach. octo, chalcitidis sedecim, scillæ tantundẽ, rutæ uiridis quatuor, æruginis rasæ totidẽ, seminis marrubij unã. utere primitus arido, quo crusta inducatur: deinde cum rosaceo, ut excidant crustæ. Custodiantur aũt partes affectæ, ne cicatricescant, dies ut minimũ quadraginta duos.

Cataplasma quod in rabidi canis morsu os hulceris diductum seruat.

Cæpam cum sale & ruta more cataplasmatis applicato, uel laserpitiũ cũ sale, uel salsamentũ uetus, uel cinis sarmentorum cum oleo, uel allia, uel sambuci folia, mentáue, seu apiastrum quodlibet per se, uel adiecto sale: uel iuglãdes cũ cæpa, sale & melle, aut cinis ficuũ, cerato exceptus. Abluendũ uerò hulcus aqua, in qua chamæmelũ syluestrisq; rumicis radix elixa sint. Nec desunt qui causterijs etiã ferreis hulcus adurũt. Potionandi sunt affecti, ex simplicibus quidẽ lycio, absinthio, succo laserpitij, et trixaginis, scordio et polio. Ex cõpositis uerò, Cancrorũ fluuiatilium, malleolorum uitis cãdidæ in uase Cyprio aut

æneo tostorum cochliaria duo, gẽtianæ radicis læuigatæ cochliariũ, cũ uini meraci ueteris cyathis duobus, potui per quatriduũ præbeto. Quidã sanguinis perdicũ cochliaria duo porrigunt. Ceterũ cancri luna crescẽte sunt capiẽdi, priusquã sol exoriatur. His qui eodẽ die potionem intermiserint, duplã postea portionẽ, aut triplã interdũ præbeto. Quinetiã ex uiperis theriaca magna cõmoditate exhibetur. Purgãdi aũt sunt quotidie medicamẽto ex sicyonia, cũ saluiæ decocto, aut sideritidis Heracleæ, quam aliàs dialyson uocant, propinato. Sunt qui canis qui morsum intulerit, hepar ad edendum exhibent. Porrò uictus ratio eiusmodi obseruanda est, quæ ueneni uiolentiã pariter hebetet, ac extinguat, simul & penetrationẽ ad interiora prohibeat. Vtrũq; autẽ horum præstabit uini paßi meracioris, uetusti, purioris, lactisq; potus: consimiliter etiã allij, cæpis & porri esus. Si autẽ commemoratis remediorum adminiculis ob impedimentum aliquod ab ipso statim principio uti supersederit laborans, minimè permittendum est quo caro scalpello circuncidatur, aut cucurbitulæ apponantur, aut ulcus aduretur, quum uirus iam altius penetrauerit: sed metasyncriticis potius adpellatis medicaminibus utendũ, hydrophobica uidelicet affectione nõdũ oborta. Vincit purgatio ex hiera, et lacte scisso. Sudoris itẽ excitatio, dropacismus et sinapismus particulatim per totũ corpus adhibebitur. Efficacißimum tamẽ omniũ auxiliũ helleborismi frequẽtior usus deprehẽditur.

Aduersus non rabientium canum morsus. Cap. 4.

Morsus uerò canum nulla rabie percitorũ, quum & ipsi uenenosæ cuiusdã essentiæ sint cõpotes, protinus acetũ irrorantes, morsum expassa palma uerberato: deinde uerò nitrũ cũ aceto contritũ desuper ex alto destillabis, spõgiamq; nouã aceto, aut ipso acetoso nitro imbutã imponito per triduũ, idipsum irrigãs, malũ enim tandẽ discutit: uel eruaceã farinã oleo maceratam impingito: uel spongiã recentẽ, aut lanam succidã, aceto et oleo madefactã imponito. Vel rubi folia cũ aceto

contusa

contusa superinducito: aut cæpam cum melle subactam: uel origani coma, & sale, æquis portionibus cum melle: uel marrubium nigrum, quod & balloten nuncupant, cum sale. Feruidis iam mordicibus, plurimum contulerit, si eruinam farinã melle maceratam imposueris, quandoquidẽ peculiariter hisce prodesse creditur. Sed eis qui iam inflammationem experiuntur, spumam argenti aqua contritam inungito.

De uespis & apibus. Cap. 5.

A apibus percussos, dolor ictus comitatur, & rubor loci, cum tumore partium in ambitu sitarum, aculeus in loco percusso relinquitur. Eadem quos uespa pupugit concomitantur, sed intensiora, præterquam quòd spiculum uespa non relinquit. Succurritur autem utrisq;, si obliniatur locus luto, seu stercore bubulo, aut liquore ficulneo, uel sycamori folijs læuigatis, uel maluæ, aut etiam farina hordeacea cum aceto ut cataplasma impacta. Fouendus præterea locus muria, uel aqua murina est.

De phalangiis. Cap. 6.

PErcußis à phalangio locus quidem ipse quasi ab impacto aculeo rubescit: neq; intumescens tamen, neq; per ambitum calidus, sed mediocriter subrubidus, perfrictionibus horret, & pruriginosus est. Concomitatur à phalangijs percussos, frigiditas, tremor, totius corporis grauitas, sudor gelidus, dolor intensus, pallor, & continuus eijciendæ urinæ pruritus: quibusdam uerò eiusdem in expellendo difficultas, ueretri intensio, oculi humentes & lachrymosi, distentio rigorq; circa inguina & poplites, conuulsionibus non dißimilis, uellicatio stomachi uehementior, linguæ torpor, obscuritas'que, ut impeditus reddatur sermo, uomitiones aquarum, uel aranearum textis similium. Neq; desunt quibus per lotiũ aluumq; eadem feruntur. dimißi in aquam calidam, dolorẽ nullum sentiunt, mox ualidißimè dolitant. Præsidio est, forinsecus cinis ficulneus appositus, cũ sale trito in uino maceratus: uel radix syluestris mali

Punici

punici cõtrita, uel malũ terræ cũ farina hordei aceto immersum. Marina aqua calidiori fouẽda sunt hulcera, aut apiastrẽ decocto, cuius etiã folia pariter sunt modo emplastri inijcienda. Lauacris insuper freq̃ntibus indulgere utile est. Vtendum iã potionibus quæ ex abrotoni cõstãt semine, anetho, aristolochia, cicere syluestri, cymino Aethiopico, baccis cedrinis cõminutis, platani cortice, trifolij herbæ semine, et fructu myricæ: horũ uniuscuiusq; drach. duas cũ uini cyatho potui dato. Et uiridiũ cupreßi foliorũ galbulorũ decoctũ cũ uino tẽperatũ. Sunt qui cancrũ fluuiatilẽ in succũ redactũ, addito lacte & apij semine exhibitũ, præsentaneam opem conferre asserunt.

De araneæ ictu. Cap. 7.

Est quoddam etiam araneorum genus, quod ubi hominẽ pupugerit, ualidus circa medium præcordiorum labor excitatur: rubor itidẽ, et lotij expellendi difficultas sequitur, quandoq; etiã suffocatio quædam. Leuantur aũt icti hisce remedijs: Cymino syluestri Thebaico, uel uiticis semine, et populi albæ folijs epotis, uel allia sola sumpta, conferunt: uini insuper meracioris sorbitio ob omni periculo subtrahit.

De scorpionis ictu. Cap. 8.

Inflammari cõfestim à scorpij ictu percussuq; locus incipit, durusq; & ruber ac distentus, supraq; modum rigidus cũ dolore redditur, et nunc quidem feruor, mox etiam algor alternatim occupat: quandoq; sequitur dolor, qui itidem alternis nunc decrescit, mox iterum intẽditur. Accedit insuper sudor, horroris sensus, tremor, & extremarum corporis partium frigus, extolluntur inguina, ueretrum intenditur, sæpius item feruntur cum strepitu per sedem peditus, rigent pili, discolor redditur cutis, dolorq; tota percipitur cuti tanquam ex acu pungente. Succurrit quamprimum instillatus uulneri ficulneus cremor. Ipse etiã qui percußit, plaga sua dißipatus, attritusq;, & impositus scorpius. Post hæc sal tritus cum lini semine, & altheæ herbæ semen salubriter imponitur. Subuenit &

sulphur uiuū terebinthina resina exceptum. Prodest pariter et galbanū emplastelli more extēsum, et parti affectæ impositū: nepita quoq; læuigata, et cataplasmatis modo imposita: et hordeacea polēta uino confecta, et in rutæ decocto exhibita. Neq; minore efficacia succurrit semen trifolij herbæ, tritū uulneri inditū. Præterea potionandi sunt his satis efficacibus: Aristolochiæ drach. duabus, præcipuè corticis cū uino, gentiana tusa, pulegioq; ad summū elixato, lauri baccis numero decē læuigatis, et nepita diu multūq; cum posca elixa. Cyperis etiam cum uino sumpta. Similiter & ruta, et ficulneū lac, et laserpitij, si ad manū sit: si non sit, Parthico liquore utendū erit. Conducit ad hæc trifolij et ocymi semen in potu sumptum. Valet etiam argentum statim plagæ præter opinionem impositum. Omnibus his præualet lauacrorū cōtinuus cum multo sudore usus, temperatiq; nimia aqua uini meracior potus. Cōposita uerò in potu sumenda hæc sunt: Sulphuris uiui, Aegyptiæ fabæ quantitas cū piperis granis octo in dimidiata uini cotyla, uel succus laserpitij cum cancro læuigato in uino: aut nigellæ, cymini Aethiopici, uiticis semen, æquis cum uino partibus.

Aduersus scorpionum periculosorum et phalangiorū ictus.

Fecis drach. sedecim, pyrethri quatuor, seminis rutæ syluestris tres: castorij, erucæ seminis, singulorū duæ, excipiātur sanguine testudinis marinæ: Dentur oboli quatuor cum uini meraci, aceti'ue cyathis tribus. Aliud: Pyrethri, aristolochiæ cuiuslibet unciæ quatuor, piperis unciæ duæ, liquoris laserpitij drachma. Exhibeatur fabæ Ægyptiæ magnitudo.

De scolopendra terrestri & marina. Cap. 9.

COmmuniter aūt ijs quos scolopendra momordit, locus plagæ in orbem liuescit, & attollitur. Interdum fecis speciem preferēs, rariuscule rufus apparet, exhulceraturq; sumpto à morsu principio, hulcere quodā laborioso, et remedijs inuincibili. Adhæc uniuerso quoque corpore quasi pruriginis sensus percipitur. Peculiariter uerò his quos marina scolopēdra pupugit,

pugit, aquæ persimilis, et ueluti transparens quãdoq; insurgit tumor. Rubicundus aũt his, quos scolopẽdra terrestris sauciauerit. In horũ utriusq; igitur curatione, oportet circa morsum et plagam salem ex aceto tritum, aut cõcisam et læuigatã rutam imponere: uel cinerem aceto contritum & maceratũ: seu scillam. fouendus etiam oxalme locus est. Cæterũ Archigenes oleo largiore feruido, prædicta, eo quo dixi modo, imponere solebat. Potui uerò præbẽda est aristolochia cum uino, uel serpillum aut nepita, uel syluestris ruta, uel trifolium, uel succus radicis albuci, mensura dimidiatæ ferè heminæ cum uino.

Aduersus stellionis morsum. Cap. 10.

Sesamum contritum cataplasmatis modo imponitur.

De felis morsu. Cap. 11.

QVi felis morsu percußi sunt, uehementiore admodum dolore afficiũtur, luridumq; uulnus redditur. Succurras aũt ijs, si quamprimũ ictu cataplasmatis instar cæpas alliáue imposueris. Iisdem etiam uescentes, uini meraci sorbitione insuper hausta restituuntur.

De mure araneo. Cap. 12.

MVris aranei morsum cõsequuntur dolores pulsatorij, rubores secundum unumquodque dentis uestigium, pustulæ circa morsum sanioso humore turgẽtes exurgunt, liuorẽ contrahũt propinquæ partes omnes, detractaq; pustulæ cuticula, candidum apparet hulcus: ad membranas enim neruosas laceratur. Adhæc, depastione his quæ serpunt non absimili orta, partes corruptæ decidunt. Accedunt posthæc, grauißimus intestinorum dolor, lotij reddendi difficultas, gelidi'que sudoris undique fluxus. Succurrit autem ipsis ex galbano splenium per se, uel tritum ex aceto impositum, uel hordeacea farina cum oxymelite cataplasmatis modo impacta. Quin & ipse araneus mus, qui morsum inflixit, dissectus, suoq; uulneri impositus, subuenit: et pyrethrum emplastri more adhibitum, malicoriaq; dulcis mali Punici decocta, uel malua syluestris, allia item trita, & sinapi læuigatum cum aceto. Præterea

ex calida muria facta fomentatio: deinde ex hordeo combusto cõcinnatum cum aceto cataplasma. Salutare est in potu propinare abrotonum cum uino decoctum, uel sisymbriũ, uel serpyllum, uel herbam erucam, uel galbanum, uel saluiã, uel cupressi molliores galbulos cum oxymelite, aut pyrethrum cum uino, aut chamæleontis radicem, aut coagulum hœdinum, agninumúe, gentianæ radicẽ, seu uerbenacam: cæterum eadem cataplasmatis quoq; modo impingitur. Murem etiam ipsum qui momordit, in pollinem contritum cum uino hauriunt. Prodest medicamentũ etiam illud, myrrhæ drach. sex, corticis aristolochiæ quatuor. Cæterum contra aranei muris & scolopendræ morsum, sales cum liquida pice emplastri modo illinito, uel liquorẽ cedriũ addito melle, uel alliũ cum folijs ficulneis, aut cymino, uel folia nepitæ, seu hordeũ etiã cum aceto.

De uiperæ maris & fœminæ morsu. Cap. 13.

A Vipera quum mare, tum fœmina, uel id genus alijs animalibus uenenum relinquentibus demorsos, intra principia statim dolor in loco morsu compunctio, inde in uniuerso corpore comitatur. Apparent autem bina in uulnere foramina perexiguis admodum interstitibus inter se spacijs, unde à principio sanguis saniosus, aquosusq; humor defluit, deinde oleosus, in omnibus indiscriminatim uiridi æruginis colore, quod uiperarum esse uenenum quidam autumant. Consequũtur tumores circa ictum rubicundi ac luridi, pallor corporis, uertigo, resolutio stomachi, animi deliquium: nonnullis uomitiones biliosæ, mictionis angustiæ: insurgunt præterea iuxta locum haud aliter atq; in ambustis, pustulæ. Occupat & hulcus depascendo serpens, progrediens ad finitimas partes. cruentantur his etiam gingiuæ: accedit his tremor, sopor, et frigidi sudores. Minore uerò periculo euadere creduntur, qui ab echidna, id est, fœmina, quàm qui ab echi, hoc est mare, fuerint icti: sed minus etiam ex ijsdem periclitantur, qui nutrimentum præsumpserunt. Cæterum in medendo efficacissimum præ-

stat

ſtat auxiliũ allij eſus, meracioriſq; uini potio, adeò ut ſi quis eius ſuſtineat uſum, alijs ſanè nullis opus habeat præſidijs. Comedant etiam porra, cepas, et ſalſamentum acerrimũ. quidam ranarum ius, ipſaſq; decoctas in cibo dederunt. Cõducunt hæc quoq; in poculis cum uino ſingula, marinæ teſtudinis ſanguis exiccatus cum cymino ſylueſtri, leporis hinnuli ue triobolari pondere coagulũ, aridi ceruini genitalis drachma, anchuſa tenuifolia tota: hanc uerò aliqui etiam pro amuleto, collo ſuſpendunt: porri liquoris dimidiatæ heminæ menſura in melicrato, foliorũ apiaſtri ſuccus, et ruta ſylueſtris, cõtubernalium gallinaceorum cerebrũ, panacis radix cum uino decocta, agarici drachma, baccæ iuniperi, aſphodeli radix, piſtacea læuigata, uiticis ſemen, muſtelæ inueteratæ & ſiccatæ drach. duæ, echini cùm radix tum liquor, cancri non tam fluuiatiles quàm marini, cùm priuatim, tum adiecta pediculari herba, ſaleq; & polio, mali terræ radix cum myrrha & gentiana, baccarum lauri æqua portione melle excepta. Mirificum porrò contra uiperæ morſum, Oribaſij illud: Aniſi acetabulũ, piperis drachmæ quatuor, ariſtolochiæ corticis, opij, caſtorij, myrrhæ, uniuſcuiuſq; drachma. Paſſo diluta ad fabæ Græcæ magnitudinẽ in formato, habita cuiuſq; uiriũ ratione cũ uini immodicè diluti cyathis tribus exhibeto. Aliud ex Lyci cõmentarijs medicamẽtũ, ad uiperarũ morſus efficax: Myrrhæ, caſtorij, piperis, ſandarachæ, ſingulorũ drachma, ſeminis anethi acetabulũ, paſſo trita exhibe. Aliud ex Archigene, Cãcros uiginti cũ ſufficiẽte farina triticea in mortario ſumma cura cõtũdito, nepitæq; ſaliſq; momentũ cõfundito, redige in paſtillos, et arefacito. In uſu uerò, cataplaſmatis modo cũ lacte impingito, unũq; cũ mulſa potui dato. At ſi ad manũ fluuiales, inquit, cãcri nõ ſint, marinis utitor. Extrinſecus uerò opẽ ſtrenuè uiperinis morſib. fert ſtercus caprillũ plagæ cũ uino illitũ: uel lauri folia cocta cũ oleo, aut baccæ lauri: aut nepita, erice, ruta, apiũ, abrotonũ, galbanũ, ſplenij modo iniectũ, origa-

nũ uiride læuigatum: pulli gallinacei discerpti, ac calidi etiam dum admoti. Adglutinanda insuper crebro erui farina in uino macerata, raphani cortex læuigatus, scilla elixa, polenta hordeacea ex oxymelite, cucumeris syluestris folia cum tenuissimo hordeaceæ farinæ polline, fex uini pariter cũ tenuißimo hordeaceæ farinæ flosculo: ruta, sale, melleq; adhibitis, furfures elixi in aceto, cinis cum aceto, cedrius liquor addito sale, pix liquida itidem cũ salibus. Foueri locũ trifolij decocto expedit, aut pulegij, seu muria acetosa: Vbi uerò pustulæ sanguinolentæ euaserint, ipsas confestim scalpello exasperabis, ita ut cutem non detrahas, mox inde largiore aqua foueto, lenticulam coctam cum melle, donec sanitatem recuperent, illinito. Cæterum ex uiperis antidotus peculiari quadam efficacia in huiusmodi morsibus, pota & imposita opitulatur.

De amphisbæna & scytale. Cap. 14.

COmparia in amphisbænæ & scytales morsibus eueniunt. Remedia sunt igitur eadem, quocirca priuatam descriptionem sortita non sunt.

De dryino, Galeni uero præfatio. Cap. 15.

VItam dryinus in radicibus quercus agit, tã malefica parataq; ad nocendum ui, ut si quis calce modo eũ premat, cute hominis pedes denudet, & totis cruribus tumorẽ laxũ ac spaciosum inducat. Ferũt præterea, quod maiori admirationi futurũ est omnibus, nudari cute manus pariter eorum, qui curationem eius tractauerint: & si quis pœnam ab eo illatæ iniuriæ sumpturus, bestiolam perimere tentauerit, tetri admodum odoris fluxum emittere, suoq; graueolenti odore omnium aliorum odorum sensum tollere. Ab hoc animalculo percußis, circa morsus locum cum rubore tumor excitatur, & emergunt in ijsdẽ partibus orbiculatim pustulæ, defluit aquosæ saniei aliquãdo humor, urgent morsiones stomachi, & circa umbilicũ torsio. Succurrit cũ uino pota aristolochia, trifolium item herba, et hastulæ regiæ radix pari modo sumpta, & quercus cuiuscũq; glandes cõcisæ, ac potæ. Illicis itidẽ radi

ces tusæ, locoq; isto cataplasmatis more impositæ auxiliātur.

De hæmorrho & prestere, quod est dipsade. Cap. 16.

AB hæmorrhi morsu graues statim dolorū uexationes insurgūt, et ex cruciatus cōtinuitate breuia strigosaq; reddūtur corpora, multus etiā erūpit ex morsu sanguis: & quicquid est toto corpore (in aliā ue parte) cicatricū rūpitur, & sanguine manat, cruēta egerūtur excrementa. Et qui effluit sanguis, in minimos quasi globulos dējatus est. A pulmone sanguinē extußiunt, euomētes auxilio destituti ut cōclamati pereūt. A dipsadis morsu æstus intolerabilis premit, sitisq; adeò indomita ac pertinax, ut neq; satiari, neq; intermitti queat, poculētaq; affatim ægri hauriunt: eadē tamen sitis perpetuò excruciat, haud aliter quàm si ne tātillū quidē potionis sumpsissent ab initio. Ideōq; iugiter totius, ex continuo licet poculorū haustu, sitis durat habitus: unde ab urēdo prester, et ab ardēdo causon, ab inexplebili siti dipsas appellatur. Cæterum à plerisq; priscis autoribus hæmorrho ac dipsade morsi, ceu deplorati et insanabiles relinquebātur. Proinde si peculiaria aduersus bestiolā desiderantur remedia, cōmunia experiri operæpreciū est. Cōfodiēdusq; scalpello cōfestim et urēdus locus, etsi liceat parte præcisa mutilādus, deinde acerrima quæq; applicāda sunt cataplasmata. Profueritq; omnis acrium eduliorū ad ciēdam uomitionē esus, maximè ex alimentis sale maceratis quæsitus, meraciq; uini potus, pariter et lauacrum. Expedit aūt, breuibus hæc temporū interuallis continuare, priusquā grassentur, quæ morbū comitātur accidētia: his enim semel emergētibus, opem ferre nulla medicorum opera potest. Quæ uerò affectæ parti foris adhibentur remedia, eorum syluam cōtra morsus descriptam deprehēdimus. In dipsadis quidem morsu, portulacæ folia cum aceto trita, polentaq;, & rubi folia accuratè ex melle concisa, plātaginē item et hyssopū, allium albū, porrū, rutam, urticam. Aduersus uerò hæmorrhū omnia sanè eadem hæc faciūt medicamēta, atq; supra hæc uitis etiā folia elixa, cū melle concisa et eliquata. Per os aūt, hæmorrhi ipsius qui

morsum intulit, caput crematum potetur, aut scordium cum oleo irino: manducandæ sunt etiam uuæ passæ.

De natrice. Cap. 17.

ANatrice, quam Græci hydron dicunt, demorsis uulnus dilatatur, & liuescens spaciosum euadit, saniosus ex eodē humor ater ac largus, tetroq; odore spirans, perinde atq; ex depastione profluit. Medicatio mali spacio tēporis, et ægrè succedit. Succurrit itaq; origanus concisa, & aqua subacta uulneri superinducta: uel lixiuia querna cum oleo: uel hordeacea farina cū melle eliquato sumitur, & aristolochiæ geminæ drachmæ, in cramate, uel in poscæ binis cyathis. Deinde cremor marrubij, uel decoctum cū uino, uel nasturtium syluestre, uel fructus hastulæ regiæ, aut flos, aut fœniculi semen cum uino, & fauus deniq; recens cum aceto comestus.

De cenchro. Cap. 18.

CEnchri morsus per omnia uiperino ictui respondet, accedit putrida exhulceratio, carnes antea prætumidæ ut in aqua intercutem defluunt: lethargici præterea, & ueternosi, & mali saporis delationi obnoxij euadunt. Erasistratus iecur & uesicam, & laxius intestinum ipsis affecta esse prodidit. Dissectis nanq; eorum corporibus, corruptæ quodāmodo partes offenduntur. His igitur lactucæ semen cum semine lini cataplasmatis instar impositum succurrit: nec non & satureia læuigata, & ruta syluestris, et serpillum cum asphodelo tritū. Potui autem quamprimum centaurij radicis drach. duæ cum uini cyathis tribus, uel mali terræ radix itidem, nasturtiumq; pariter & gentiana salubriter exhibentur.

De ceraste & aspide Cap. 19.

TRes aspidis esse species Galenus testatur. nam unam ex eis chersæam, id est, terrestrem nuncupat: alteram chelidoniam, tertiam ptyada. quæ omnium perniciosissima est: siquidem erecto in anteriorem partē collo, ex interuallo longitudinem quod satis fore coniecerit emensa, uenenum in hominis corpus iaculatur. Hanc ferunt Aegypti reginam Cleopatrā,

quum deuicto Antonio, Augustum uictorem timeret, sinistræ mammæ feriendæ admouisse, ab eaq; demorsam occubuisse. Ita enim mortem longè celerrimam inuehit. A' cerastis porrò morsu, locus cum duritie in tumorem attollitur, & pustulas agit: ex icto autem loco aquosa sanies fluit, quandoq; nigra, interdum subpallida, & colore porraceo: uniuersum uaricum modo corpus tumet, pudenda arriguntur, mente capiuntur, oculorum caligo exoritur, conuulsione tandem rigentium modo decedunt. Ab aspide ictis uulnus his quæ acu puncta fuerũt, simile, exiguum admodũ, & absq; tumore apparet. Sanguis non multus, sed pauxillus & ater destillat, caligo subita oculorum acies obnubilat, uniuersoq; statim corpore multiplex, sed leuis, nec sine uoluptate dolor urget. Proinde scitè Nicander cecinit, Ac uir perit absq; labore.

Color demorsi permutatur, atq; uirescit, aliquantulus oris uentriculi morsus infestat, frons perpetuò conuellitur, palpebræ absq; sensu, quasi in somno uacillent, contremiscunt, et inter hæc mors inuadit, uix diei quadrantem immorata. Vtrisque igitur his ocyßimè mutilatio succurrit. Quam ob causam maturè pars icta, si fieri possit, à reliquo corpore amputetur: aut confestim omnis circumsecanda ad os usq; in uulneratis partibus, illisq; adiacẽtibus caro est, deinde etiam quæ supersunt cauterijs persequenda. Horum nanq; uirus, ueluti & basilisci, taurino sanguini similiter, sanguinem in arterijs ac spiritum pernicißimè congelat.

De basilisco. Cap. 20.

HÆc fera in mortalium conspectum rarenter quidem uenit. Erasistratus uerò tradit, quum basiliscus momorderit, plaga sub aureo colore fulget. Eiusdem ictibus suffragari putat castorij si potentur, drachmas treis, similiterq; papaueris liquorẽ. Nos uerò horũ nihil experientia cõprobauimus.

De pastinaca marina, & muræna. Cap. 21.

INter marinas, pastinacæ quidem et murænæ cognitio omnibus patet. nobiles enim, atq; omnibus cogniti, pisces sunt.

CL 3

? 33 mos

Morsibus autem horum succurrnnt succi ficulnei stiriæ quatuor, uel paulo plures, cum folijs serpylli tribus aut quatuor potæ, & quæ aduersum uiperæ morsus remedio sunt.

De dracone marino. Cap. 22.

MArini draconis ictus plumbo confricãdus est, uel trito serpyllo, lente'ue decocta, aut sulphure cum aceto obstruendus, uel ipso dracone euiscerato. Locus hominis urina fouendus. Dandum insuper absinthium in diluta uini potione, uel saluia, aut ficulneorum surculorum ex dulci uino dilutum, aut piscis ipsius cerebellum.

De scorpio marino. Cap. 23.

ICtui scorpionis marini medetur mullus dissectus, & impositus, sulphur igne intactum cum aceto infricatum, baccæ lauri tres tritæ, & in potu sumptæ.

Præparatio sanguinis testudinis marinæ. Cap. 24.

TEstudinis marinæ sanguis ad reponendũ hoc modo præparandus est. In ligneo fictili uase supinam testudinem inclinato, eiusq; caput protinus amputato. Congelatum autem sanguinem in plures particulas per harundinem secato, impositoq; uasi operculi instar cibro ad solem collocato: arefactũ uerò auferens, in uiperarum morsibus, quemadmodum traditum est, utere, drachmis duabus cum uno aceti cyatho: sequenti die drachmis quatuor, cum duobus cyathis: tertio drachmis octo, cum ternis aceti cyathis,

De crocodili ictibus. Cap. 25.

ADuersus crocodili ictus, nitrum cum melle læuigatum, tantisper dum hulcus repurgetur, imponito: mox melle, butyro, medulla cerui, adipe anserino impleto. Galenus testatur à crocodili morsu percussos, adipe ipsorum uulneribus imposita, exactè periculo liberatos cognouisse.

De hominis morsu. Cap. 26.

NOn ab instituto al[illegible]um fuerit, cum uenenatis animalibus hominis quoq; morsus describere. siquidẽ longè perniciosiores cæteris hulceribus uidentur, præsertim si ieiunus mor-

morderit, & prius legumina pro cibo sumpserit, maximè lenticulam. Ea propter quæcunq; communiter alijs uirulentis prodesse docuimus, eadem in his quoq; extrinsecus morsui inter principia adhibere conueniet, exceptis nimium acribus, & deurentibus. Priuatim uerò morsu prius oleo peruncto, fœniculi radicem cũ melle tritã ut cataplasma impinge, uel fabaceã farinam cum posca & oxyrhodino emplastri modo impone, identidem immutans. Emplastro aũt utere ex squamæ æris, galbani, æruginis, uniuscuiusq; uncia, ceræ libra, plumbaginis libris duabus, olei sextario. Plumbago cum oleo prius elixata æruginem assumet, & squamulam: ubi coierint quæ liquefiunt, adijciuntur. Postquam uerò inflammatio quieuerit, ueluti commune uulnus, hæc etiam curato.

De uenenis. Cap. 27.

POstquam de uenenum ictu morsúue relinquentibus bestijs compendio tradidimus, consentanea ratione sermonem de uenenis quoq; aggredimur, simplicia quidem persequentes, & horum significationes remediaq; tum communia, tum peculiaria. Composita autem de industria præteribimus. Sunt enim, qui uariorũ lethalium medicamentorũ compositiones cõfecerint, quæ legẽtibus officere plus quàm prodeße poßunt. Neq; enim indicia horũ exacta in his qui assumpserunt deprehẽduntur, ut quis ipsis conueniens applicet auxilium. Quum autem hæc uaria, ex ea quæ in ipsis præpollet facultate conspiciantur, id etiam quod administrabitur, quispiam uarium sedula propensione accommodans, modò ex æquo, modò ut præualeat, medendi obibit operã. Auspicandum igitur etiam hic denuò à methodo præseruatiua.

De præseruatione uenenorum. Cap. 28.

INter ea quæ de letalibus uenenis traduntur, id quod de præcautione agit, arduũ magis ac difficillimum est, propterea quod qui uenenis homini insidiantur clanculũ, tanto astu id machinantur, ut peritißimo cuiq; facilè imponãt: quoniã uenena amaritudine, admixtis dulcibus spoliant, et odoris grauitatem

odoramentorum mixtura adimunt. Non rarò ceu ad leuandam ualetudinẽ, opisq; ferendæ gratia in ægritudinibus hæc propinare crediti, puta, absinthium, abrotonum, opopanacẽ, castorium, quibus uenena permiscent, etiam in cibarijs, nempe solidioribus, uel obsoniorum uarietate adumbrantes ipsa exhibent. Quam ob causam qui in istiusmodi suspicione fuerit, condita elaborataq; cibaria omnia uitare debet, omnesq; intensas gustu qualitates, quæ ex dulcibus uidelicet salsisq; & acidis saporibus constant. Maximè uerò, aquæ quantum satis est, præsumere cõuenit. Restincto enim hoc appetitu, cæteræ postea qualitates à stomacho difficillimè corripiuntur. Sed alius adhuc est efficacior præcauẽdi ab iniurijs uenenorum modus, ut uidelicet in suspicione ueneni semper præcomedatur aliquid quod uenenorũ uires retũdat, inefficacesq; reddat: cuius farinæ sunt, caricæ cum iuglandibus, ruta, grumo salis, & mala medica, quæ citria dicũtur, naporum item semen drachmæ pondere cum uino potum, uel nepitæ foliorũ, uel sigilli lemnij par modus, aut rutæ folia uiginti, et nullo sic ueneni genere lædentur. Iã uerò antidoti cũ uino sumptæ quotidie Aegyptiæ fabæ instar, tutißimè præseruant: è quorũ grege cẽsetur, quæ scinco, id est terrestri crocodilo & animantium sanguinibus temperatur: & Mithridatios antidotus, qua olim rex ipse Mithridates quotidie usus est, quo se à letali ueneno assereret, ac tueretur. Quocirca à Romanis captus, quum iterum atq; iterũ letale uenenũ potasset, atq; mori nequiret, seipsum ense cõfodere aggressus est. Verùm quoniã fortunæ temeritas sæpenumero in itinere locisq; desertis, periculo expositis, similia sine insidijs hominũ discrimina adfert, si fortefortuna sub aliqua arbore, uerbi causa, pinu uel picea cibus sit capiẽdus, animaduertẽda sunt quæ ex his, uel laquearibus letifera delabũtur interdũ animalia. Vasa itẽ uinaria, et aqualia. Ollæ adhæc in quibus decoquũtur edulia, suo accuratè cooperiantur operculo, quẽadmodũ in præcautione animaliũ uirulẽtorũ traditũ est.

Commu-

Communis quocunq; modo sumptorum uenenorum curatio. Cap. 29.

SI qui lethale medicamentũ ultro, ut sibi lethum consciscãt, assumpserint, qualia multa in hominum uita solent accidere, uel quorundam etiam insidijs: siquidem nobis sumptum uenenum, liquidò quale fuerit constet, quamprimum ad idoneum ac peculiare descendamus remediũ, ueluti in horum enumeratione memorabitur. Verùm si nulla nobis pharmaci exhibiti cognitio præbeatur, protinus ad ea properandum, quæ communiter in cuiuslibet ueneni haustu opitulari consueuerunt. nã quæ comitantur indicia expectare, curationẽ nõ recipit, ægris iam propter moram conclamatis. Proinde sine mora calidum oleum priuatim, uel cum aqua propinantes, uomere cogamus. Si id desideretur, butyrum olei loco cum calida aqua ingerendum, aut maluæ, aut seminis lini, uel tragi herbæ, uel fœnogræci, uel urticæ seminis decoctum. Hæc quippe non modò uomitione euacuabunt, sed aluum quoq; subducent, & malignitati uirus aduersabuntur, accrementum eius hebetantia: præsertim oleum, quod euidenter ex eo datur argumento deprehendere. Si quispiam cantharide, aut calce aqua non extincta, aut quauis acriore alia re cutem exhulcerare statuerit, is si prius oleo præunxerit corpus, non exhulcerabitur: imò neque spissare, si antea oleo oblitum fuerit, corpus poteris. Vomitus præterea non ob id modò quod uacuet, & noxium humorem educat, salutaris est, sed quod assumptum interim uenenũ, odore, coagulatis grumis, colore arguit. Odore quippe & amaritudine cicutam, colore cerussam & gypsum, globulis cõcretis lac, uel nuper iugulati animalis sanguinẽ: uiroso halitu, materiæ qualitate, et odore, leporẽ marinũ et rubetã ranã prodit, ita ut per hæc facilè ad accommodata singulis remedia iter pateat. Oleo autẽ maluæ decoctũ admisceatur, uel adeps anserina, uel pinguiũ carnium ius, uel gallinaceorum, uel lixiuiũ ex lignorum cinere factum. Facit item ad hoc, nitrum cum hy-

dromelite tritum et haustũ, et uinũ uetus copiose potũ, & quæ ex adipe et butyro cõstant. Deiecto uerò per uomitũ quod hæserat in uẽtriculo, acerrimo clystere reliquias in intestino delapsas educemus. Post hæc uerò propinandũ est lac. nã quod molestũ est et uirulentũ, facilè ab illo permutabitur. Dãtur insuper quæ cõmuni dote cũctis uenenis accõmodata sunt remedia: cuius generis habẽtur, rubrica lẽnia, abrotonũ, agaricũ, irion, radix eryngij, pastinacæ erraticæ semẽ, aut nepitæ, nardum Celticũ, castoriũ, uiridis ferulæ medulla, nerij, quod rhododendron appellant, flores, uel rhododaphnes, marrubij cremor, silphiũ, eiusq; liquor, sagapenum, panacis, aut peucedani succus & radix, aristolochia lõga, rutæ syluestris semẽ, betonicæ (quã cestron dicũt) folia singula cũ uino drachmæ unius põdere. Cõfert insuper et polij elixatio, et pix liquida in ecligmate sumpta. Egregie uerò præter cætera opitulãtur antidota prædicta, & magis adhuc ex uiperis concinnata theriaca, uerùm neutiquã eandẽ potestatẽ habẽt, quũ letalib. uenenis succedunt, & quũ eadẽ anteuertunt. Quæ enim antidoti quãtitas præsumpta sufficeret contra afflictionem et calamitatẽ, quas uirus comites habet, cauendã, idem antipharmacum post ueneni haustum adauctum in quadruplũ aut quintuplũ exhibitum iuuit: neq; id semel modò per diem, sed bis. ita enim ad miraculum usque in arte præclaro uidetur ipsi quoque Galeno.

Enumeratio simplicium uenenorum. Cap. 30.

Ex uenenorũ catalogo, animalia mortifera hæc sunt: Cãtharis, buprestis, salamãdra, picearũ eruca, lepus marinus, rana rubeta, et muta palustris rana, haustæ hirudines. Ex seminibus: Apollinaris herba, coriandrũ, psylliũ, cicuta, nigella. Ex liquamentis aũt meconiũ, quod opium dicũt, carpasi liquor, thapsiæ succus, elateriũ, et mandragoræ. Ex radicibus: Chamæleon, aconitũ, thapsia, ixia, helleborus, agaricũ atrũ, et ephemeron, quod colchicũ nonnulli à Colchide ubi nascitur appellant. Ex ramosis & holeribus: Smilax, quam aliqui

thymion, Romani uerò taxum appellant, solanum furiosum, quod & dorycnion dicitur, sardonia herba, quæ ranũculi species est, corniculatum papauer, pharicũ, toxicum, rut a syluestris, & fungi. Ex animalium uerò partibus: Recens taurinus sanguis, coagulatum lac, melq; in Heraclea Ponti genitum. Ex metallicis: Gypsum, cerussa, calx, auripigmentum, sandaracha, spuma argenti, adarce, plumbum, et quod nomen obtinuit argentum uiuũ. Ex ijs quæ in usu quotidiano habentur, uinum liberalius à balneo sine interspiratione potũ, aut passum, uel aqua gelida consimiliter.

De cantharide. Cap. 31.

His qui cantharides hauserint, notæ accidunt omniũ grauissimæ. nã ab ore fermè ad uesicã usq; cuncta morderi sentiuntur, gustu picẽ aut simile quiddam cedrio liquori resipiũt, inflammantur in dextra parte præcordia, urinam ægerrimè emittũt, sæpiusq; per eã sanguis fertur. Quinetiã excernũtur per aluũ strigmenta haud aliter atq; dysentericis, animæ deliquijs, satietate et stomachi fastidio laborãt, et uertiginibus cõcidunt, postremò abalienantur mente. Succurrit ipsis uomitus citatus cũ hydrelæo, et lactis potus, cretæ cimoliæ drach. quatuor, cum mulsa: nuclei pinei, cucumeris semen, ius bubulum pingue, uel anserinum, & ouinũ. Carnes præbeantur gallinaceorum, aut agninæ, uel ouillæ, uel porcellorum, omnesq; flaccescentes longiore coctura, et pingues cum lini semine elixæ. Vinum largum et dulce, thuris corticis drach. quatuor. A' cibo ducenda aluus est, iniecto clystere ex succo oryzæ, uel chondri, uel tragi, uel ptisanæ, uel maluæ, uel seminis lini, uel altheæ, uel fœnogræci. Quandoq; mulsa cum nitro absterso intestino, oportet hæc rursus infundere: Postea uerò inflammationem experta, præsidio ex semine lini, ac hordeo mitigare, intra initia nanq; statim offendunt. Deinde dulcium aquarum balneis utendum. Vtile fuerit ipsos ungento cùm irino, tum rosaceo potionari.

De bupreste. Cap. 32.

QVi buprestidem potauerunt, uiroso nitro simile quiddam in sapore sentire uidentur: urget stomachi et alui grauissimus dolor, inturgescunt eædem partes difflatæ, ut in cutem subeuntibus aquis: totoq; corpore cutis extima intenditur, lotiumq; supprimitur. Opitulātur aūt his eadē quæ haustis cantharidibus opē ferunt, priuatim post purgationes, quas uomitu clysteribus molimur, caricæ in cibo remedioq; sunt, & cum uino pota earum decoctio, uel cū lacte hausta, uel œnomelite, pirorum omne genus esse, & lac muliebre potare expedit.

De salamandra. Cap. 33.

SAlamandram qui hauserunt, linguæ inflammationem, & loquelæ impedimentum subeunt, & cum torpore quodā resolutioneq; aliqua tremorem, liuor corporis partes aliquas per ambitum inficit, perennanteq; ueneno diutius, sæpenumero putrefactæ defluunt. Quibus præstabimus cuncta quæ contra cantharidas instituta sunt: priuatim uerò resinam piceæ, uel pinus, aut galbanum cum melle, uel nucleos pineos cum chamæpityos decocto, uel urticæ folia cum lilijs in oleo decocta. Conducunt etiam oua testudinis marinæ aut terrestris elixa: ranunculorum item esculentum ius, quo cum eryngij radix pariter decocta sit.

De picearum eruca. Cap. 34.

PIcearum erucam haustā comitatur illico oris et palati dolor, linguæq; inflammatio uehemens, stomachi & intestinorum dolor, cū pruriginoso tēsionis sensu: corpus uniuersum æstuat, ciborum fastidium urget. Quibus haud aliter, quàm ijs qui cantharidas deuorauerunt, succurritur. peculiariter tamen simplicis olei loco Melinum exhibebimus.

De lepore marino. Cap. 35.

QVi leporem marinum potu ingesserunt, corruptis piscibus similem in gustu uirosum saporem sentiunt: progressu deinde temporis aluus intenso dolore afficitur, lotium supprimitur:

mitur: etsi quando eruperit, purpureũ colorem refert. Omne piscium genus auersantur, & odio habent. Sudor comitatur graueolẽs, uomitus biliosus, et quandoq; ructus. Quibus opis ferendæ gratia lac asininũ, passum^ue continuè exhibendum est, uel radicis maluæ foliorũq; decoctũ, uel peucedani (aliàs ciclamini) radix cõtusa cum uino, uel ueratri nigri, aut scammoniæ succi drachma in aqua mulsa, suoq; calore adhuc tepens anserinus sanguis. Solos fluuiatiles cancros, si sustinere queant, offerre conuenit. Indicium autem salutis est, quum piscibus quoq; uesci poterint.

De rana rubeta, siue palustri. Cap. 36.

RVbeta, seu palustris rana deuorata, tumores corporis cum pallore buxeo intenso cõcitat. Superaccedũt spiritus difficultas, grauis animæ orisq; fœtor, & singultus, quandoque inuoluntarium seminis profluuium. Restituuntur autem facilè post uomitum largo meraci uini potu, radicum harundinis binis drachmis, uel cyperi totidem. cogendi, in eo discrimine cõstituti, sunt, multa celeritate deambulare, & cursui operã dare, ob stuporem qui in hoc malo contrahitur. Quinetiam lauari quotidie expedit.

De hirudinibus. Cap. 37.

HIrudines simul cum aqua haustas, & faucibus inhærentes, hinc adeò deprehendes, quod os uentriculi quasi exuctionis sensum morsumq; percipit. nam hoc deglutitæ hirudinis argumentum est. Interdum etiam sanguinem floridum foras expuunt, gutturi affixis hirudinibus. Quas muria paulatim absorpta excutit, uel laserpitij aut betæ folia cum aceto, uel cum posca niuis glebula hausta. Gargarizetur præterea nitrum cum aqua, & atramentum sutorium cum aceto. At si gutturi adhæserint, ubi in calidam aquam descenderint, lupinorum farinam, & aquam frigidam in ore retinendam exhibeto, eaq; ratione expelluntur: prosilient enim ad gelidam promptissimè. Sunt qui cimices his qui hirudines biberunt, utiliter

liter exhibuere. Ipse, inquit Galenus, allijs in hirudinis haustu usus, cimicibus non indigui.

De chamæleonte. Cap. 38.

SEquitur chamæleontis nigri haustũ, cùm morsus uehemẽs, tum dolor etiã ingens, cũ uniuersi corporis subuersione, tremor: mox ingruit etiã cõuulsio, et uomitiones pituitosæ et spumosæ, et perdita uoce singultus cũ peruersitate et contorsione uultus. Subuenit his triticeus cremor pinguis, calidus in potu sumptus, & dulce uinum aquosum calidum, uomitus, lacti potatio, mollis clyster, fotusq; ex cataplasmatis. Aduersus autẽ eum qui suffocationem spiritusq; angustiam inducit, & luriditatem, absinthium uel nitrũ cum oxymelite, uel raphanũ propinare cõuenit. Prodest insuper et præcordiorũ fomentatio.

De alterco. Cap. 39.

APollinaris herba, pota mansáue, ebrietati similem inducit mentis alienationem: citra tamẽ difficultatem curãtur qui eam hauserint, si liberali mulsæ potu, et lacte, præsertim asinino: si id desideretur, caprillo, seu bubulo, caricarumq; decocto utẽre. Efficaces præterea sunt nuclei pinei, cucumeris semen haustũ cum passo, uinumq; salsum, cũ adipe suillo recenti & passo, urticæ semẽ similiter: uel nitrũ cũ aqua accommodatũ est, et intybus erraticus, quod cichoriũ uocant: sinapi, nasturtium, raphanus, cæpe, et allia, singula cum uino sumpta conferunt. Quies porrò imperanda his est, ut, uelut ebrij uillum edormiunt, somno concoquant.

De coriandro. Cap. 40.

NEquit ob odoris uehementiam latẽre coriandrum, uocem autẽ haustum densiorẽ raucamúe reddit, furorẽ inducit, ebrietati non absimilẽ. turpia dictu qui hauserũt, blaterant, totoq; corpore odorẽ coriandri spirant. Succurritur, si antea, ut præmonstratũ est, uomitione oleo aut irino citata uirus eduxeris, merũ unà cum absinthio & per se potum, ouaq; euacuata, in seipsa detrita cum muria absorpta: quin ipsa seorsim

quoq;

quoq; muria in eundem usum potatur. Prodest etiam salsum ius, quum gallinaceum, tum anserinum, atque passum denique cum lixiuio sumptum.

De pulicaria herba. Cap. 41.

PSyllium potatum, toti corpori algorem & torporem, cum resolutione animiq; tristitia infert. Cui omnia conueniunt, quæ contra coriandri haustum remedio sunt.

De cicuta. Cap. 42.

CIcutæ potus tantã oculis caliginẽ offundit, uertiginẽq; excitat, ut ne minimũ quidẽ eminus poßint cernere, singultũ cit, amentiã inuehit, et extremarũ frigiditatem: suppreßo deniq; à motu omni in arteria spiritu, conuulsione suffocantur. Quam ob causam inter initia statim, ueluti in alijs decretũ est, uomitui operã dãtes, cicutã excutiemus. Postmodũ euacuatiõe facta, quod ad intestina prolapsum est excernamus: tũ deniq; ad id quod primas in hac prouincia tenet adminiculum deueniemus, merum per interualla propinantes: in quibus profuerit lac bubulum uel asininum potui datum, uel absinthiũ cum pipere, et uino uulgari & castorio, rutã itidem et mentã cum uino: et cardamomi, uel styracis drachmam, uel piper cum urticæ semine ex uino, uel lauri tenuiora folia: silphium itidem & laser cum uino & passo exhibebimus. Vinum etiam dulce seorsim potatum abundè proficit.

De papaueris succo. Cap. 43.

PApaueris succi potũ, sequitur sopor ueternosus, cum tã uehemẽti algore et pruritu, ut sæpenumero inualescẽte ueneno tanta erũpat prurigo, ut ab ea qui id potarunt excitentur. Odorq; opij per totũ corpus exhalat. Proficit, post citatũ oleo uomitũ acrioris clysteris usus, et acetum mulsum cũ sale potũ, uel mel cũ rosaceo calido, et meri multũ cũ absinthio, et cinnamomo, et acetũ calidũ per se, nitrũ itidem cũ aqua, cũ lixiuia, paßóue, rutæq; semen cũ pipere, piperq; ipsum cũ castorio & oxymelite; uel satureiæ, uel origani decocto, cũ uino. Oportet

etiam eos qui papaueris liquorem potarint, naribus odoramentis adhibitis excitare, & in calidum solium deducere, fomentisq́; ob enatam pruriginem fouere. A' lauacro confert iuriũ esculentorum pinguium usus, cum uino aut passo. Proderit etiam medulla cum oleo pota.

De carpesiæ succo. Cap. 44.

ET carpesiæ succus in potione haustus, soporẽ grauiorem, præcipitemq́; strangulationem inducit. Opem his sentiunt, quibus, qui cicutam biberunt, succurritur.

De mandragora. Cap. 45.

SOpit etiam protinus graui somno, pota mandragora: comitaturq́; exolutio, inexpugnabilisq́; somni neceßitas, nihil à morbo quem lethargum nominant, dißidens. Proficit, priusquam aliquid eorum accidat, uomitus, à uomitu mulsa, & nitrum, & absinthij decoctum cum passo aut uino dulci sumptũ. Caput rosaceo & aceto irrigandum. Corpus excitandum, & commouendum. Iuuat olfactus piperis, sinapis, castorij, rutæ tritæ in aceto, liquidæ picis, combusti & extincti lucernarũ funiculi odor. Quod si difficulter excitabuntur, quæ sternutamenta eliciunt, admouere, alijsq́; communibus auxilijs aduersus mandragoræ haustum uti conuenit.

De aconito. Cap. 46.

AConitum repente inter bibendum cum adstrictione quadam linguam edulcorat, uertigines, præcipuè in assurgendo offundit, humiditatẽ oculorum cit, grauitatem pectoris & præcordiorũ inducit, sic ut plurimi flatus edãtur. Quocirca ueneni educendi gratia ciendus est uomitus, & ducenda clystere aluus. Vtemur etiam ad expellendum uirus aconiti, potionibus origani & rutæ, uel marrubij cum uino, uel absinthij, uel erucæ, uel abrotoni, uel chamæleæ, aut chamæpitheos. Expedit præterea, liquoris balsami drachma cum uino, coagulũ itidem hœdi, uel leporis, uel hinnuli cũ aceto. Ferri etiam recrementum, aut uinum in quo ferrum uel aurum uel argentum candens extinctum sit. Lixiuia insuper cum

uino

uino confert. Elixæ item gallinæ, uel carnium pinguium ius cum uino epotum. Chamæpitys priuatim aduersus aconitum succurrit: quæ in Heraclea quidē Ponti, ubi aconitū prouenit, holocleros nuncupatur: Athenis, didonia: in Eubœa, sideritis.

De ixia. Cap. 47.

IXias, quæ ulophonon quoq; uocatur, quum bibitur, ocymo quiddam simile gustu & odore præfert, uehemētem linguæ inflammationem & amentiam excitat, omnes retrimentorū uias obstruit, & cum animi deliquio strepitum latratumq; intestinorum suscitat, neq; tamen uel tantillum excernitur. Opē his præsentaneam adfert post uomitionē, aluiq; deiectionem, potum cum largiore uino, aut aceto, uel oxymelite, absinthij dilutum: rutæ syluestris semen, uel laserit radix, necnon hircinæ origani decoctum, cum aliquo supradictorum, aut lacte, aut resina terebinhtina, aut nardo, uel castorio, uel laserpitio, quorum singuli oboli cum uino expediunt. Et iuglandis nucis nuclei cum uino læuigati, aut resina, rutaq;, ita ut singula pondo drachmam æquent. Conferunt itidem oleastelli herbæ drach. duæ, uel bini succi thapsiæ denarij, cum mulsa, & acetum deniq; calidum per se potum.

De ephemero. Cap. 48.

SI quis ephemerum, quod colchicum aliqui, quia in Colchide nascitur, aut syluestrē bulbum appellant, acceperit, pruriginem uniuerso statim corpore sentit, non secus quàm ij qui urticæ aut scillæ irritamentis lacessuntur. Mordētur interea, & cum ponderosa grauitate stomachus æstuat. Incrudescente autem malo, cruenta strigmentis mixta per aluum secedūt. Quibus sanè non aliter atque ijs qui salamandrum hauserunt, uomitionibus & clysteribus succurrendum est, priusquam uenenū inualescat. Exhibēda est potui foliorū quercus, aut glandiū, aut malicoriorū, aut serpylli decoctum cū lacte, aut sanguinalis herbæ succus, aut palmitum uitis, rubi'ue, uel tenera

rum ferularum medullæ, myrtiúe cũ uino. Quin baccæ etiam myrti tusæ, friatæ, & in aqua maceratæ, earum diluto epoto, præsenti remedio sunt. Efficax pariter est medius castanearũ (quas glandes Sardonias dicunt) liber, cũ aliquo prædictorũ succorũ haustus. Vtilis quoq; est origanus, si cũ lixiuio in potu sumptitetur. Salutem consequuntur, asininũ, bubulũue lac bibentes, aut si in ore modò contineãt atq; uolutent: adeò ut si huius lactis adsit copia, nullum aliud desideretur remedium.

De smilace. Cap. 49.

ARbor quæ smilax, & à quibusdam thymion, à Romanis uerò taxus appellatur, pota, algorem uniuerso corpori inducit, strangulationes & celerem interitum infert. His qui eam hauserunt, eadem remedia, quæ cicutæ in potu sumptæ, auxiliantur.

De solano furioso, quod dorycnion quidam uocant. Cap. 50.

DOrycnium, quod aliqui furiosum solanum nuncupauere potum, comitatur in gustu ueluti lactis qualitas, continuus singultus, linguæ ariditas, & conferta sanguinis excreatio. Per aluum mucosa quædam, perinde atq; in intestinorũ torminibus efferuntur. Quibus antequam aliquid horum consequatur, remedio sunt quæ in Ephemero comprehensa sunt, uomitus inquam, & clyster, simmatimq; omnia quæ potum uenenum possunt elidere. Propriè uerò subueniunt ipsi, mulsa, lac asininum, aut caprillum, & passum tepidum cum anisi momento potum. Itidem amygdala, & gallinaceorum elixa pectuscula, & omnes marinæ conchulæ cùm crudæ, tum tostæ in cibo assumptæ. Item locustæ marinæ, & gammari, & haustum ex ipsis esculentum iusculum.

De sardonia herba. Cap. 51.

HErba quæ Sardonia nomen habet, et ranunculi herbæ generi adscribitur, dum estur, aut potatur, dementiam infert,

fert, & neruorum conuulsiones, cum labrorum in rictum contractione, ut risus imaginem præferat: à qua quidem affectione Sardonius risus, nefasti ominis prauæq; famæ adagio omnium ore iactatur. Cui quidem malo obnoxijs, post uomitum propriè mulsa prolixius exhibita confert: pariter etiam lac, uniuersiq; corporis irrigatio, & illinito cum calfaciendi uim habentibus unguentis. Conducit præterea in hydrelæum calidum descendere. post egressum ex solio, infecti ualidè ungendi, frictioneq; plurima perfricandi sunt. Atq;, ut uno uerbo perstringam, curationem omnem perinde atq; in neruorum conuulsione, exequere.

De papauere corniculari. Cap. 52.

PApauer, quod cornutum appellationē obtinuit, siue esum, siue potum, eadē quæ papaueris succus infert symptomata, & proinde ijsdem etiam expugnatur præsidijs.

De pharico. Cap. 53.

NArdum per omnia sapore & gustu æmulatur, quod pharicum uocant. Id in potu sumptum, cum mentis alienatione, & neruorum conuulsione, paralysim adfert. Educto per uomitiones ueneno, uinum absinthite, cū cinnamomo, aut myrrha, aut nardo Cilissa, quam Isatim aliqui nuncupauerunt, potui dato. Aut spicæ nardi obolos duos cum passo commixtos, aut iridem cum croci flosculo ex uino. Derasum præterea caput, hordeacea farina cum ruta trita, & aceto delibutum, reddere confert.

De toxico. Cap. 54.

VIdetur toxicum inde nomenclaturam mutuasse, quod barbari sagittas, uæ toxeumata appellantur, eo inficerent. Consequuntur eos qui ipsum biberint, labiorum & linguæ inflammationes, inconcita insania, uarijs mentem perturbans

imaginibus obuersantibus. Quocirca difficilis eorum est curatio, raroq; ad pristinam incolumitatem perducuntur, qui toxicum hauserunt. Vinculis ergo cohibendi, ut curæ subijciantur: & uiolentia quadam cogendi, ut uinum dulce cum rosaceo potent, & uomitionibus reddant. Raporum semen itidem cum uino bibitum. Peculiariter ualet quinquefolij radix, & sanguis hircinus, atq; caprillus compari modo epotus. Adhæc cortex quercinus, aut fagi, & ilicis cum lacte tritus. Mala etiam cotonea comesta, uel cum pulegio concisa, & aqua bibita: præterea amomum, & balsami cum uino semen. Longo tandem temporis spacio conualescunt, ita tamen, ut qui iam periculis defuncti sint, lectulo diu decumbant: & ubi surrexerint, stupore consternati, nec mente satis constantes reliquo uitæ curriculo degunt.

De fungis. Cap. 55.

FVngorum alij genere, alij nimietate officiunt: omnes tamē sumpti, præfocationes strangulationibus ei suspendio similes concitant. Quibus absq; dilatione quamprimum suppetias ferre communi subsidio conuenit. Oleo igitur ad uomendum, qui fungos hauserunt, cogantur. Mirabiliter autem iuuantur: lixiuium ex uitium sarmentis, & pyrastri ligni cinere percolatum, cum posca, saleq; aut nitro potantes. Prosunt & pyra ipsa syluestria, aut folia unà cum fungis elixa. siquidē quam habent fungi strangulandi uim, auferunt, eademq; in cibo auxiliantur. Conferūt præterea gallinarum fimus decoctus, et in posca sumptus, addita mali terræ drachma, uel absinthij cum uino. Prodest mel linctum, & cum aqua potum: apiastrum itidem cum nitro, uel panacis radix, semenq; ex uino: fex item uini deusta cum aqua, & atramentū sutorium cum aceto: raphanus quoq; aut sinapi, aut nasturtium, esu proficiunt. Sed quoniam fungi quidam à uenenatis bestijs corrosi nō tantum strangulant,

gulant, sed etiam intestina exhulcerant, exhibendum in eo discrimine largius absinthium, & ficuum origaniq; decoctum. Aqua porrò mulsa & uomitus inde petitus, descensus item in calidæ aquæ solium, hordeacea deniq; polenta præcordijs imposita confert.

De sanguine taurino. Cap 56.

SAnguis tauri recens mactati potus, spiritus angustiam & strangulationem ingerit, tonsillarum gutturis & ingluuiei meatus non sine ualida conuulsione obturans. Inuenitur autem horum lingua rubra, dentes eodem colore infecti, & inter eorum commissuras coagulati sanguinis globuli. Non tentandæ in hoc periculo uomitiones sunt, densantibus magis in stomacho grumis, quoniam uomitus attractione in sublimia trahuntur, eleuanturq;. Exhibenda uerò sunt, quæ coadunati sanguinis concretionem discutiendi, aluum deijciendi naturam obtinent. Grossi itaq; succo turgentes cum posca & nitro præbentur. Conducit huc etiam omne coagulum cum aceto, pariter & laseris radix cum suo liquore, itidem & braßicæ semen, & ex ficulneo cinere lixiuium, conyzæq; folia cum pipere, & ruborum succus cum aceto. Aluus præter hæc subducetur. Solenne est his qui periculo defuncti reduces sunt, per inferna teterrimi odoris excrementa reddi. Stomachum aluumq; hordeacea farina et mulsa delibutam reddere expedit.

De lacte intus coagulato. Cap. 57.

LAc intus derepentè congelatū, magnum strangulatum procreat, eo quòd in grumos quosdam coalescit. Quibus iuuandis antidoti loco, coagulum cum aceto exhibeas, & sæpius id sumere compellas. Succurrunt etiam nepitæ folia arida, item eorundem succus, aut laserpitij radix liquor' ue cum posca. Thymus itidem cum uino, & lixiuium quo pilearij utuntur, salsilago nulla admittetur, ne magis lac coeat, & in caseum densetur. Vitari debet in hoc malo uomitus: siquidem hæ-

rens in uentriculo conglobatum in grumulos lac, ad exitum eluctando suffocat.

De melle, quod in Heraclia nascitur. Cap. 58.

QVi mel in Heraclia Pontica natum comederint, aut biberint, eisdem planè incommodis obruuntur, quibus qui aconitum hauserunt. quare eadem quæ relata in aconito, conueniunt. Saluberrimo autem remedio existit, qui id deuorauerũt, aquæ mulsæ, admixtis rutæ folijs, continuus potus.

De gypso. Cap. 59.

GYpsus hausta in lapidem durescens, strangulationem procreat. proinde eadem auxilia quæ contra fungos competunt, huc transferre conuenit. Inter quæ maluæ decoctum olei uice præbetur. Pingue enim quum sit, lubricumq́;, uomitum inducens, interiora non patitur deradi corpuscula, quod lapidescens gypsus efficit. Expedit oleum cum aqua mulsa & ficuum decoctum; uel ex ficulneo cinere, aut sarmẽtitio factum, cum largiore uino lixiuium. Quin etiam origanum, aut thymum cum lixiuio, siue aceto: passum deniq; & maluæ decoctum, hoc modo affectis per clysteres infundenda sunt.

De cerussa. Cap. 60.

CErussa suo se prodit indicio, utpote cuius color celari non potest. nam uoluntariè sumpta, palatum, linguam, interstitium qua se dentes contingunt, niueo candore inficit. Singultus præterea cit, tußim, linguæ ariditatem, artuum frigiditatem cum delirio & mentis perculsione, corporisq́; torporem, motumq́; difficilem ingerit. Quo in periculo constitutis aqua mulsa utiliter exhibetur, aut ficuum, aut maluæ decoctum, aut lac calidum, aut sesamum in uino solutum, aut ex uitium sarmentis lixiuium, aut amaracinum oleum, aut irinum. Et persicorum ossa cum hordei decocto, uel thus, uel prunorum gummi, uel qui in ulmorum folliculis continetur liquor, cum tepida aqua: sed ab unoquoque euomant. Confert

etiam

etiam thapsiæ succus, uel scammonij cremoris triobolus cum aqua mulsa potatus.

De calce, sandaracha, & auripigmento. Cap. 61.

DIfferuntur alui & interaneorum cum grauißima mordicatione doloribus, qui calcem, sandaracham, & auripigmentum hauserint. Præbentur igitur omnia, quæ ea temperare & soluere poßint, quæq; uomitiones faciles, aluumq; lubricam reddant: cuius farinæ, hibisci, & maluæ succus, seminis q; lini decoctum existit. Aut tragi, aut oryzæ. Lac etiã cum mulsa liberalius sumptum, iuraq; esculenta pinguia, quæ inculpatum succum generent.

De spuma argenti. Cap. 62.

STomacho, aluo, & intestinis ingentem grauitatẽ, cum grauißimis circa umbilicum torsionibus, ingerit spuma argenti potata: præterea pondere nonnunquã suo intestina sauciat, supprimit lotium, intumescit sumentibus eam corpus, & plumbeo colore inficitur, deformitatemq; concipit. Confert igitur, à uomitione statim syluestris horminij semẽ cum uino potui dare, myrrhæ itidem drach. octo, absinthij, hyssopi, aut apij semen. Prodest etiam piper, uel cyperi flores ex uino: columbarumq; agrestium fimum siccatum, cum nardo, uinoq;.

De plumbo. Cap. 63.

COmparia planè his qui plumbi ramentum, uel loturam hauserunt, accidunt: iisdem itaque remedijs, quibus spumæ argenti, succurritur.

De argento uiuo. Cap. 64.

ARgentum uiuum non secus quàm spuma argenti, potatum afficit. Similibus igitur auxilijs utriq; subueniendum. lac tamen liberaliter haustum, peculiarius ipsis uidetur succurrere. Sed euoment etiam illi.

De ueratro candido, thapsia, elaterio, agarico nigro, ruta syluestri, nigella, pappis. Cap. 65.

PAri industria prospiciendum etiam ijs, quæ homini salubritatis gratia exhibentur, sæpe tamen numero calamitates

nihilo minores alijs inuehunt: cuiuſmodi ſunt quorũ iam meminimus, helleborus inquam albus, thapſia, elaterium, agaricum nigrum. Strangulatus etenim hæc inferunt, uel purgando iuſtum modum excedunt: quocirca ſtrangulationib. illis, non ſecus quàm de fungis & ſimilibus demonſtratũ eſt, medebimur. Purgationes uerò æquo copioſiores, his quæ excretiones compeſcere nata ſunt, ſupprimemus. Neque ſocorditer tractanda ſunt, quæ minus quidem offendere uidentur, uitæ tamen diſcrimen nonnunquã afferunt: é quorum genere cenſentur, ruta ſylueſtris, nigella, atq; recẽtes pappi, qui flores ſunt ſpinæ, quam cactum nominant. Solus uomitus reficit, qui ea ſumpſerunt.

De his quæ contubernalia, & in quotidiano uſu habentur, uino & aqua frigida. Cap. 66.

STrangulatus & dolores inducit, aqua gelida confertim hauſta, uel meracius uinum largius potum, aut dulce liberalius ſumptum, præcipuè à balneo, aut curſu, aut concitatiore exercitio. Vbi ſanguinis detractio maturè facta, atq; inanitio, ingruentia iam pericula auertunt.

LIBRI QVINTI FINIS.

HYPOTHESIS LIBRI SEXTI.

In hoc uolumine totius operis ſexto, omnis Chirurgia exponitur, quæ tam carnis, quam oſsis uitia conſiderat, inque fracturarum & luxationum explicatione concluditur.

CAPITA LIBRI SEXTI.

De

FINIS.

PAVLI AEGINETAE

LIBER SEXTVS, ALBANO *Torino interprete.*

Procœmium in artem medendi, quæ administratione manuum absoluitur. Cap. I.



SERMONEM *super arte quæ manuum opera exercetur, bifariã dispescimus: in ea quæ in carne, et ea quæ in ossiũ quum fracturis, tũ luxationib. contẽplantur. Sũptoq; in præsentiarũ ab ijs quæ carnẽ infestare solẽt exordio, de more hic quoq; nostro, rẽ cõpẽdio perstringemus.*

Rursum

Rursum itaq; à supernis partib. inchoantes, adustionẽ quæ capiti ac uertici eius potissimũ admoueri cõsueuit, explicabimus.

De combustione quæ capiti in lippientibus, ægre spirantibus, & elephanticis adhibetur. Cap. 2.

HVmore desuper in oculos fluente, ægraq; spiratione, ob excremẽtitij humoris abũdantiã urgente, qui è capite ad thoracẽ descendẽs, partes eius cõtinuo fluxu affligit, mediũ capitis hac quodãmodo ratione perurũt. Detõso prius ad cutẽ uertici ferramẽta instar specilli mucronata iniiciunt, & ossetenus cutẽ adurũt; quod deinde, ubi crusta exciderit, radunt. Quidã uerò ubi os ipsum adusserint, ut squama inde tenuis resoluatur efficiũt, quo facilius humores in capite detẽti illinc euaporatu diffluẽtur, et exinaniãtur. Seruato tamẽ aliquãdiu hulcere, postea ita ad cicatricẽ perducũt. In elephãtiasi aũt medẽda, quinque nõnulli adustiones capiti infligũt. Vnã in anteriore parte supra id quod sinciput nũcupatur. Alterã paulo hac inferius, supra frontem tamẽ ubi capilli finiũt. Tertiã ad occipitiũ. Binas reliquas iuxta ossa quæ squamata adglutinamẽta uocãtur, paululũ supra aures. Vnam ex his latere dextro, alterã læuo. Vt plurib. squamis detractis, humorum copia crassitudoq; perspiratu ab imis partib. capitis deriuata extrahatur, atq; ita luminibus nihil detrimenti inferat. Lieni quoq; aliud ferramentum inustorium adhibetur, quo principi melancholici recrementi membro per cuti inductam crustulam succurratur.

De affectione hydrocephala, hoc est aqueo humore in capitte concepto. Cap. 3.

QVum humor qui essentia aquosus est, capitis cutem inflat, morbus peculiariter hydrocephalus nuncupatur. Accidit autem infantibus secundum illico partum, capite ab obstetricibus inscitè compresso, uel ex abdita causa, uel ex uasis, uasorum ue ruptura, & sanguine qui effusus est in ociosam & crudam substantiam conuerso, uel cum materia ob meatulorum raritatem resudante, se'que inter cutem & caluariæ membranam recipit. Aut enim hanc caluariæ

pelliculam & cutem, uel membranam caluariæ et os, uel & membranam cerebri humor intercedit. Quibus igitur i[n]ter cutem & membranam quæ caluariam uelat, humor co[l]gitur, tumor tractabilis comitatur, concolor, doloris exper[s] in sublime incuruatus, & ad digitorum contrectationem faci[le] cedit, quoniam in proximo est, rursumq; leuatur. Quibus uer[o] inter caluariæ membranam & os humor consedit, cætera q[ui]dem respondent, tumor uerò durior multo existit, ac tardi[us] cedens, utpote pluribus etiam succumbens partibus, maiore[m] cruciatu afficit. Quibus uerò humor cerebri membranam & os interiacet, tumor quidem existit, sed non adeò mollis, nequ[e] nisi uiolenter comprimatur, cedens. Siquidem infantium c[aput] recens adhuc compactum quum sit, facile cedit, ac potißimu[m] ubi rarefactis suturis humori exitus datur. Id quod uel inde e[x] facili cognoscitur, quod cum ex aduerso locus impellitur, humor ex constrictione in altum refugit. Dolorem hi maioren[m] sentiunt, caput uniuersum distrahitur, frons ipsis foras prom[i]net, fixis luminibus intuentur, perpetuoq; illachrymant. Quibus sanè tanquam conclamatis manus curatio deneganda est. Tametsi chirurgicorum nonnulli terebratione undiq; adactos exemerint, ueluti in capite de fracturis capitis referemus. Cũ uerò cuti & membranæ caluam tegenti humor interiacet, cum pusillo tumore, una incisione per medium transuersim caput secandum est. Si inter pericraniũ & os humor cum grandiore tumore constiterit, duas per medium se mutuo secantes diuisiones moliemur. Si grandior adhuc tumor emergit, ternas, H literæ figuram æmulantes. Post manus curationem, exempta humoris colluuie, concerptis linteolis insertis scitè deligabimus, & in tertium usq; diem œnelæum inspargemus. Post hæc fascijs resolutis emmoto mederi studebimus. Si os longiore temporis spacio carnem contrahere cũ [n]ctetur, parcente manu radetur.

De

De arteriarum incisione. Cap. 4.

IN diuturnis oculorum defluxionibus, et uitio uertiginoso arterias post aures secare solemus. Tondenda igitur prius posterior capitis pars, & notanda digitis. Ex loci etenim pulsu arteriæ situs ex facili deprehendetur. Mox ipsam ad os usque diuisione duos digitos longa incidere conuenit, quæ scriptorio tamen atramento antea fuerit insignita. Si uerò arteria ictibus percipi nequeat, interuallum trium circiter digitorum, ab auribus metiendum est: atque ita manu iniecta, arteriæ per transuersum incidantur, tantisper dum pulsatorius sanguinis liquor abunde fluxerit, diuisa caluariæ membrana, ne extensione inflammetur, rasoq́; osse cuneolum ex panniculo uulneribus inseremus. Deinde modo per linamenta medicamine imbuta curandi utemur. Si etiam hic os carne non recepta nudum manserit, similiter rasura adhibenda est.

De uasorum dissectione, quæ angiologia uocatur, eorumq́; adustione. Cap. 5.

IN doloribus qui alteram modò capitis partem exercent, tam diuturnis quàm breuibus et acutis, cum calido et acri in oculos fluxu, ita ut temporum etiam musculi cum tumore incalescant, uasorum capitis diuisionem omnes approbarunt. Detonsis igitur primùm temporum capillis, locoq́; calfacto, uel collo constricto, uasa digitis notabuntur. Si hoc modo eadem in conspectum uenerint, atramento signabimus. Cutem à lateribus læuæ manus nostræ digitis, famuliq́; leuabimus, ipsiusq́; uenam linea leuiter incidemus. Mox ubi totam penetrauerimus, hamulis oras excipiemus, instrumẽtisq́; ad id factis, hanc denudatam undiq; absolutam suspendemus. Et si tenuis fuerit, retuso hamulo, subiecto & circumtorto uno in loco præcidemus, ita ut partem ipsius quandam apprehendamus. Si uas amplum fuerit, acus cui duplex filum subiectum fuerit: uel linum crudum, uel tale quippiam haud imbecille, transmittenda est. uenaq́; primùm in rectũ scalpello dissecata, sanguineq́; quantum

tum opus est, fuso, in utraq; extremitate quod denudatum est lino uincire, & partē quæ intercepta est, uel illico ubi soluetur, abscindere ac tollere conuenit. Sunt qui cauterijs mucronatis uasa absq; incisione ad multā profunditatē adurāt. Post quā manuū opera absoluta est, discerptis filatim linamētis aridis uulnere oppleto, splenioq; superaccōmodato deligandum est. Post solutionē uerò, quū uidelicet uincula deligaturæ computruerint, atq; exciderint, medicamentis carnem generantibus aridis, & linteolo concerpto exceptis, cicatriciq; inducendæ idoneis, curationem quæ restat absoluemus.

De frontis incisione qui hypospatismus dicitur. Cap. 6.

AB instrumenti specie nomen Chirurgiæ inditum est. Vtendum aūt hypospatismo in ijs, in quorū oculos defluxio multa et calida descendit, et uultus ruber apparet, et in fronte sensus quidam ac discursio uermium modo aut formicarū percipitur. Detonsis itaq; primum iuxta frontē capillis, mandabimus ægro, ut inferiorē mandibulā commoueat. Musculorumq; ad tempora motū uitantes, treis lineas in frōte rectas paribus inter se spacijs distantes secabimus, quarū singulæ longitudinem binorū digitorū æquent, altitudine usq; ad os tendāt, trium inuicē digitorū interuallo diductas. A' sectione hypospathisterē spathám ue subter inijcientes, à sinistri temporis linea ad mediā usq; incipiemus: totum illud spacium quod interiacet, unà cum caluariæ membrana excoriantes. Deinde rursum spathulam à media incisione ad reliquam adigemus. Mox scolopomacharij aculeati cultelli aciem in primam sectionem conijcientes, ut acies eius interiori cutis carni, retusa pars oßi accommodetur, usq; ad mediam lineā adigemus, ut omnia à capite ad oculos descendentia uasa, non tamen usq; ad summam cutem secemus: rursumq; à media ad extremam ipsum demittemus, simili modo uasa amputantes. Post uerò mediocrē sanguinis inanitionem, expreßis accuratè grumis, tria linamenta contorta singulis lineis singula insinuabimus, linteoloq; cōplica-

cata

cato, aqua imbuto, superaccommadato deligabimus. Postero die œnelæo non hulcera modò, sed temporum etiam musculi, auresq́; inflammationis ergò inspergantur: tertio die resoluentes plurimo fotu utemur, & basilico rosaceo diluto linamentis madentibus insertis, reliquam curationem prosequemur.

De syncipitis quadam incisione, quem periscyphismum appellant. Cap. 7.

QVibus complures altæq́; uenæ copiosum ad oculos fluxum demittunt, his periscyphismus adhibendus est: quod malum indicia comitantur huiusmodi. Primùm quidem offendes, lumina hoc morbo laborantium alimentum non sentire, parua, & ad intuitum impotentia, hirquis ipsorum corrosis, palpebris exhulceratis, pilis defluis, lachrymæ adhæc tenues admodum, & cum caliditate acres, tormentum in capitis profunditate acutum & infestum, sternutatio continua. Quocirca capite prius detonso, & musculis qui in temporibus mouentur, ut dictum est, euitatis, transuersa plaga, à læuo tempore in dexterum usque perducetur: quæ, ubi motus nullus existit, fines habeat, paulùlum supra frontem impacta, sic ut coronaria caluæ commissura non offendatur. Licet Leonides per mediam frontem lineam deducendam censeat. Denudato uerò osse, cuneolis aut linamentis filatim conceptis, pluribus incisioni iniectis, oras eius à se inuicem diducemus: finesq́; linea deligabimus, cum œnelæi, ut prædictum est, adspersione. Post solutionem uerò ubi declinauerit iam inflãmatio, os, quoad caro suppullulare incipiat, radendum est: rationeq́; carnis producendæ curabimus, medicamentis aridis in id efficacibus usi. Cuius notæ est, quod constat farinæ triticeæ partibus duabus, colophoniæ una, & cognomento Cephalicum, & carnem generantia, in quibus pumex adhibetur. Crassiuscula etenim cicatrice cute astricta, & orificijs uasorum occlusis, solitus pituitæ impetus in oculos descẽdere prohibetur.

De

De consutione superioris palpebræ, aliisq; modis. Cap. 8.

Distichiasis nuncupata pilorum succretio præter naturam est, sub ordine naturali pilorum palpebræ exorta, rheumatici affectus soboles: quum copiosus quidem, sed minimè rodens et acrimoniæ expers destillans humor existit. Nam *si acrior, magisq; salsus, aut alio quodam modo mordicans fuerit, diutino fluxu etiam naturales palpebrarum pilos corrumpit.* In *hac igitur dispositione, interim consutione utimur, interim in phalangosi, quum tarsus seu ciliū introrsum spectans, secum pilorū phalangē inuertit. aliàs aūt et in palpebris relaxatis, quū naturales pili bulbū irritant.* In *sella itaq; laborās, uel aduersus uel à latere sinistro collocabitur, superiorq; illi palpebra inuertetur.* Siquidē *demissos habeat pilos, illos ipsos digitis indice & pollice sinistræ manus adprehēdimus.* Sin *admodū breueis, acu filū trahente mediū tarsum ab interiore parte extrorsum trāsuimus, deinde filo læua apprehenso palpebrā attollimus.* Dextra *specilli mucrone foris impresso sinuantes ipsam inuertimus.* Postea *interius quàm pili pungentes habeantur, subtus à maiore hirquo ad minorem usq; pertinens, per cilium incidenda linea est: mox filum post incisionem inferiorem subijcientes, pollice sinistræ manus duplici quodā linteolo obiecto, supercilium sursum extendimus, aliaq; exigua linamenta complicata extremis hirquis immittentes, ministro à tergo stanti præcipimus, ut palpebras per ea distendat.* Atque *tūc scalpello fibulis aptato, paululum supra naturales pilos incisuram, uerùm figura ab hirquo ad hirquum tendētem perducimus, solius cutis altitudine: post eam aliam lunarem adhibemus, initio ibidem accepto, ubi prior obelo similis linea cœperat, adeò sursum tendentes, ut omnem superuacuam cutē circumscribamus, desinentesq; similiter ibidem ubi commemorata linea.* Deinde *cum cutis duabus lineis circumscripta myrtaceum folium imitetur, in angulum qui ad dextram nostram* [illegible]*lo infixo, cuticula hæc uniuersa excorianda est.*

Mox

Mox ubi cibus spōgia detersis, tribus aut quatuor suturis uulneris oras committemus, à media incisione auspicantes, sic ut acus in interiore illa sectione defigatur, filum autem ex lanæ sit. Superfluum eius amputantes, non prope suturas, sed ut trium circiter digitorum lōgitudo ociosa supersit, quam ad frontem retractam aliquo emplastro gluten habente adglutinabimus, palpebræ pilos mucrone acus à suturarum nexu liberabimus. Modus hic quidem curationis, quæ manuum opera administratur, communis & tutior est. Sunt qui excoriationem planè deuitent, eóque post illam subtus factam lineam palpebria uulsella, hoc est, specillo ad palpebræ rotunditatem figurato, superfluam cutem scalpro eleuatam excidunt, fibulasq́; ut dictum est, iniiciunt. At si in parte modo aliqua palpebræ ex pilis oriatur stimulatio, illi etiam soli manus opera adhibenda est. Post hæc panniculis implicitis, posca irrigatis ac superaccōmodatis, deligabimus, ad tertium usq; diem dilutiore poscæ ipsam imbuentes particulam: tertioq́; die ligaturam soluemus, ac superfluis filorum partibus amputatis palpebris, uel croco, uel glaucio, uel aliquo prohibente inflammationem collyrio oblinemus: uerbi causa, ex croco rosisq́; composito. At si inflammētur fibulæ, emplastrum etiam aliquod lene superimponendum, & ueluti lacte instillato oculum leniemus, relaxatas postmodum fibulas præcidendo extrahemus. Nouimus ipsi quendā, qui palpebra, ut cōprehensum est, excoriata, suturas minimè adhibebat, sed cicatricem inducente medicamento curationem prosequebatur. Plaga enim ad cicatricem perducta, palpebra particulatim sublata pilos in exteriorem partem inclinare cogebat. Non secus etiā alius quidā, neq; excoriatione palpebræ, neq; externis duabus ipsius incisionibus utebatur, sed interiore tamē ducta linea uel digitis uel hamo rugas palpebræ subleuabat, duabus itē harundinulis uel recisamētis bracteis quibusdā, palpebrā longitudine, scalpellū uerò angustum latitudine æquantibus, totam superuacaneā cutem mediam in

terceptam extremis utrinq; reuinctis oris ipsius, constringebat. Atq; ita tota posterior cutis alimentum non sentiens, eoq; emoriens, intra decem aut quindecim ad summum dies unà cũ arundinulis aut lamellis illis bracteis, absque ullo ferè cicatricis uestigio excidebat.

De ustione palpebrarum medicamentis facta. Cap. 9.

VStionem palpebrarũ cum medicamentis adurentibus, prisci omnes, ut paucis expediam, respuerunt, quum ob medicamenti acrimoniam oculis infestam, tum quod ex immodica adustione lagophthalmica nascitur affectio: qua quum hient palpebræ, qualicunq; ex occasione oculorum acies offenditur. Quandoquidem uerò multi pilorum punctionem usq; experiuntes, ne uocabulum quidem consutionis crebro audire sustinent, nosq; inuitos detinent, tanquã deploratis hanc ex medicamento adustionem molimur. Compositio quidem medicamenti huiusmodi est. Calcis uiuæ partes duæ, saponis Gallici uel communis tantundẽ. Sunt qui spumæ nitri parteis quatuor adijciũt. Hæc omnia percolata lixiuio, uel saponario, uel alio, ficulneo, uel querceo læuigata, urina incorrupti pueri excipiẽtes mucrone specilli myrtacei folij figura, palpebræ inijciemus, tantum spacij deurentes, quantum etiam in sutura fuisset à nobis comprehensum. Quum prima iniectione cutis fuerit adusta, medicamẽto spongiola detracto, rursumq; aliud impositũ tamdiu cuti inhærere sinimus, donec nigrorem contrahat. Sin autem minimè nigrescat, etiã tertium inijciemus. Nigrefacta iam cute, & crusta oborta, reliquum medicamentum detergendum est. Balineis deinde & perfusionibus, quousq; crusta deciderit, utendum: à cuius casu, rasilibus linamentis, et collyrijs leuibus plagæ cicatrix molienda est.

De leporario oculorum affectu, qui lagophthalmon dicitur. Cap. 10.

LAgopthalmi dicũtur, qui superiorem palpebram sursum retractam habent. Quod uitium uel è natura, uel ex cicatrice uul-

ce uulneris, eiusq; uel sua spōte facti, uel ex cōsutione, uel adustione, ut modò dicebamus, inartificiosa prouenit. In qua uel mediocris tantum adhiberi potest correctio, si idoneam crassitiem palpebra nacta sit. haud enim conuenit, ipsa cicatrice diuisa, & oris cū linteolis diductis, deligatione etiam usq; ad ultimam prorsus curationem uti: neq; nimium exiccantia, sed relaxantia magis unguenta adhibere. Cuiusmodi est fœnograeci cremor superfusus, et basilicum tetrapharmacum resolutum, & linteolo illitum.

De sutura & adustione per medicamenta. Cap. 11.

QVot pilorū affectibus superior palpebra, totidē etiam inferior obnoxia est. Nā naturæ suæ modo amplior effecta, inuertitur, & phalāgosin et geminatum pilorū succrescentiū ordinē, Græci distithiā uocāt, sustinēt. Eodē igitur suturæ modulo hic quoq;, inuerso tantum linearū ordine, utendū est. prius enim, lunaris, ne sanguinis fluxu opus impediatur, mox obeli figura, linea incidi debet. Sub pilis prorsus repudianda est sectio, quoniā inferior palpebræ genuina sua grauitate proptè innectitur. Reliqua curādi ratio perinde atq; in cōsutione tractata est, hic quoq; competit: nisi quod restantia filorū capita, frōti minimè sunt adglutinãda. At si in hoc etiā casu, manuum administratione repudiata, ustionem potius per medicamenta deligere malis, hanc quoq; à nobis iam traditam habes.

De ectropio. Cap. 12.

VT in palpebra superiore uitium lagophthalmū uocatū, sic in inferiore ectropiū accidit. Nisi quod hoc naturaliter nō euenit, sed interdū ex relaxatione. medicamētis in id efficacib. illatis, præcedente inflāmatione: interdū ex sutura uel adustione parū dextrè administrata, palpebra inuertitur. Acum igitur quæ duplex linum habeat, in carunculam à sinisteriore hirquo ad dextram usq; traijcimus, postea extremis utrisque acus lino adplicato, carunculam attollimus, & scalpello succidimus, simul cum caruncula acu sequente. Si palpebra

ſic formã ſuam receperit, & æqualiter fuerit reſtituta, de ma nus opera erimus contenti. Sin carne ablata adhuc inuerta tur, cyathiſcum ſcalpelli iuxta mucronẽ ſectæ palpebræ ſubijciemus, internaq; parte palpebrã binis lineis ſecabimus, qua à duobus factæ inciſionis angulis auſpicantibus in faſtigiũ mucronatum ad Λ literæ Græcæ inſtar coëant, carunculam de trahemus, ut uertex ipſius deorſum ad oculum, baſis ſurſum ad cilium adpellatum reſpiciat. Deinde biantes plagæ oras, aci laneum filum trahente coniungemus, geminis conſutionibus contenti. Cæterum ſi ex ſutura uel uſtione acciderit inuerſio, ſub inferioribus etiam palpebræ pilis iuxta priorem cicatricem ſimplex linea incidenda eſt, labriſq; diductis linamenta inſinuanda, & reliquis deinceps præſidijs, ueluti in leporina adfectione docuimus, utendum eſt, exceptis fotibus, donec ſutura conglutinetur.

De euulſione pilorum palpebram irritantium, quam anabrochiſmum uocant, & aduſtione per ferrum. Cap. 13.

IN quorum palpebra pili, qui oculum pungunt, multi non ſunt, ſed unus modo, aut duo, uel ad ſummũ tres mutuo inter ſe propinqui, anabrochiſmum, id eſt illaqueationẽ probamus. Quæ fit hoc modo: Acu tenuiſſima accepta, per auriculã eius capillum muliebrem, aut ſimpliciſſimum byſſinũ filum tranſmittimus, duobus ſimul capitibus commiſſis, ſic, ut filum duplicem habeat anſulam inſtar ſinus, alterumq; filum huiuſmodi uel capillum in anſulam conijcimus, tranſmiſſaq; acu per cilium ubi pili agnati cernuntur, pilum ſeu pilos in ſinum anſulæ iniectos ſpecillo detrahemus. etſi quidẽ palpebræ pilus prahenſus fuerit, fili anſulam attrahimus. ſin autem unus plures ue exciderint, per initium iniectum, rurſus anſulam deorſum trahemus, iterumq; pilo ſeu pilis immiſſis attrahemus. Quod ſi unus duntaxat fuerit pilus, & idem gracilis qui oculum ſtimulet, eum unà cum alio ex naturalibus pilis euellemus, illitum antea gummi aut alio quodam glutinoſo, atque ita donec

pili

pili in unũ coalescant deligabimus. Nõ desunt tamen qui huic laqueationi ustionẽ præferentes, palpebram inuertũt, uulsisq; pilis irritantibus, siue uno siue duo, seu tres sint, candente scalpelli mucrone oliuari forma, aut specillo auriculari, aut eiusmodi aliquo tenui instrumẽto locũ adurũt, unde pilus piliue sint euulsi. sic cute densata, nullus pilus amplius renascitur.

De uesiculis palpebræ, quæ Græce hydatides dicuntur. Cap. 14.

HYdatis pinguis quædã est essentia, sub cute palpebræ præter naturam conflata. In nonnullis uerò, & præsertim pueris, utpote natura humidioribus, increscens grauiorum casuum causa euadit, dum oculũ aggrauat, eoq; fluxionibus exercet. palpebræ itaque his aquosæ infra supercilia apparent, neq; ut decorum est sursum queunt attolli. Si eas digitis inter se distantibus deprimamus, quod medium inter digitos existit, inflari cernitur. Matutino autem diluculo defluxione potissimum infestantur. Neq; ad solis splendores nisi lachrymantes lumina conuertere possunt, & continuis lippitudinibus tentantur. Aegro igitur adpositè collocato, binis digitis, indice & medico paululum diductis, palpebram comprimemus, collectionem quandam uesiculæ inter digitos molientes. Deinde famulo posterius stanti, & caput sustinenti, ad medium supercilium palpebram paululum attollat iubebimus. Nos sumpto scalpello eam lineá transuersa per medium secabimus, plaga tamen non maiore quàm in sectione uenarũ fieri solitũ est, nec altiore quàm ut uel totam cutem secet, uel hydatidem ipsam attingat: animum ad hoc solicitius aduertentes. multi enim altius per incuriam demisso scalpello, uel corneam membranã sauciauerunt, uel certe palpebræ musculum. Et si uesicula oculis protinus sese obiecerit, ipsam illico euellemus: sin minus, rursum suspensa leuiter manu lineã moliemur, ipsamq; si proruperit digitis molli linteolo adprehensam huc illuc agitantes, & in orbem nonnunquam circumagentes extrahemus.

A detractione duplicato linteolo posca imbuto & superimp
sito deligabimus. Nonnulli salem contritum mucrone specill
nucleum imitante incisuræ inijciunt, quo hydatidis reliquiæ
si quæ fuerint, consumantur. Post solutionem, si non urgeat in
flammatio, illitis collyrijs, uel lycio, uel glaucio, uel croceo
medebimur. Si inflammatione cõflictentur, cataplasmatis a
hoc comparatis, alijsq; præsidijs curabimus.

De palpebris coalescentibus. Cap. 15.

COmmittitur interdum superior palpebra cum cilio infe
riore, interdum cum tunica adnata, nonnunquam cũ ips
quoq; oculi cornea coalescit. Vitium hoc oculũ ad munia su
ignauum ac difficilem reddit, proinde uel specillo patenti pa
pebræ loco inserto, uel hamulo subiecto eleuabis, & scalpell
pterygijs secandis idoneo cohærentiam dissoluito, circumsp
ctè ne cornea membrana sauciettur deuitans, ne procidentia
ex hoc detur occasio. Post abscißionem oculo liquorem instil
labis: palpebris cum linamentis, ne rursum cohærescant, didu
ctis, lanam oui albore imbutam inserito. A tertio dein die at
tenuantibus, & cicatricem inducentibus collyrijs utendum.

De grandinib. palpebræ tuberculis, quæ chalazia dicũtur. Ca. 16.

CHalaziũ est crudi cuiusdã humoris in palpebra cõcretio
quod si exteriori palpebræ subsidet, incisione transuersim
forinsecus scalpello facta, specillo deinde uel aliquo id genus
instrumẽto tolletur. Si spaciosa et hiãs est diuisio, sutura oras
cõmittemus, et emplastrũ inducemus. Si exilis plaga est, simi
li modo curabimus. Si ab interiori parte sub cartilagine pel
lucet, inuersam palpebrã linea transuersa interius incidẽtes,
chalaziũ extrahetur: quo facto, muriæ instillatione utimur.

De uerrucis & inangularibus tuberculis, quæ Græce acrochor
dones et encanthides dicuntur. Cap. 17.

PAlpebrarũ uerrucas & inangularia, quia in maiore can
tho oriuntur, adpellata tubercula, (Græcè encanthides)
uulsella comprehensas, scalpello amputamus, friatam deinde
in pollinem chalcitidem superaccommodamus.

De

De pterygiis, hoc est oculorum unguibus. Cap. 18.

HOc uitium accidit, quum membrana quædã neruosa à mõiore angulo ut plurimũ orta, paulatim ulterius ad interiora procedit, oculũq; offendit: tum quia contrahendo bulbũ moueri non sinit, tũ quia procedendo uniuersam pupillã operit. Tenuibus sanè et albicantibus, quoniam facilius curantur, hũc ad modum manuum curatio adhibenda est: diductis palpebris, unguem hamulo paululum mucrone intus recuruato excipimus, sublatumq; acu pilum equinum & linum ualidum ducente, paululum in summitate inflexa, per medium traijcimus, linoq; uinctum sublimem suspendimus, seta equina partem pupillæ uicinam quasi ferrando desecantes, ad finem usq; excoriamus. Totum uerò ipsius reliquum, quod angulo maiori inhæret, radicitus excidimus, ita ut naturalis anguli caruncula relinquatur, ne ea ablata rhyas sequatur, hoc est perpetuus humoris descensus. Sunt qui uuguẽ sublatum, ut diximus, scalpello huic muneri dicato totam succidunt, excoriant, summa tamen cura adhibita, ne cornea membrana attingatur. Post manuum operam læuigati salis momentum loco inijcimus, lanamque candido oui liquore irriguam deuincimus. Facta aliquandiu pòst solutione, muriam instillabimus. Si inflammatio subsequitur, dedicatis huic malo auxilijs utemur.

De uuationibus oculi, seu staphylomatis. Cap. 19.

VVatio siue staphyloma est, mẽbranæ quæ cornus speciẽ habet, unà cũ acinali, quæ ragoeidis nuncupatur, debilitatæ incuruatio, modò ex defluxione, modò exhulceratione originẽ trahens. Huic autem uitio manum administramus, non ut luminis speciẽ iam abolitã restituamus (hoc enim nequit fieri) sed ut laboranti mediocrem uenustatis gratiam conciliemus. Oportet igitur acum ab inferiore parte sursum per radices staphylomatis traijcere, deinde alteram acum duplex filum trahentẽ, ab angulo qui ad manum spectat, ad alterũ per radices uuationis transmittere, tũ manẽte priori acu lini sinus am

putari, atq; ita uuæ superiora, inferioraq; filis deligare, mox acu extracta lanam albumine oui insuccatam superaccommodare. Ab huius inde solutione blandis infusionibus oculus fouendus est, quoad unà cum staphylomate fila excidant.

De oculo suppurato, quod hypopyon dicunt. Cap. 20.

DE purulentis oculis abunde erit, Galeni orationem apposuisse, quæ ad hunc modum se habet. Ocularius quidam nostræ ætatis medicus, Iustus nomine, ex capitis concußione plerosq; suppuratione oculorum uindicauit. In sella quippe rectos collocabat, mox capita ipsorum utrinq; à lateribus comprehendens, ita quatiebat, ut pus ipsis descẽdere euidenter conspiceremus, quod deorsum propter substantiæ grauitatem manauit, tametsi suffusiones nequaquam permanere, nisi accuratè admodum constringantur, ualeant. Progrediens rursus idẽ Galenus, inquit: Sæpe autem puris multum simul eduximus, cornea tunica paululum supra locum illum, qui iris à quibusdam, ab alijs corona appellatur, ubi omnes tunicæ inter sese committuntur, incisa: id quod Galenus in libro Curatoriæ artis prodidit. A puris excretione, uel ex aqua mulsa: uel succo fœnogræci melle temperato instillationibus expurgãtes, deinceps reliquam curationem accommodabimus.

De suffusionibus. Cap. 21.

SVffusio est crudi cuiusdam humoris in membrana quæ cornus speciem refert, iuxta pupillam colluuies, quæ uel uidere, uel lucidè uidere impedit. Ex frigiditate potißimum et imbecillitate spiritus uisorij prouenit, eamq; ob causam senibus magis & longo morbo confectis accidit: ex uiolento item uomitu et plaga, alijsq; plurib. de causis euenit. Atqui de suffusionibus, quæ adhuc efficiuntur, nullam manus administrationẽ requirentibus, in tertio uolumine facta est mentio. nũc eas quæ consummatam concretionem & firmam constitutionem acceperunt, indicijs suis denotabimus. Cuncti igitur suffusi fulgorem uel multum, uel paucum intuentur, eoq; discrimine ab

hebetudine

hebetudine & glaucedine distat suffusio, quòd hebetudine & glaucedine affecti, ne fulgorem quidem penitus cernunt. Rursum itaq; suffusionum & concretionem, & differentiam, & quomodo his manuum administratio sit adhibenda, Galenus te docebit. Oculum, inquit, suffusione laborantem concludimus, polliceq; compressam palpebram ad oculum hac illac impellimus. Postea oculo recluso, animaduertentes suffusionẽ intuemur. In quibus humor nondũ exactè concreuit, fusio quædam ex digiti impressura obuenit, quæ primò latior comparet: deinde rursus in suam figurã & magnitudinem redit. Sed in quibus humor ad perfectam duriciem coaluit, nulla neq; latitudinis, neq; figuræ ex cõpreßione immutatio obuiat. Quoniam uerò hæc earum & quæ modicè, & quæ suprà quàm par est indurauerunt, nota communis est, colore ipsas discernemus. Nam quæ ferri colorem uel cœruleum, uel plumbi referunt, mediocriter coaluerunt, & ad deductionem accommodatæ sunt. Quæ uerò gypso aut grandini similẽ colorem habẽt, ultra modum compactæ & induratæ sunt. Hæc ubi ex Galeno didicimus, collocato in sedili homine in lucido citra solem loco, sanum oculum summa diligentia colligabimus: tũ apertis alterius palpebris, ab iride appellata, eum ad minorem hirquum, aliquãtulum ad specilli mucronis instar deducemus, & retuso punctorij stili capitulo, locum ubi pungendum est notis designamus, in læuo quidẽ lumine dextra, in dextro læua manu operãtes. Mox teretem specilli mucronẽ inuersum acriter notæ designatæ impingimus, usq; dũ inani loco incidimus. Ea nobis erit mensura, ut tam altè penetremus, quantum à pupilla ad iridẽ interest spacij. Ex superiori igitur suffusionis parte acu adacta (euidenter enim ferrum, propter corneæ membranæ pelluciditatem, conspicitur) humoris concretionem per ipsam ad inferiorem regionem deducimus. Et si statim id ducta fuerit, persistemus, quiescentes aliquantulum. sin reuecsa fuerit, iterum deriuanda est. Post autem humoris colluuir

deductionem, sensim circũuertendo stilus extrahendus est, tũ alis capadocis momentũ aqua dilutũ oculo eloto instillandum est, lanamq; luteo oui liquore imbutã cum rosaceo foris impositã deuinciemus, ita ut oculus sanus, ne unà cũ altero moueatur, simul deligetur. Deinde in domuncula subterranea laborantẽ prorsum quiescere, et tenui uictu uti præcipimus, oculis eta ad septimũ usq; diẽ, nisi quid probibeat, deligatis: à quo resoluemus, et ex rebus quibusdã uisibilibus obiectis uisionis periculum faciemus. Quod inter manus curationẽ et ab hoc protinus fieri non debet, quoniã ex nimia intuitus intentione facilè rursus redire suffusio solet. Si qua inflammatio urgebit, etiam ante septimum diem facta solutione certatim occurrendũ est.

De ægilope abscessu oculi. Cap. 22.

AEgilops tumẽs abscessus est, inter maiorẽ hirquũ & nares medius. Quod uitiũ remedijs difficulter eliditur, tũ ob partium tenuitatẽ, tum ob periculũ, quod ex cõsensu oculo imminet. Quare si ad summam cutim eruperit abscessus, omne id quod extuberat, ossetenus circumcidendũ est. Si ad malã hulcus dehiscẽs ceu fistula subierit, totum ipsum aperiemus, & os etiamdũ incorruptũ rademus. Sin iam carie uexetur, cãdentibus ac retusis ferramentis aduremus, spongia frigida aqua irrigua oculo imposita. Quidam post carunculæ excisionem terebra usi, humorem uel pus in nares traducũt. nos sola adustione contenti sumus, eo usq; ferramẽtis ægilopi dicatis adurentes, ut squama abscederet. Post ustionem medicamentis ex lẽticula et melle, uel malicorio, sidiotóue, & reliquis exiccantibus præsidijs utimur. Quod si ægilops non ad summã cutem, sed ad hirquum tendat, scalpello uel ad pterygia secanda, uel ad uenam aperiendam idoneo, totam eam quæ inter hirquum existit particulam, ad abscessum resoluentes, carnes ex imo euellimus, et moderatè exiccabimus. Vitri aũt puluisculus inspersus mirificè desiccat. Idem aloẽ cum manna præstat. Reliquam ægilopum curationem tertio libro tractauimus.

De auditoriis meatibus non peruiis. Cap. 23.

HOc uitium à primo natali die accidit, membrana quadam auditorium meatum obstruente, nūc in summo tantū, nunc in alto: postea facta prius secundum meatum exhulceratione, caro enim superexcrescens ipsum cicatrice obturat. Si igitur in alto fuerit membrana auditum impediens, difficilis erit omnis conatus, dissecare tamē ipsam tenui aliquo instrumēto tentandum est. Si in summo, aculeato cultello, quod Græci scolopomacherium uocant, hanc diuisam, si opus est, etiam detrahemus. Si carnis incrementum fuerit, id scalpello ad ungues accōmodato, uel spathula polytica auferemus. Deinde linteolum ex laciniis adpositè ad meaculi mensuram contortum, aqua imbutum, in læuoremq́; detrita chalcitide, uel tali aliquo arido aspersum, inuolutumq́;, ne caro rursus increscat, in meatum demittemus: quod tamen, si inflammatio infestat, protinus tollendum est. Si meatus sanguine manat, spongia aqua frigida madens imponenda est: aliaq́; ad hoc consecrata remedia conuenienter adhibebimus.

De iis quæ in auditorium meatū inciderunt. Cap. 24.

INcidunt in aures nō solū calculi, sed etiā uitrum, fabæ, et siliquarū oßicula. Vitrū utiq; et calculi propriā magnitudinem seruant: fabæ et siliquarū oßicula, et id genus reliqua naturali corporis humiditate inflata, extremos cruciatus inducunt. Oportet itaq; specillo auriculario, uel hamulo, uel uulsella hæc eiicere: uel uiolēta capitis concußione, aure supra circulum aliquem posita. Sæpe etiam numero hæc per calamum sugendo extrahimus, exugentes quemadmodum aquam quæ auribus inciderit, cera circumquaque calamum quà auri inijcitur obturantes, ne uspiā spiritui exitus pateat. Lapillos et reliqua huiusmodi corpuscula, specillo lana inuoluto, resinaq́; terebinthina imbuto, uel glutinoso quodam oblito, leniter in aurem demisso, extrahimus. Si uerò nō successerit, sternutamentum proliciente remedio naribus indito, os simul

& nasi foramina obturato. Si ne horum quidem ulli obtemperauerit, antequam inflammatio & conuulsio, uel periculum demum aliquod fuerit subsequutum, manuum scalpelliq; opera auferemus. Collocabitur itaq; laborans, ut auris eius auersa sit: retro eam quæ fibra dicitur, ad basim ipsius & lunata figura, linea exilis inciditur, latiusculaq; specilli parte corpusculum quod inhæret, extrahemus. Deinde ablato illo, plagam consuetam haud aliter atq; cruenta medemur.

De polypis. Cap. 25.

Polypus tumor est, qui præter naturam intra nasi foramina concrescit, à marini animalis polypi similitudine nomē sortitus, tum quia carni eius simile est uitium: tum quia quemadmodum ille suis cirrbis piscantes ulciscitur, manus ipsorum suis flagellis implicans, ita & hoc uitium nares laborantium obstruit, difficultatem quum respirandi tum loquendi exhibens. Duri itaq; et tactui resistentes polypi, subliuidi & malefici, utpote cācri naturā resipiscentes, nō sunt attingendi: fragiles autem magis, laxiores, torpentesq;, neq; maligni, manus opera curandi sunt. In sella igitur aduersus solarem radium hominem figurabimus, læuaq; manu narium eius meatum dilatatum tenentes, dextera spatha huic rei dedicata, polypicā ue ad myrtacei folij formam robusta polypum, uel excrementum carnis in orbem circumcidemus, eā in partem ferramenti acie imposita, ubi naribus adhæerescit: deinde auersa manubrioli parte, excisam carnem eximemus. Et si nasi meatū purum effectum uiderimus, ad remediorum auxilia deueniendū est: si qua polypi particula superfuerit, alterius ferramēti, ad polypum eradendum facti, acie immissa, relictum corpus cum tensione, torsione & rasura strenuè educemus. Maleficos aūt polypos gracilibus & oliuaribus ferramentis candētibus adurere conuenit. Post adustionem, præsidia ustioni dicata adhibenda sunt. A scalpelli uerò usu, manuumq; opera, spongia oco exactè deterso, poscam uel uinum in nares infundimus.

Et si

Et si liquor per palatum ad fauces transierit, bene se habebũt functiones manuum. Sin minus, indicat polypi carunculam circa ossa, quæ à colando ethmoides dicuntur, hærere: uel superius, quæ instrumenta polypica nondum comprehẽderũt. Linum ergo mediocri craßitudine funiculi aut fasciæ instar, ueluti per duorum, aut trium digitorum spacium nodis innexum, in foramen specilli inserimus: deinde alterũ extremum sursum ad colatorios usq; meatus propellimus, idem per palatum ad os usque eijcientes, utraq; manu apprehendentes ultro citroq; trahimus, tanquam nodis seu serra superfluam carnẽ perforantes. Post hæc meatus funiculari linamento apertus seruãdus est. A tertio dein die pastillo Musæ, et id genus alijs reliquias uitij absumemus, unaq; locum exiccabimus. Pastilli postremo quæ cicatricẽ faciũt, adhibendi sunt: plũbeis fistulis scitè, si res exigat toto curationis tempore naribus iniectis.

De curtis quæ colobomata dicuntur. Cap. 26.

CVrta uerò in auribus aut labris hoc compendio sanantur. Principiò sanè cutem ab inferiore parte excoriamus, ac leuiter detrahimus: postea commißis inuicem uulnerum oris, & eo quo in callum induruit ablato, mox fibulis consarcinamus, & conglutinamus.

De epulidibus & parulidibus, gingiuarum abscessibus. Cap. 27.

EPulis caro quædam est superflua, iuxta dentium aliquem in gingiuis exorta. Parulis uerò, pusillus circa gingiuas abscessulus est. Epulidem ergo uulsella aut hamulo sublatã excidimus. Parulidem orbiculatim excisam, linamentis impositis curamus. Scio ego parulidẽ sæpenumero phlebotomo solũ punctam, pure euacuato desijsse. Post scalpelli usum uino protinus, sequenti die mulsa collui mandamus. Tertio die puluerẽ antherum appellatum uulneri, donec absoluatur curatio, inducemus. Si putrilago gingiuas infestat, & conuenientia huic remedia nihil subueniant, tenuibus, retusis, candentib.q; ferramentis aduretur.

De dentium euulsione. Cap. 28.

DEntem qui eximendus est, usq; ad radices circumscarificatum, forcipe paululũ concutiẽtes, euellimus. Si dens erosus est, id foramẽ tenui linamento replendũ est, ne strictus sub forcipe cõfringatur. Euulso dente, restantes carunculæ sale tenuißimo infriatæ cõsumentur. Mox uino uel posca, quoad sanatio finiatur, collui debet. Quoniam aũt superflui quidam dentes agnascũtur, eos qui radici inserti concauitatib. hærent, scalpro excisorio excindemus: qui non ita inseruntur, forcipe educendi sunt. At si dentium aliquis supra quàm par excreuerit, uel cõfractus fuerit, quod prominet et superuacaneũ est, lima, rhinarió ue atterendum est: adhærescentesq; ipsis, ceu assolet, squamulæ, uel specilli latiuscula extremitate, uel rasorio cultello, uel limula deniq; expurgandæ sunt.

De ancylio, id est incuruatione, aut retractione linguę, qua laborantes ægre sermonem faciunt. Cap. 29.

ANcyloglossũ uitiũ est linguæ, quod aliàs ex natiuitate euenit, quũ membranæ quæ linguam continent, duriusculæ ac breuiores à natura productæ sunt. Aliàs ex causa accidentaria, quum sub lingua ex hulcere aliquo durior cicatrix relicta est. Quibus natura hoc uitiũ cognatũ est, ex eo quod tardè in sermonẽ prorũpunt, et nulla præcedente exulceratione uinculũ iusto maius cõspicitur, cognosci possunt. Qui ex aduentitia occasione hoc patiuntur, cicatricẽ euidenter conspicuã præferunt. Desidere itaq; in sedili ægrũ oportet, ita figuratũ, ut lingua eius sursum ad palatum attollatur, & nerueum illud per transuersum succidetur. Quod si ex cicatrice aliqua curuitas linguæ prouenerit, uncino callus apprehensus extrahendus est, & laterali linea incidendus, sic ut incuruatio illa dissoluatur. Animaduersione simul habita, ne altè fiat incisio, & subiacentes uenæ dissecentur. Profluuium enim sanguinis incompescibile frequenter inde fieri consueuit. Ab opere autem patrato, ex aqua frigida uel posca uulnus eluendum est, dein-

de

de ea curandi ratione quæ relaxet, et carne repleat, utendum.

De tonsillis. Cap. 30.

PErinde atq; in collo glãdulæ induratæ, strumæ nũcupantur: ita etiam paristhmia inflammatione tentata, uel supra quàm par est aucta, et quasi exiccata, difficultatẽq; transglutioni et spiritui exhibẽtia, è regione utrinq; sibi inuicẽ opposita, Græcè Antiades, hoc est tonsillæ appellantur. In quibus quũ adest inflammatio, ab opere abstinendũ est: quũ illa uerò aliquantulũ finita fuerit, manus admouendà, præcipuè candidis in arctũ coactis, & ad radices angustis. Nam quæ madore flaccescunt, rubentq; & latã basim habẽt, facillimè sanguinis eruptione periclitantur. Collocato igitur aduersus solis fulgorẽ homini hiare præcipimus, famulo caput posterius continente, & lingua eius ab altero spatha ad id facta ad inferiorem maxillam depressa, nos uncino tonsillæ iniecto, ipsam pro uirili mẽbranis intactis, attrahimus. Post hæc totã ipsam à radice amputamus, scalpello incuruationi linguæ dicato. Bina enim habẽtur id genus instrumẽta, aduersa inter se acie recuruata. Post excisionem unius, alteram eodẽ modo, uice conuersa aggredimur. Postquam munia ferro sunt obita, laborans ex aqua gelida, aut posca gargarizabit. Si sanguinis profusio superueniat, rubi etiã, rosarũq; et myrti decocto tepido utendum est. Si copia sanguinis feratur, plantaginis et solidaginis succo, et ex succino pastillo, & lemnio sigillo posca diluto collui debent. Eruptione autem sanguinis finita, sequenti die, rosarũ flore, croco & amylo, cum lacte uel aqua, uel oui albore, uel aqua mulsa rosacea perungentur. Si sordes hulcera contraxerint, ex melle collutiones, illitusq; salubriter adhibentur.

De uua. Cap. 31.

GVrgulio quũ uocis plectrum quoddã existat, identidem à capite fluxionẽ excipit. Idẽq; præter naturã auctus, si oblõgior & tenuis euadit, columella: si inferiore eius parte crassior et orbicularis fiat, uua adpellatur: utrunque à similitudine nomen inditũ. Huic affectui, si neque uniuersalibus præsidiis,

dijs, puta sanguinis detractioni, & pharmaco concitatis euacuationibus, neq; ijs quæ exterius loco inijciuntur, astringentibus inquam, uel repellentibus, uel discutientibus remedijs succurri potest, ad Chirurgiam deueniendum est, ne aßiduo irritatu tußim et uigilias, & strangulatum etiam aliquando inferat. Contractas igitur uuas, orbiculares, non oblongas, cruentas uel liuidas, manu non attingamus. Tenues autem, oblongas, in summo muris caudæ modo attenuatas, resolutas, non adeò sanguinolẽtas, sed albicantes è manu curabimus. Statim enim ab inflammatione uindicantur. Idq; tantum præcidendum est, quo longior uua quàm secundũ naturam existit. Nã si prorsus tota præcidatur, ut summum thoracis regionibus adfert nocumentum, ita mutos interdũ efficit. Collocato itaq; ad solis radios laborante, os quantum potest diducere iubebimus: deinde uuaria forcipe aut uulsella, quod superuacuũ est prehensum, & ad inferiorem partem tractum, ferramento ad id facto, uel scalpello sutorio, præcidimus. Ab opere autem patrato, agenda eadem sunt, quæ in uenarum sectione comprehensa sunt. Non rarò autem propter ægrotantis pauorẽ, uel ob sanguinis profluuij metum, uel ob medicamẽti siccitatem ferrum deuitamus, et adurẽte potius medicamẽto eã consumimus. Vbi illud quod in palpebrarũ adustione dictũ est medicamentũ, uel id genus aliud adhibere cõuenit, eoq; instrumẽto quo uuæ adurũtur sinus implere, et homini os quãmaximè potest diducere iusso, lingua per ministrũ forcipe ad id accommodato depressa, tantã uuæ partẽ instrumẽto dilatato apprehẽdimus, quantã amputari cõpetit. Medicamentũ autem substantiam habeat neq; nimis liquidam, ne diffluens ab uua deerret, inferiora autem membra adurat: ob hoc etiam homini præcipimus, ne per uniuersum adustionis tempus deglutiat: neq; nimis durum, quo facilius uuæ insidat. Si uno iniectu summa uua nigritiem contraxerit, contenti simus, si minus, bis utemur, toto administrationis tempore ægro os apertum deorsum inclinante, u

te, ut sputum eliquatum, & medicamenti portiunculæ ex ore effluant. Horæ enim unius spacio uua emoritur, tertio quarto'ue die excidit. Post ustionem indice molli lana aut stippa inuoluto, gurgulionem undiq; extergimus, uel aqua os collui iubebimus. Colli autem regionem ex chamæmelino fouebimus: quemadmodum in illis quibus tonsillæ fuerũt ablatæ, ob communem quam cum his habet affectionem. Gargarizationes insuper & illitus pari modo adhibenda sunt.

De spinis gulæ infixis eximendis. Cap. 32.

DVm estur, sæpenumero spinæ tum piscium, tum aliorum quorundam diuersis gulæ partibus deuorantur. Quæ igitur oculis subiacent, uulsellis ad spinas eximendis factis, quæ priuatim acanthobola dicuntur, extrahendæ sunt. Si uerò in inferioribus gulæ locis ad glutiendi orificium hæserint, alio modo educentur. Nonnulli maiora corpuscula, ueluti caulem lactucarũ, aut panis bucceas deglutiendas exhibẽt. Alij spongiolam puram ac mollem cum filo ipsi alligato deuorari iubent, & mox apprehenso filo, rursum extrahi, idq; sæpius, ut spina spongiæ infixa simul educatur. Leonides autem cataplasmata quæ concoquant exterius imponere præcipit, cuiusmodi ex cruda polenta oleo & aqua subacta conficientur, ut spina suppurata ultrò excidat. Si eadem hora qua spina infigitur, uel priusquam in uentriculo fiat concoctio in laborantẽ inciderimus, eo quod infixũ est in conspectũ nõ ueniẽte, digito uel pinna in os demissa euomere mãdabimus. Sic enim interdũ accidit, ut unà cum uomitu quicquid infixum est, eijciatur.

De gutturis incisione. Cap. 33.

CHirurgicorum optimi hanc quoq; manuum curationẽ descripserunt. Antillus igitur ita tradit: In his qui angina laborãt, ut de ratione uictus docebitur, manuum administrationem repudiamus, quum inutilis futura sit incisio, ubi arteriæ omnes & pulmo affectus est. In ijs autem, qui circa os et mentum inflammationem experiũtur, aut etiam tonsillis, quæ fau

cium os operiunt, nulla laborante arteria, non alienū est, quo strangulationis periculū euitetur, gutturis incisione uti. Mox quū in opere sumus, infra gutturis caput spacio triū ipsius aut quatuor orbiū partē quandā asperæ arteriæ (tota enim diuidi sine periculo nequit) amputabimus. Nam hic locus est accommodus, tum quod excarnis sit, tum quod uasa procul à parte diuisa sint dißita. Reflexo itaq; in posteriorē partem ægrotantis capite, ut guttur manifestius in conspectum ueniat, transuersa linea inter duos circulos ipsum incidemus, ut cartilagine intacta, membrana tantū cartilagines inuoluēs, discindatur. Quod si quis meticulosior in hoc opere fuerit, uncino is cutem eleuatā prius diuidet. Postea sic guttur ipsum aggressus, uasis omnibus, si fortè occurrāt, præteritis, sectionem faciat. Hactenus Antyllus. Coniectabat autem is gutturis incisionem, tum ex spiritus quodam cum murmure eruptione, tum ex uocis interruptione. Quum autem strangulatus periculum præterijt, oras plagæ renouatas suturis committemus, ita ut cutis sola absq; cartilagine cōsuatur. Et quod cruentis facit medicamentum adhibebimus, si nō glutinetur, carnem inducente remedio utemur. Eadem curatio erit adhibenda, si quis nobis obtigerit, qui finiendæ uitæ desiderio iugulum sibi sauciauerit.

De abscessu. Cap. 34.

QVod abscessus, carniū, seu carnearū partiū corruptio & mutatio sit, et quæ nā origo eiusmodi, quotq; eius sint discrimina, quarto libro satis superq; dissertatū est. Nūc eos tātū quibus citra manuū scalpelliq; operā mederi nō datur, persequemur, quū exacta in pus facta fuerit mutatio. Quam ex his facilè cognouerimus, q. dolores, febris si præcesserit, robur, pulsus, et reliqua inflammationis signa diminuūtur, & in mucronē tumor acuminatur, & ad digitorū cōpressurā pus subabitur, potißimè in abscesßib. qui summa occupāt, tūc ad manuū ministrationē ueniēdū est. Si uerò neq; tactu sentietur, neq; fastigietur tumor, eo quod in alto delitescat, alias mutationis

in pus

in pus notas animo reputantes, scalpellum adhibebimus. Sciendum aũt, quod abscessus ante absolutam interdum in pus mutationem, incidi uel crudos conuenit, si uel prope articulos, uel principem aliquam partem consistant, ne immorante putredine uel ligamentum, uel membrum aliquod necessarium pariter corrumpatur. Abscessus porrò sedi uicinos ante perfectã maturationẽ, uel crudos aperire, præcipit Hippocrates, ueritus ne in perforationẽ procedant. Incisiones itaq; non pari linea sunt omnes faciendæ. Nam in fronte naturales, in capite capillorum exortus sequemur, cura decoris, quatenus fieri potest, habita. Recta uerò linea brachia secamus, & crura secundum musculos & tendones: neruis & arterijs principibusq; corporis partibus magno studio euitatis: nunc in rectum, nunc transuersum, prout res exiget, abscessum diuidentes. Minores quidem abscessus una, maiores pluribus, iuxta magnitudinis rationem, tenuiorib. tamen, et efflictioni idoneis lineis incidemus. Plurimum fastigiati, crudi, tenues, et emortui latius sunt excidendi, ut plaga in trianguli, aut myrtacei folij, aut alterius anguli figuram euadat. nam orbicularis ad cicatricem difficilius perducitur. Qui uerò non sunt fastigiati, simplici dũtaxat linea sunt aperiendi. Sed quum ingentem sinum inuenimus, si carnosa cute & ad glutinandũ sufficiente operiuntur, sat est, si idoneis ad puris exitũ sectionibus utemur. Si tenuis et excarnis admodũ cutis superiacet, in longitudinẽ dissecetur. Deinde facta simplici diuisione, si corpuscula utrinq; sita gracilia ualde et macilentia uidebuntur, excidẽda sunt. Functione manuũ iã obita, spongia locus abstergendus est. Si exiguus est abscessus, et unica facta linea, simplici linamentorum iniectione utendum. Si amplius et multotiens ferrum expertus, lemniscum, hoc est linamentum aliquod in longitudinem implicitũ, per foramen est traijciendum, simili modo plagæ linamentis implendæ sunt. Si sanguis eruptio comitetur, aqua frigida, uel posca utendum. Si ita non sistatur, scobs chalcitidis est insper

enda, quæ sæpe ob flaccidã putredinem admouetur. Splenia hyeme, & neruosis in partibus uino, cui oleũ adiectum sit, madefacta imponamus. Æstate & carnosis partibus aqua oleo admixto, uel etiam ipso quoq; uino cum oleo, sed frigido tincta deligabimus. Postero die iisdem his liquoribus irrigabimus. Tertio pòst die soluentes, & spongia detergentes, linamentis tetrapharmaco illitis utemur. Si inflammatio desit, eundem fotum asperginemq; ramentorũ custodiam superaccommodabimus. Sin adsit inflammatio, aspersionibus congruis prius usi, cataplasma ad concoquendum idoneum, iniiciemus. Finita uerò inflammatione maturantibus, et carnem inducentibus præsidiis medebimur. Sinus quoq; glutinantibus medicamentis, ueluti in quarto memoratum est libro, sanabimus.

De strumis. Cap. 35.

STrumæ sunt adenes indurati, quæ in collo axillis & inguinibus præcipuè consistunt. Chœrades Græcè appellati, mutato à chœradibus scopulis nomine, uel à suibus multiparis animalibus, uel quod eiusmodi collum chœri, hoc est porci habeant. Generantur autem strumæ in anteriore ceruicis parte, uel in altera tantum, uel utrinque una, uel binæ, aut plures, inq; suis membranis singula perinde ac steatomata, atheromata, & melicerides complectuntur. Quæ dolore afficiunt, attrectatuq; manuum, & medicamentis efferuntur, ac deteriores fiunt. Maleficæ sunt, quas etiam carcinodas quidam dixerũt. Patetq; omnibus has neq; manu, neq; ferro cedere. Illis igitur tantum quæ attactu, & opportunis medicamentis morigeræ ac benignæ, hoc modo manus adhibendæ sunt. Superficiarias & in cute serpentes, simplici diuisione facta, ab incumbentib. particulis absoluemus, orasq; hamis cute distenta membranis excoriamus, sicut in uasorum dissectione docuimus: ac paulatim euellemus. Maiores autem strumas hamo infixo suspendemus, & simili modo excoriatæ à cohærentibus partibus undiquaq; liberabũtur: cura adhibita, ne soporariæ arteriæ, quas caroti

carotidas dicunt, uel nerui recurrentes attingãtur. Si uerò uena aliqua incisa cruore opus adumbret, laqueo adstringatur. uel nisi amplior fuerit planè etiam abscindatur. Atq; quum ita strumæ radix in arctum uenerit, scitè admodum amputabitur. Demissoq; indice diligenter perscrutabimur, nũ aliæ strumæ adiaceant, quæ similiter tollantur. Quod si, num in strumæ fundo uas aliquod ingens, uel plura etiam subsint dubitemus, ferro abstinere, laqueoq; excipere conuenit, ut particulatim tutò sponte sua excidat. Tunc linamentis medicamento illitis, curatio tentabitur: nam si excindantur, oræ committuntur. Incisiones autẽ rectis lineis sunt faciẽdæ: et si nihil superfluum habuerint, illico cõsuendæ. Si ex tumoris cute quid redũdat, parte ea myrtacei folij instar exempta, suturis utemur, medicamentumq; ad cruenta idoneum superaccommodemus.

De seuationibus, pultationibus, & mellifauiis, quæ Græci steatomata, atheromata, & meliceridès uocant. Cap. 36.

HAec quoq; in abscessuum genere quum sint, eo tamẽ discrimine dißident, quod qui propriè abscessus dicuntur, inflãmationem experiuntur, & dolore afficiunt, acrem'que humorem et corrodentem continent, neq; peculiari aliqua membrana seu tunica amiciuntur. Quin & hæc quoq; inter se differunt. In adipinis enim nodis, steatomatisúe contentus humor adipi sit, ut præ se fert appellatio similis: qui in pultaceis nodis seu atheromatis, atheræ, id est frumentaceæ pulti: qui in mellis siue meliceridibus humor, mellis speciẽ refert. Discernes autem hoc modo: nodus adipinus seuatióue durior est alijs, tactui renitens, basimq; firmiorẽ habens. Melleus uerò nodus, tangentibus quasi laxum quoddam corpus subsidet, & lentè quidem locum mutat, ceditq;: celeriter autem succrescẽs, ad situm pristinum reuertitur. In manuum functione haud aliter ac strumæ curantur, incisione, excoriatu, suturis, & reliqua medendi ratione. Solum, ne membrana uioletur, cautio est, ne humor qui continebatur, effusus manuum actioni impedimẽto

ſit, et partem aliquam relinquat. Vnde occaſio fit, ut plerunq; circa brachialia, & malleolos, et articulamēta ad mouēdū facta, denuò uitiū tale renaſcatur: ſicuti et ſtruma, ſi uel tota, uel portio ipſius relicta. Si huiuſmodi quid inciderit, præſtat non ſuere, ſed exedentibus medicamentis reliquias conſumere.

De aneuryſmate, id eſt dilatatione. Cap. 37.

ANeuryſma tumor eſt mollis, digitisq; cedens, cuius origo ex ſanguine & ſpiritu eſt, de quo Galenus ſic tradit: Aperto arteriæ orificio, affectus aneuryſma appellatur. Accidit interdum ex uulnere, quotiens cutis exterior ad cicatricem perducitur, permanente abſque cicatrice arteria, nec coaleſcente, nec carne obſtructa. Deprehenduntur his notis affectiones huiuſmodi arteriarum pulſu: imò ſi manu comprimamus, tumor quodammodo euaneſcit, recurrēte quæ ipſum efficiebat in arterias, ſubſtantia. hæc Galenus. Nos uerò ipſas inter ſe hunc in modum diſcernimus. quæ apertione uenarum obueniunt, proceriores ſunt, & in alto conſiſtunt, & ad compreſſuram digitorum ſonitus quidā exauditur, quum nullū huiuſmodi ſonitum, quæ ex ruptura eueniunt, efficiāt, & circulares magis ſunt, et in ſummo ſubſident. His itaq; quæ in axillis, inguinib. & ceruice exiſtunt, quæq; alia loca infeſtant, & prægrandi magnitudine ſunt aneuryſmatis, propter uaſorum amplitudinem manus adhibenda non eſt. Quæ extremis partibus, brachijs, cruribus, & capiti obueniunt, ferro aggredi hoc pacto conuenit: ſi per nerui arteriæ'ue dilatationem tumor emerſerit, cutem recta linea per longitudinem incidemus. Deinde arteriarum labia uncinis diſtracta, quemadmodum in uaſorum diſſectione comprehenſum eſt, excoriantur, & inſtrumentis huic rei dicatis circumpurgata arteria denudabitur, traiectione acus duobus funiculis & lino utrinque facta deligatione utendum, ſecta arteriæ parte ſcalpello per medium, & cum ambiente membrana unita, quæ pus maturant, uſq; dum funiculi excidant, medicamenta ſunt inducenda. Si rupturæ

fertur

fertur acceptum, aneurysmo totum id, quatenus fieri potest, unà cum cute digitis prehendendum est, postea acu duplex filum ducente inferius transmissa, et fili ansula forcipe præcisa, sic binis utrinq; filis, ueluti de staphylomate diximus, tumor est deligandus. Si metus est ne fila hæc corrupta dilabantur, altera duplici similiter filo inserto traijcienda est acus per totum quæ priorem premat. atq; pari modo ansula præsecta, quatuor filis tumor est uinciendus: uel tumore per medium adaperto atq; exinanitio, cutis circumcidenda est, ea quæ ligata est relicta. Splenioq; ex œnelæo superaccommodato, linamentis medicamento imbutis medebimur.

De hernia gutturis, quã bronchocelen appellant. Cap. 38.

BRonchocele ingens et rotundus in ceruice tumor est, mutuato ab interioribus colli partibus nomine. cuius differentiæ sunt duæ. Siquidẽ aliæ adipationes, aliæ partium dilatationes præsentant. Quas ex ijsdem quibus aneurysmata notis cognoscemus, & ceu uitium conclamatum deuitamus, quum omnia similiter aneurysmata, maximè quæ in collo oboriuntur, cum periculo propter arteriarum amplitudinem manuum operationem admittant. Seuationes autem referentes, perinde atq; adipationes curentur, separatis, intactisq; uasis: quemadmodum in scrofularum curatione explicuimus.

De ganglio. Cap. 39.

GAnglium est nerui in nodum coitio, ex ictu uel defatigatione magna quidem ex parte, in brachiali et malleolo, et locis quæ articulis mouentur, alijs itẽ corporis partibus, proueniens. Comitatur hoc malũ tumor concolor, renitens et dolore uacans. Quem si uiolenter quis premat, torporis quendam sensum exhibet, non altè, sed sub ipsa cute oriens, ad latera tantũ nutans prorsum aut retrorsum, nequaquã etiã si uiolẽter adigas. Ab his quæ crura, aut brachia, aut extimas partes occupãt, scalpelli operã arcemus. periculũ enim, ne si quid illic excidatur, membrum illud mutilum reddatur. Quæ in capite

& fronte eueniunt, opere chirurgico ita curamus. Cutis scalpello diuiditur: & siquidem parua sunt uulsella, comprehensa ex radice praeciduntur. Si grãdia, uncinis transfixa excoriataq; auferuntur, suturis orae committuntur, medicamentumq; cruentis uulneribus dicatum inijcitur.

De uenarum sectione. Cap. 40.

QVanquam sanguinis detrahendi ratio per uenas neminem fugiat, tamen ut ea medicinae portio, quae manus opera administratur, numeris omnibus consummata sit, & ob artificiosas eius distinctiones, non erit etiam hic nobis silentio tanquam despicabilis praetereunda. Prima igitur incisionis uenarum intentio est, ut sanguen superfluum euacuetur. Sanguinis uerò redundatio duplex indicata est. una quidẽ ad uires, etiam si uenae fartae non uideantur: quo in statu homines illico imbecilles infirmiq; redduntur, quum natura onus ueluti sarcinam quandam sustinere non queat. Altera uerò ad ipsa, quae sanguinem continent, receptacula, ipsa sanguinis trãsfusione speculata, etsi uirtus citra molestiam id perferat. Vnde ruptis interdum uenis, sputum cruentum, uel aliae sanguinis fluxiones accidunt. Redundantiam ergo sanguinis, quae ex uirtute spectatur, corporis grauatio arguit: uenarum copiam, distentio, & quod illae fartae inturgescunt. Vtraque autem exinanitionem necessariam esse significat. Quocirca in primo aegritudinis die, si necessitas urgeat, sanguinem per uenas detrahas, sola prius ciborum in uentriculo concoctione, aut etiã iusta sanguinis in iocinore elaboratione cõsiderata. Quod si per initia alicuius ergò uenae sectio praetermissa fuerit, ultra etiam septimũ diem eam incidere haud erit absurdum, si id usus & necessitas expostulet, & aegri uires non renuant. Oportet autem eum qui sanguinem detrahere uult, diligenter dispicere, num multa recrementorum in intestinis retentio sit, & deprehensam leni prius clystere euacuare, ne uenae ab intestinis putridã aliquam retrimentorum essentiam attrahant. Atq; ijs quidem. qui

qui propter urgentem affectum sanguinis detractionem postulant, quouis tempore, acceßionum duntaxat particularium febrium uigore euitato, uenam incidemus. Si continua fuerit febris, matutinum tempus omnino magis erit opportunum. Qui uerò nullo infestante morbo, sed tutelæ potius, aut præcautionis gratia sanguinis euacuationem exigunt, his uer competit. In ætatibus porrò cautio est, ne ad quartum & decimum usq; annum: item post sexagesimum annum unquam sanguis per uenas detrahatur, nisi irrecusabilis aliqua neceßitas huc nos compellat. Et in uniuersum, qui imbecillioribus uiribus prædi ti sunt, ab eiusmodi exinanitione arcendi sunt. Iam in membris recens inflāmatione correptis, ex aduersa parte, in diuturnioribus ex propinqua facienda est euacuatio. Ex qualibet sanè corporis particula, sed plerunq; ex interiore cubiti uena sanguis mittendus est. Vbi studiose animaduertendum, quod interiore & alari adpellatæ uenæ, arteria, mediæ, neruus perpetuò subijcitur. Superior, quæ et humeralis uocatur, omni periculo uacat: quam in capitis quidem affectibus secare nihil ambigimus. In his qui infrà collum afficiunt, alarem, in utrisque mediam. Fascia igitur arcta partem brachij aliquā circa musculos deuincire conuenit: mox frictione manuum inter se mutua repletam uenam usui idoneam, transuersim per totam ipsius latitudinem tantum diuidere. Ampliores nanq; hac plaga, difficulter ad cicatricem perducuntur. Nimis angustæ, præterquam quòd craßioris succi transitum impediunt, etiam inflammationibus tentantur. In quibus autem secundo aut tertio, interim uerò etiam quarto die sanguinem adhuc detrahendum esse speramus, obliquiori linea uenam secare cōuenit, quo in manus inflexione dehiscens, cicatricem non facilè admittat. Ita quidem placuit Antillo. Quantum autem humoris euacuandum sit, ex uirium robore, et morbi magnitudine erit metiendum. Si ergo humoris, feruentisq; materiæ copia suberit, semel uel ad animi usq; deliquium erit detrahendum, quum ui-

delicet æger ualida adhuc uirtute, animo destituitur, nō ex humoris alicuius in uentriculū colluuie, cuius ergò, multi per initia statim ante iustam detractionem anima deficiunt, uerùm exinanitionis ratione illud animi deliquium usuueniat, opus est. Si enim multa euacuatio desideratur, & uires sunt eneruatæ, distribuenda erit uacuatio, ac primùm parcius quàm debeat, secundo rursum, & item tertio, si res postulat, detracto sanguine. Neque si humoribus tantum æquabiliter redundat corpus, uniuersum simul exinanire solemus, ut Galenus docuit. Verùm propter affectus etiam alicuius uehementiam, & si totum corpus in humorum iusta commoderatione constitutum uideas: uerbi gratia, si ex naribus, uel alio ex loco sanguinis profluuium concitatur, non abundātiore copia. Ex opposita etiam parte auertendæ materiæ gratia, uena incidēda est, imò etiā in his qui uehementē inflammationem experiuntur. Veluti in colicis, renibus calculosis, lippitudinibus, ac cæteris quæ tā acriter urgent. Dolor siquidē et partis inflammatæ calor causam defluxioni præbent: & si totum corpus excrementis uacet. parcius id igitur tunc faciendum est, ea euacuatione adhibita, quæ maximè & ætati, & naturæ ægrotantis conueniat. Considerato etiam anni tempore, regione, & laborantis consuetudine. Quibus uero iuxta uenam quæ aperitur grandis inflammatio extiterit, ueluti in pleuriticis & hepaticis, commodissimum est expectare dum sanguinis tum color, tum essentia seu habitus conuertetur. Alius nanque in inflammatione sanguis, quàm secundum naturam existit: quoniam supra modum incalescens, siquidem prius erat crudior, rubicūdior et flauior euadit. Sin prius eiusmodi extiterit, in atrum ex adustione permutatur. Non perpetuò tamen hæc expectanda mutatio est, sed non rarò priusquam hæc fiat, desistere cōgruit, idq; duplici nomine, uel ob uiriū imbecillitatē, quā ex pulsuum attrectatione cognosces: nam tum uehementia & magnitudine inæquales sunt, uel etiam obscuri; quin & tenor

ror fluxionem frangens, exhaustas iam uires portendit: uel ob inflammationis malignitatem, quæ interim nihil remittit, sed uehementius impacta est. At si nihil horum obstiterit, laboransq; uigenti ætate sit, expectanda erit sanguinis mutatio, eoq; magis, si ambiens aer temperatus fuerit. Quod si sanguis ante conuenientem euacuationem sistetur, id quod uel propter timiditatem & animi deliquium, uel propter grumum, uel ob uiolentam constrictionem, aduersus singula certabimus. Animi defectum, odoratis naribus adhibitis, reficientes: constrictioni relaxato uinculo subuenientes: grumum sanguinis, uel olei infusione, uel digitorum fotu dissoluentes. Reliquus mittendi sanguinis apparatus nulli non cognitus est, sed ita in cubiti uenis agitur. In fronte autem sanguinis detractio, ut in capitis doloribus, hoc modo fieri debet. Fronte prius ablutione fota, ceruicem habenula excipimus, inserto tamen iuxta guttur digito, ne afflictus præfocetur, turgentem iam in fronte uenam acie phlebotomi aut scalpelli diuidemus. Ad eundem quoq; modum iugulares uenas extantes, ob inueteratam lippitudinem acuto specilli capitulo secamus, sanguinis eruptionem promouentes. Venas insuper linguæ subditas, in anginarum affectu, uitata constrictione, linea transuersa incidimus. Quidam eas quæ in magnis hirquis conspiciuntur uenas, in capitis uel oculorum diutinis afflictionibus pari modo feriunt. In quibus etiam internas narium uenas uel mucronato specilli nucleo contundunt, uel asperatis quibusdam instrumentis irritantes disrumpunt. In capitis itidem morbis post aures sitas diuidunt. Sicuti quæ poplites perreptant, in renum cruciatibus. At quæ in extremis corporis partibus propagantur, superiacentibus membris uinculo exceptis, et manuū frictione et pedū incessu plenitate sanguinis turgescentes aperient. In liene laborātibus læua manu, eā potissimū uenam quæ minimum digitum & proximū intercurrit. Si iecur male habet, in dextra. Extremarum nanq; partium inanitio, quo

ex

ex longinquiore loco fit, eo efficaciorem auersionem efficit. Sed in pede, sicuti in coxendicũ & locellorum affectionibus, ea quæ supra interiorem malleolum extat, aperienda est.

De cucurbitularum impositu. Cap. 41.

CVcurbitulæ neq; inter morborum initia, neq; corpori plethorico sunt applicandæ, sed toto prius exinanito corpore, cumq; nihil amplius particulæ influit, & mouere quippiã, agitare item & ad exteriora trahere opus est. Leuis igitur cucurbitula inflationes dißipat, stomachi fluxiones cohibet, sanguinem attrahit, & profluentem compescit aduersæ parti adglutinata, & ex alto in summa traducit: uno uerbo, humorum traductionem, spirituum extractionem molitur. Sed quæ cum scarificatione adhibetur, efficaciorem causis difflationẽ præbet, ita ut sensibiliter ex alto noxias materies euocet: neque enim sanguinem solum, sed alios quoq; humores elicit, præcipuè cum flamma maiore accommodata. At si à corpulentioribus particulis, multaq; carne præditis, sanguen detrahere molimur, concisa prius scalpello cuticula, cucurbitulam defigemus. Sin à gracilioribus & excarnibus magis, leuem prius cucurbitulam adglutinabimus. Vbi uerò intumuerit eadem in parte membrum, cute scalpello exasperata, ipsam denuò applicabimus. Et si paululum detrahere statuimus, unica: si amplius, pluribus incisionibus utemur: si sanguis qui continetur, tenuior appareat, summa leuiter: si craßior, scalpello altius adacto, ima scarificabimus, & quum ex ictu in grumum coactus sanguis erit euacuandus. Terminum autem moderatæ incisionum altitudinis, sola cutis craßitudo præscribet. Quidam ut uno ictu tres plagas inijcerent, instrumentum in hoc excogitarunt, tribus scalpellis æqualibus simul iunctis. hoc nos inutile existimantes, simplici scalpello utimur. Alij uitreis cucurbitulis usi sunt, ut per eas sanguinis, qui exinanitur, mensura in extractione perlucesceret: sed in attrahendo æneæ cum maiorem sustineant flammam, longè efficaciores sunt uitreis,

quæ

uæ facilè franguntur. Quin etiam qui cornibus corpori ad-
licatis, ore sugentes trahunt, inaniunt quidem minus, sed ni-
il exiccant: sicuti quæ cum flamma, quum res exigit, adhi-
entur. Applicaturi autem cucurbitulam, particulam prius re
am constituamus, dehinc ei ex latere hanc imponamus. Nam
iacentibus ipsis desuper ardens linamentum ex lucerna in-
ucamus, miserè adurit, nullo id usu exigente. Cucurbitulæ
mplitudo nonnunquã particulæ subiectæ accommodabitur.
ua de causa complures sunt cucurbitulauum in paruitate et
mplitudine differentiæ. Quemadmodum etiam proceriore
ollo, & inferiore spacio seu uentre latiore, ad extrahendum
fficaciores formamus. Cauendum uerò est, ne mamillis cu-
urbitulæ adglutinentur. in ipsas enim cum inciderint, & in
imium tumorem excreuerint mammæ, non facilè auelli po-
erunt: quod si acciderit, spongijs aqua calente imbutis, cucur-
itulas circumfoueto. ita enim remittuntur. Sin ne sic quidem
ucceßerit, cucurbitulas perforabis.

De adustione axillæ. Cap. 42.

Vxato in humeri membratura articulo, in quibusdam bra
chij caput subinde & frequenter excidit, uel propter humi
ditatem immodicè superantem, uel quod continuò prolapsu lo
cus luxationi obnoxius euaserit, quo in casu ad ustionem de-
ueniendum est. Oportet igitur ægro uel supino, uel in sanum
latus inclinato, interiorẽ alæ cutẽ quà potißimũ articulus exci
dit, duobus læuæ manus digitis, uel uncinis eleuatã, tenuibus et
oblongis ferramentis cãdentibus adurere, quoad cauteriũ con
traflexum, duas una impreßione crustas excitauerit: etsi ma-
gnum inter has fuerit interualliũ, mucrone specilli per utra-
que foramina traiecto, aliam in medio crustam faciemus, tan
tisper dum ferramentum specillo inciderit, adurentes. Et Hip
pocrates, binas alias inustiones faciendas censet, iuxta utri-
usq; præfatæ mediam, æquali illis spacio distantes, quadratæ
figuræ instar. Altius tamen cute non aduremus, quoniam ner

ui,

ui, glandulæ, & alia subiecta sunt: quæ inflammationem cre re, & difficultatem officiorum adferre possunt. Curantur a usta autem porri cum sale trito impositione, et alijs crustis in ducendis opibus. post hæc manus cautè exerceatur.

De adnatis digitis & sedigitis. Cap. 43.

Agnascũtur digiti in manu, modò quidem ad pollicem, m dò uerò ad minimum digitum, iuxta autem alium quem piam rarò uisum est. Horum itaque agnatorum alij sola car ne constant, alij ossa etiam & ungues quandoque in se conti nent. Ossa habentium, alij ab articulo communi cum altero d gito commissura innixi, alij ab internodio & digitorum fiss ra procedunt. Atq; ij qui inde exoriuntur, perpetuò sunt imm biles, reliqui interdum motu agitantur. Carneorum uerò dig torum expedita est præcisio. Nam totum quod superuacane est, semel scalpello tollitur. Qui uerò ab articulo emergunt, ho rum difficilior est tractatio. Ab internodio exorsi ita curan tur. primo caro undiq; usque ad os exciditur, deinde os ipsum uel scalpro, uel serra comminuitur. Reliquam uerò curation radendo, & cicatricem inducendo, sicuti in ossium uulneribus comprehensum est, absoluimus.

De suppuratorum adustione facienda. Cap. 44.

Vstionem suppuratis efficacissimas ferre suppetias cõper tum est. Oportet igitur radice longæ aristolochiæ oleo im buta, ipsis imposita, candenti ferro crustas excitare. Vnam in ter iugulorũ compagem cute sursum reducta, duas nõ altas iu xta mentum seorsim ab arterijs soporarijs, quas carotides uo cant. Sub mammillis item, inter tertiam quartamq; costam, duas altiores grandioresq;. Binas alias inter quintam et quar tam, paululum uersus dorsum spectantes: aliam in medio pe ctore, rursus aliã supra uẽtriculi os. à tergo uerò treis, per me diũ dorsum unã, utroq; spinæ latere geminos, quæ in dorso fa ctã crustã excedant altius impressas. Alij uerò, quemadmodũ etiã Leonides asserit, ferro nuclei oliuæ simili candenti inter

costas

ostas, ea in parte quà abscessus est, usq; ad pus adurunt. Qui-dam scalpellum quoq; confidenter adhibent inter quintam et sextam costam transuersa incisione, paulùlum tamen infra cu im incîdunt. Deinde acuminato scalpello membrana quæ co tas succingit perforata, pus excernunt. Verùm isti quoque, t qui ferramento ad imum usq; adustionem moliuntur, uel il-ico mortem inferunt, unà cum pure, uitali etiam spiritu con-ertim ex inanito, uel fistulas irremediabiles efficiunt.

De cancro. Cap. 45.

C*Ancer tumor est inæqualis, crepidinosus, deformis, subli-uidus, et molestus, modò citra hulcus, quē latentē appella it* Hippocrates. *is admota manuū opera, magis irritatur, mo lò cū hulcere proueniens: ex atra enim bile originē trahens, it plurimū eroditur ac serpit. Plurimas quidem corporis par es, præcipuè uerò mulierum locellos ac mammas occupat, habetq; uenas undiquaq; intentas atque turgidas, haud aliter tq; animal cancer pedes: unde ei nomen est inditum. Curatio gitur, quæ per medicamenta adhibetur, in quarto: & eius qui circa locellos exoritur, in tertio uolumine satis disputata est. Quandoquidē partes putrefactæ, uel quæ ex toto præter na-uram sunt, amputationem sui desiderant: uteri cancris ma-nus & scalpelli opera non potest, neque utile est admoueri. Eorū qui foris et circa mammas potißimum eueniunt, admini trationē curationis in præsentia tractabimus. Sunt qui totam partem uitiatam cauterijs absumunt, alij totam mammam excisam adurunt.* Galenus *autem sectionis tantum chirurgi-am admittens, in hunc modum tradit. Si quando cancrum ma nuum & scalpelli opera curare ausus fueris, uacuationem ab atræ bilis purgatiōe auspiceris. Dein uniuersa penitus affecta parte, sic ut nulla radix supersit, exactè præcisa sanguinē ef-fluere permittas: nec prius cohibebis, quàm uenas quæ circū sunt cōprimendo, craßiorē ex ipsis sanguinē expreßeris. Tum ergō absimili aliorū hulcerū ratione curationē obibis, hæc qui-*

dem

dem Galenus. Cætera autem maligna & putrescentia hul cera, uerbi gratia, phagedenæ, gangrenæ, et consimilia, pa modo curanda sunt.

De maribus, quibus perinde ac fœminis mammæ turgescunt. Cap. 46.

QVemadmodum mulierculis, ita & masculis etiam sub p bertatis tempus mammæ aliquatenus turgescunt, sed ple risque rursus subsidunt, nonnullis uerò ut semel orsæ sunt, pi guedine subalescente crescere pergunt. Quæ res quum indec ra corporis figura effœminatæ naturæ probrum adferat, di gna est cui scalpelli curatio admoueatur. Lunata igitur pe imam mammillæ partem incisione facta, cuteq; excoriata, ad peq; è medio sublata, oræ suturis committētur. Si fortè ob ma gnitudinem, partibus suis sicut in fœminis ad ima inclinaue rit mammilla, duabus lunari figura plagis in extremis inuic coeuntibus, sic ut minor à maiore comprehendatur, secandun est. Cuteq; quæ inter duas lineas existit, à carne diducta, exen ptaq; pinguedine, simili modo fibulis est utendum. Quod si ab errantes minus quàm conueniat exciderimus, tunc habenula quæ superest rursus adempta, suemus, medicamentumq; cruen tis uulneribus dicatum inducemus.

De iecoris adustione. Cap. 47.

SI quibus in iocinore abscessus est, cruciatus cum grauitate obuenit, carnosa ipsius uisceris substantia afflicta portenditur. Si acutior dolor magis infestarit, pus in tunica potius col lectum indicatur, adustioq; in hunc modum est facienda. Ferramentum candens oliuari figura mucronatum, paulo supra inguen ad terminum iocinoris adurendo inijcimus, quò crustā excitet: uniuersaq; cute exusta, & ad tunicam usque adustione adacta, pus excernetur. Post euacuationē phacomelite, & his quæ aqua mulsa constituuntur, & speciebus carne replentibus, postea uerò cicatricem inducentibus utemur.

De lienis adustione. Cap. 48.

CVtem lieni circumfusam, hamulis subleuamus, lõgoq; ferramento candenti penitus adustionem traijcimus, ut unico adactu geminæ crustæ inducantur. Hoc ter facimus, quo omnes numero sex crustæ confiant. Marcellus tamen tridente fuscinula, uel tridenti simili ferramẽto usus, treis unica impressione crustas excitauit.

De stomachi adustione. Cap. 49.

IN diutinis stomachi fluxionibus recentiores adustionẽ adhibuerũt. Alij cauterijs mucronatis treis crustas excitauerunt, unã iuxta gladialẽ cartilaginẽ, alias duas inferius triãgulari figura totius cutis altitudine. Alij solam unam ad uentriculi orificium, sed ampliorem moliuntur crustam. Non desunt qui ne ferro quidem, sed ijs quæ iscæ adpellantur, adurunt. Sunt autem iscæ spongiosa quædam corpuscula, quæ in quercubus ac nucibus proueniunt, barbaris frequentiore in usu. Sinunt autem hulcera aliquandiu absq; cicatrice aperta manere: quin etiam prius lacerant, quo plurima per ipsa euaporatione hostium uentriculi ab influxionibus illæsum permaneat.

Aqua inter cutem qua ratione educatur. Cap. 59.

AQuæ intercutis constitutionẽ, quotq; eius differentiæ, quæ causæ, quibus notis deprehendi, quibusq; medicamentis curari poßit, tertio uolumine tradidimus: ibidemq; demonstrauimus, solum Asciten manuum & scalpelli operam postulare, quam in præsentiarum explicabimus. Rectum igitur hominẽ constituamus: sin minus, in sedili collocabimus. Si ne hoc quidem ob imbecillitatem tolerare potest, huic curationi minimẽ idoneus est. Recto itaq; homine constituto, famulis à tergo stãtibus mandabimus, uẽtrem manibus comprimere, tum oremq; deorsum ad pubem usq; depellere. Nos scalpello sumpto aculeato, seu quo uena secatur phlebotomo adpellato, si intercus ex partibus iuxta intestina originem habuerit, sub umbilico ad perpendiculum tribus digitis interpositis abdomen usq; ad peritonæum membranam incidemus. Si à primario iocineris

affectu uitium hoc ortum contraxerit, à læua umbilici parte: si à liene cœperit, à latere dextro sectionem moliemur. Nec enim ea in parte cui incumbent incidamus, cautio est. Cuteq; superiacente instrumenti acie excoriata, paulo superius quàm prima linea incisa sit, membranam peritonæum uocatã, quoad inani loco scalpellus excipiatur, perforabimus. Mox æneam fistulam ad scriptorij calami instar tẽperatam, per peritonæi foramen conijciemus, per quam humor pro cuiusq; uirium ratione effundendus est, quas ex obseruatione pulsus deprehendemus. Qua re peracta, recipienda fistula est, & humoris sistenda effusio, linea quippe hoc alternata continuò sistetur fluxio. Nos tamen securitatis gratia linamentũ intortum in solam abdominis plagam conijcimus, afflictoq; lecto recumbente, & refocilla', sequenti die rursus humoris momentum pro uirium ratione per fistulam euacuabimus. atq; ita posterioribus etiam diebus faciundum est, donec quamminimum humoris relinquatur: summa ubiq; cura habita, ne uniuersim euacuemus. Complures etenim imperitè admodũ manum admoliti, unà cum humore uniuerso, uitali etiã spiritu euacuato, hominem subindè interfecerũt. Qui uerò securitati magis cõsulunt, tantum humoris per hanc chirurgiam educunt, quantum laborantis uirtutem ingenti pondere subleuare posse uideatur. Reliquũ medicamẽtis aqua gijs, sabulo, sole, siti, exiccãtibusq; cibarijs consumunt. Vstione uerò utuntur in stomacho, iocinore, liene, abdomine, umbilico, quinq; crustas adhibentes. Alij ferramentis tenuibus et candentibus, alij iscis adpellatis, uel alia id genus materia inducentes. Maximaq; pars hac potiu methodo nullam prorsus perforationem (quam paracentesin nuncupant) experta, sanitati restituta est.

De iis quibus prominet umbilicus. Cap. 51.

Vmbilici prominentis uitium nunc abdominis membrana ea in parte rupta, uel omento, uel intestino prolapso prouenit: nunc segni humore sub umbilico collecto, carne interd

succrescente. Interim sanguine ex uenæ & arteriæ ruptura profuso, ceu in delatationibus (quæ Græci aneurysmata dicunt) quandoque non sanguine, sed spiritu solum irrumpente. Si omentum prolapsum fuerit, circa umbilicum concolor tumor, mollis, dolore uacans, & inæqualis conspicitur. Si intestinum, præter enumerata tumor inæqualior est, & digitis impreßis aboletur, crepitans aliquando, balneis & distentionibus magis augmentatur. Si humoris colluuies subest, mollis imiliter attactu apparet tumor, ad digitorum uerò compressionem non cedit, neq; minuitur, neq; increscit. Si præter reliqua indicia tumor liuidior sit, carnisq; subcrescentia durior, tiam tactui resistit, semperq; in eadem amplitudine manet. Si x flatu prominet umbilicus, tumor tangentibus mollis comitatur, qui impulsus quendam sonitum edit, & digitorum compressu euanescit. Manus itaq; opella hunc in modum adhibenla est: erecto homini locato, spiritum continere ut uenter distēlatur præcipimus. Deinde tota umbilici excrescentia atramēo scriptorio circulatim notata, resupinatoq; homine, scalpelo tumorem quà nota atramenti fuerit, undiquaq; scarificabimus. Post hæc media parte hamulo eleuata, lino uel neruo quà scarificatio est uinciemus (sic enim fortius, ne delabi post, continebitur) ansulā nexui superaccommodantes, mox tumore qui constrictus est in uertice inciso indicem demittemus, crutabimurq; adamußim nūquid intestini aliquod inuolucrū, el omēti particula simul uincta sit. Si intestinū fuerit relictū, ixato funiculi sinu, ansula'ue introrsum depellemus. Sin omentum, eo retracto, superuacaneam eius partem, deligatorius quodcunque, ut solet, occurrit conceptaculo, amputabimus: duplicem inde acum simplex filum trahentē per scarificaonē factā traijciemus, linorūq; ansulis præcisis, ueluti in aeurysmate cōprehēsum est, quatuor capitibus cōstringemus, tq; ubi corpora supra uincula cōputruerint, exciderintq;, liamētis curationē reliquā consumabimus, operam dantes, ut

cicatrix caua magis subinde reddatur. Hæc quippe, si uel omento, uel intestino malum fertur acceptum, moliemur. Si uerò caro, aut humor, aut sanguis uitiũ causarit, media tumoris parte orbiculatim præcisa, quicquid extra abdominis membranam peritonæum nuncupatum incidit, detrahemus, iuxtáque umbilicum medelam carni creandæ factam adhibebimus. Si uerò ex uasis dilatatione, aut spiritus euaporatu umbilicus emineat, his curationem omnino perinde atq; aneurysmatis renuere expedit.

De abdominis membranæ uulneribus, deq; intestini, uel omẽti prolapsu, inibiq; uentris resarciendi ratio ex Galeni commentariis traditur. Cap. 52.

Quô nam pacto uulnerata abdominis membrana apposite queat manu curari, deinceps considerandum est. Si uulnus adeò exiguũ sit, ut quod inflatũ est, prolapsum intestinum nullatenus reprimi liceat, aut flatum exinanire, aut uulnus ampliare necessum est. Præstat mea quidem sententia primũ, si modò id assequi concedatur: cæterũ qua potius ratione assequi detur, quàm si causa, qua inflatur intestinum, tollatur è medio? Quæ igitur hæc est? ambientis nos aeris frigus, unde ex calore petendum est præsidium. Molli itaq; spongia aqua calente imbuta, recens expressa fouendum erit intestinum. Præparetur autem interim ad hoc uinum austerum calidum, quod sanè magis quàm aqua excalfacit, uiresq; intestinis adijcit. Si uerò in his adeò nihil est auxilij, ut nihilominus intestini perseueret inflatio, abdominis membrana in tantum incidenda est, quantum ad prolapsum intestinũ sufficit. Cui incisioni moliẽdæ, recta fistulamina, syringotomata appellata, sunt apposita. Situs ægrotanti idoneus fuerit, si inferioribus in partibus uulnus sit, ut ex aduerso sursum uergatur: et si plaga in dextra fuerit, in læuam partem corpus propendeat. Si in læuam, in dextram inclinet. Hoc quippe tam amplis quàm exiguis uulneribus commune est. Restitutio repositioq; intestinorũ in sedẽ propriam in amplis uulneribus prudentem, idoneumq; desiderat. Debet

enim

enim is, ubi manibus suis uulneris oras foris apprehenderit, intro conuertere & astringere, suentiq; ipsas paululum denudare, quodq; consutum est deprimere, quoad totum sutura fuerit coniunctum. Iam uerò quis abdominis consuendi modus dexter & commodus sit, memorabimus. Quandoquidem abdomen interiori membranæ adglutinare conuenit, ordiendum quidem à cute est, acus'que ab exteriore parte introrsus demittenda est: quæ ubi cutem rectum musculum totum traiecerit, præterea quæ ei subiacet membrana, nempe peritonæo, altera parte ab interno extrorsum perforanda est. deinde abdominis mẽbrana similiter traiecta, eademq; rursus ab exteriore parte ad interiorem perforata, præteritoq; simili modo subiacente peritonæo, ad contrarium ueniendum est: id quoque ab interno extrorsum unà cum cohærente toto abdomine transuendum est: atq; ita quidem iterum atq; iterum, quoad uniuersum uulnus pari modo consutum fuerit, faciundum. Interuallum uerò suturarum, quo plaga quæ subest constringenda est, breuißimum esse debet: quo uerò cutis integra, firmaq; permaneat, non admodum breue inter suturas cutis, ne alibi rumpatur, utile est. proinde euitatis utrisque extremis, mediocritas præferenda est. Eadem sanè & in sutura habenda est fili ratio. Durius nanque cutem abrumpit, mollius breui rumpitur. Veluti etiam si summis orarum finibus acus inijcitur, reliquum cutis, quoniam tenuißimum est, si uim patitur, rumpi cogitur. Sin plurimum à sutura comprehenditur, inconglutinatum relinquetur. Hæc quidem omnibus hulceribus quodammodo communia sunt, maximè tamen in consuendo uentre seruanda. Vel igitur, quemadmodum demonstratum est superius, nobis agendum, huc diligentia adhibita, ut membrana, quæ peritonæum dicitur, cum abdomine coalescat: id quod quia neruosa est, uix sperare audeas. uel ut alij factitant, ea quæ natura cognata sunt, peritonæũ peritonæo, abdomẽ abdomini inuicem committemus. Fiet autem hoc modo, abdomen solum ab exte-

riore parte introrſum acu eſt traijciendū, mox utriſq; perito
næi labris transmiſsis, rurſum acus per utraque hæc labra
foris introrſum conijcienda, deinde ab interiore parte fora
per alteram abdominis oram reducenda. Hæc ratio à com
muni illa & expedita, qua uno adactu per quatuor oras simu
acus traijcitur, in eo differt, quod membranam abdominis to
tum intra abdomen occultat. Medicamenta ad hæc eiuſdem
materiæ, cum ijs quæ cruentis inijciuntur, accommodata ſunt
Ne autem aliqua principalior particula per conſenſum af
ciatur, totum quod inter inguina & alas exiſtit, lana moll
oleo moderatè calido imbuta, fouere ac circundare expedit
Satius'que fuerit, ſi idem per clyſterem inteſtinis infundatur
Nam ſi quid in inteſtinis conuulneratum ſit, uinum nigrum a
ſterum & tepens inijciendum eſt, eoq; magis, ſi totum inteſt
num uulneratum ſit. Craſſa quippe inteſtina curationem
promptius recipiūt, tenuia uerò difficilius. Ieiunum uerò, qu
niam uaſorum multitudinem, amplitudinemq; tenuem ac ner
uoſam tunicam continet, & quòd bilem meracam totam rec
piat, & quòd ex omnibus iocinori proximum exiſtat, irreme
diabile eſt. Hulcera quæ inferiores & carnoſiores uentris
partes infeſtant, curari ſuſtinebimus. interdum enim bene
ſuccedit, non ſolum quòd illæ craſsiores ſunt, uerùm quòd a
ptus eſt per ſedem inijciendis medicamentis hic locus. Quæ
uerò in ore ipſius & ſtomachi ſunt, ſolo tranſitu medicamen
ta attingunt: quæ autem hoſtium ipſius infeſtant, his acutus
etiam ſenſus aduerſatur. Cum autem membrana peritonæum
appellata rupta, omentum prolapſum eſt, liuidúmque aut ni-
grum fit, laqueo priuſquam nigreſcat exceptum, ne ſanguinis
eruptione periclitetur, infra uinculum amputandum
eſt, atque in imo conſutionis fine uinculi capita
depēdeant, quo facilius, cum ex uulnere
ſuppurante eructentur, ex-
imi poſsint.

De

De recutitis. Cap. 53.

IN recutitis, hoc est ijs quibus glans penis præputij penuria non contegitur, quidam decoris gratia duplicem curationi modum excogitarunt. Interim quidem in superiore parte iuxta pubem colis tergus orbiculatim incidentes, ut facto diuortio continui deorsum trahatur, quoad glandem ipsa operiat. Interim uerò subtus glandis radice cutem scalpello ab interiore cole excoriantes, deinde inferius trahentes, mox linteolo quodam molli præputium undiquaq; deligantes, sic utiq; ut linteolum aliquod inter cutem & colem, qua excoriata est, interponatur, ne glandi agglutinetur. Hic modus Antyllo magis arridet, fusius ipsum explicanti. Nobis summatim ea tantummodo recensere idcirco placuit, quoniam rarenter huiusmodi curationis opera exigitur, eo quod nullã functionibus obeundis difficultatem pariat hoc uitium: neq; adeò indecorum est, ut eo magis glandem, cruciatu qui manuum administratione conciliatur, deligere malis.

De hypospadiæis. Cap. 54.

PLerisque à natali die glans minimè perforata est, sed sub cane nuncupato, quà glans suspensa est, foramen habent: unde neq; meiere anterius, nisi membrum abdomen uersus admodum reflexerint, neq; liberos procreare possunt, quum semen ipsorum in uuluam rectà eiaculari nequeat. Accedit his, quod indecorum admodum hoc uitium existit. Omnium igitur ut simplicißimus, ita & tutißimus medendi his modus est, qui fit per amputationem. Resupinato itaq; homine, glans sinistræ manus digitis ualidè attollenda est, deinde scalpelli acie iuxta coronam amputanda, plaga non obliqua, sed concaua & rotunda instar sculpturæ, ut in medio quædam glandem repræsentans eminentia relinquatur. Quoniam autẽ sanguinis profusio sæpius comitatur, sanguinem sistentibus medicamentis utendum: sin minus, tenuibus, ferramentis candentibus adurendum.

De phimo, hoc est glande præputio præclusa. Cap. 55.

PHimosis causa duplex est. interdum enim præputium glandem operiens retrahi rursum non potest. Interdum retractum reduci nequit, quæ species propriè periphimosis nuncupatur. Prior differentia uel ex cicatrice in præputio concreta, uel ex carnis incremento: secunda ex colis inflammatione prouenit, quum retracto præputio glans ita intumescit, ut id amplius non admittat. Si igitur prima species phimosis causa fuerit, curationem hunc in modum moliri expedit. Aegro accommodatè collocato, præputium anterius tractum, iniectis in summitatem ipsius tribus aut quatuor hamulis, ministris quantum fieri potest, distendendum atq; aperiendũ exhibemus: post hæc si ex cicatrice foris contractio nata fuerit, ab interiore parte tribus quatuor' ue locis scalpello seu aculeato cutello præputium lineis directis, æquali inter se spacio distantibus, incidimus. Est autem duplex circa glandem præputium. os itaque eius à parte interiore diuidendum est. dissoluta enim hoc pacto contractione, quæ ex cicatrice concreuerat, præputium facilè inducemus. Si uerò carnis eminẽtia ab interiore parte adnata phimosim creauerit, carnem omnẽ, præputio retracto, scarificabimus: carnis deinde excrescẽtias, quæ inter incisiones extãt, deradernus: postea tabulum plumbeum papyro sicca inuolutum, glandi uniuersæ circundabimus. Sit autem tabulum binis foraminibus, undiq; æqualibus præditũ: sic enim huius circumpositu inducto præputio, rursum coalescere prohibebitur, distenta tũ à plumbo, tũ ab inuoluta papyro, quæ ex amento turgescẽs, magis adhuc cutẽ à cole diducet. Ad hunc igitur modũ, siue ex cicatrice, siue carnis eminentia phimus extiterit, faciundum est. Si autem periphimosis nuncupata infestauerit, siquidem in uetustatẽ inciderit, coalescit, & nullo remedio eliditur, nisi quis perinde ac recutitus tractari uoluerit. Sin autem nondum coaluerit, lacerationibus, hulcusculisq; in longitudinẽ ternis aut quaternis, aut pluribus orbiculatim

biculatim excitatis, oleo copiosiore tepido fouentes, ulterius protrahemus.

De præputio glandi adhærescente. Cap. 56.

GLans & præputium inuicem cohærescunt exhulceratione præcedente. Oportet itaque aduersa scalpelli acie, uel ferramento polypo accommodato spathulam retrahere quantum licet, ea quæ resistunt subsecare, summa adhibita cura, ut glãs ab adglutinato præputio purè separetur. Si uerò id difficile sit, glandis potius aliquid ad præputium, quàm econtrario sumendum est. quum enim præputium tenue sit, facile perforatur. A dissolutione uerò cõmissuræ, linteolum tenue aqua gelida imbutũ, inter glandẽ & præputium, ne rursum coalescant, inserendum est, uino adstringente cicatricẽ inducendo.

De circumcidendis. Cap. 57.

NOn de his qui gentili quadã religione circũciduntur, sermo nobis impræsentiarum est, sed de ijs quibus affectu in uerendis creato præputium nigrescit. His sanè totum quod nigruerit, circulatim excidendum est: deinde squama cum melle, uel etiam malicorio & eruo instar linamenti, utendum. Si uerò sanguen interdum promanauerit, lunatis candẽtibus ferramentis utendum, quæ utrisque simul accommodentur, sanguinis inquam profluuio, & hulceri depascendo serpenti. Et si tota glãs fortè absumpta fuerit, solenulã plumbeã in meatũ urinariũ inferentes, per eam lotiũ proijcere mandabimus.

De thymis naturalium. Cap. 58.

THymi carnosæ quædã uerruculæ sunt, quæ modò in glande, modò in præputio obueniunt. Ex his aliqui maligni quidem, aliqui uerò benigni sunt. Benigni scalpelli acie deradentur, & chalcitide inspergantur. In malignis post excisionem, adustione utendũ est: quod si oppositi in præputio thymi concreuerint, alij in interiore parte, alij in exteriore, non debemus simul omnibus manum admoliri, ne fortè præputium structura tenui, imprudenter à nobis pertundatur. Sed prius

interiores auferre, & ad cicatricẽ perducere, deinde exteriores aggredi. Sunt uerò ex recentioribus aliqui, qui forfice ipsos auellentes, seta equina deligatos curant, quemadmodum alij frigido cauterio eosdem adurunt.

De siphone & clystere uesicæ immittendis. Cap. 59.

LOtio in uesica suppresso, propter meatum grumo sanguinis aliquo, uel calculo, uel alia quadam occasione obstructum, recti siphonis demißione (quem modum catheterismum Græci nominant) excrementum eximemus: sumpto eiusmodi siphone, ætati atque sexui accommodato, quem ad hoc adaptamus. Fiet autem adaptatio in hunc modum: lanæ momentum lino in medio deligatum, filoq; ex acuto iunco per recti siphonis fistulam traiecto, lanam extremo siphonis mucroni inserimus, sic, ut si quid lanæ emineat, forcipe præcidatur, siphonemq; in oleum conijcimus. Post hæc laborante in subsellium aptè figurato, fotuq; prius nisi quid prohibeat asperso, siphonem in rectum usque ad colis finem demittimus, penè ad umbilicum reflexo. Nam ab hac parte obliquus uesicæ meatus est. mox siphonem ulterius adigemus, atque ubi ad taurum iuxta sedem deuenerit, reflexo iterum in naturalem figuram genitali membro cum imposito instrumento (quia à peritonæo uesicæ meatus sursum uergit) siphonem quoad uesicæ sinum penetrauerit, propellimus. Deinde filum siphoni iniectũ adducimus, quo unà cũ lana urina etiã attracta subsequatur. quẽadmodũ in siphonibus euenire assolet. Eiusmodi quidẽ recti siphonis demittendi ratio est. Cæterũ quoniã identidẽ incidit, ut exhulcerata uesica collutionẽ necessariò postulet, ad hoc auricularibus clysteribus in præfatum modũ inditis utemur, si modò illis in uesicam enema infundi poterit: sin minus, aluta uesicaúe bubula siphoni adaptata, infusione colluemus.

De calculo. Cap. 60.

QVandoquidem aliàs de calculorũ parente atq; rudimentis explicatum est, eosq; pueris in urinæ conceptaculo ma-

gis,

gis, proue*c*tioribus in renibus creari, locus modum, quo excindi commodè poßint, expetit: quem præscribemus, ubi notas prius, quibus calculus in uesica deprehendi potest, exposuerimus. Lotium itaque quod emingunt, aqueum est, sabulosum quod in eo subsidet, tentigine penis continenter pruriunt. Proinde illis absque ratione, modò relaxatur, modò arrigitur: quoniam irritati, præsertim pueri, frequenter illum demulcent & contrectant. Quum calculus in ceruicem uesicæ incidit, extemplò urinæ suppreßio fit. Ex ijs porrò quibus calculus exciditur, pueri quidem usque ad quatuordecim annos propter corporis mollitudinem nullo negotio curantur. Senes contrà, quoniam corpus ipsorum rebelle, curationem nunquam fermè recipiunt. Mediæ horum ætates, etiam in hoc medio quodam inter hæc modo se habent. Rursum qui grandioribus calculis laborant, quia inflammationibus sustinendis assueti sunt, facilius malo subtrahuntur. Qui exilioribus, difficilius ad sanitatem perducuntur, contrarias ob causas. quum hæc ita se habeant, ad scalpelli operam profecti, concußione prius utemur, modò quidem per ministrum, modò ab ipso laborante ex alto aliquo loco desiliente, quo calculus ad ceruicem uesicæ decutiatur: mox ægrotante, ceu recto in sedili figurato, manibusq; suis sub femora porrectis, ut in angustum uesica compellatur. Si igitur attrectantibus nobis calculus in taurum procidat, quassatu illuc deiectus, ad scalpelli operam accingemur. Si non sublabatur, læuæ manus digitum, si puer est laborans, indicem: si prouectioris ætatis, medium, oleo prius illitum, in anum demittemus, resupinisq; digitis ipsum perquirentes, repertum paulatim traducentes ad ceruicem uesicæ deducemus, digitoq; uno aut pluribus inibi constrictum, in exteriora propellemus. Deinde alteri famulo, ut manibus uesicam comprimat iubebimus: alteri, ut dextera manu testiculos sursum trahat, sinistra taurum extendat in alteram partem, qua sectionem tentabimus. Nos sumpto ferramento quod

litho-

lithotomum appellant inter anum & testiculos, non tamen in tauri medio, sed uersus sinisteriorem clunem obliqua linea super lapidem parti secandæ subiectum incisionẽ moliemur, sic ut plaga foris latior sit: intus non amplius pateat, quàm ut lapillus per eam queat eijci. Interdum enim digitorũ uel digiti in ano innixu, unà cum incisione citra euulsionẽ calculus commodißimè exilit. Si non exilierit, unco huic functioni dicato (lithuncum nuncupant) iniecto eximendus est. Calculo iam exempto, medicamentis sanguinem supprimentibus, ex manna thuris, aloe, solidagine, uel etiam misy, alijsq; id genus sanguinis profluuium coercentibus, sistemus, lanam atq; linteolũ implicitum uino & oleo imbutum, uulneri superinducamus, & calcularijs deligationib. sexicrurijs utemur. Si metus eruptionis sanguinis sit, linamentũ ex posca, uel oleo rosaceo, cui aqua sit ammixta, inijciendum est, quod ægroto decũbẽte crebrius madefaciendum est. Tertio pòst die soluentes, hydrelæoq; largiore fouentes, tetrapharmacum linteolis inductum adhibebimus, subinde propter urinæ acredinẽ soluentes atq; curantes. Quod si aliqua inflammatio superuenit, cataplasmatis & respersionibus in hoc consecratis utemur, & rosaceum uel chamæmelinum, uel butyrum in uesicam, nisi quæpiam inflammatio impediat, inijciemus. Pari modo si uel depascendo serpens, uel quodam alio modo maleficum hulcus efficiatur, singulis congruentia remedia accõmodabimus. Si desit hulceri inflammatio, lauacro illis adhibito, emplastrum diachylon, id est ex succis, super lumbos, & imum uentrem accommodabimus.
Per uniuersum uerò curationis tempus, quo remedijs quiescendi locus sit, femora quoq; deligare conuenit. At si lapillus paruulus in ceruicem uesicæ colem'ue inciderit, & mingendo excerni nequeat, præputium ualenter in anteriora retractum supra glandis summitatem uinciendum est. Mox pudendi etiam coles, iuxta finem ad uesicam spectantem uinculo iniecto, deligandus est. Deinde ab inferiore parte calculi incidemus
super la

per lapidem, qui parti secandæ supponitur, flexoq; insuper co le calculus eyciēdus est, solutis postea uinculis hulcus à grumis uacuabitur. Vinculum itaq; posterius iniectum est, ne calculus retrorsum remeet. Anterius, ne post calculi exemptionē, præputij soluti tergus, in oppositū recurrens, incisionem operiat.

De partibus circa testiculos. Cap. 61.

QVandoquidem ad Herniarij medici disciplinam, partium testiculorū finitiones conferunt, eæ prius à nobis sunt pro ponendæ. Testiculus igitur substantia est glandulosa, fragilis, ad seminis uim genitalem comparata. Parastatæ, id est aßistentes, & cremasteres appellati, hoc est suspendicula, ner ui sunt, à spinalis medullæ & cerebri membrana propagati, qui cum arteriosis uenis ad testiculos pertingunt, per quos semen in pudendum permeat. Seminaria conceptacula, uenæ sunt à caua uena in testes, quibus etiam alimentum præstant, sinuosis anfractibus pertinentes. Et tunica est natura neruosa, in gibba quidem & anteriore parte à testiculo libera, à concaua & posteriore ipsi inhærescit, ex abdominis membrana originem obtinens. Partem eam, qua testiculo adnata est, po steriorem adnexum siue inhærentiam, Græcè prosphysin cognominant. Darti sunt membranæ, quæ exteriorem pellem erytroidi tunicæ adglutinant, quibus partibus & illa post testiculos annexa est. Huic autem pelli exteriori rugosæ testicu lis circumdatæ, scrotum Latinis, Græcis oscheos nomen est inditum.

De hydrocele, id est hernia aquosa. Cap. 62.

HVmorem quendam otiosum atq; hebetem in partibus cor porum quæ scrotum implicant, collectum, tumoremq; sensu perceptibilem inducentem, aquosum ramicē indigitant. Fit igitur humoris huius magna ex parte circa testiculos in tuni ca erythroide, iuxta partem anteriorē, qua à testiculo separa tur, raro extra erythroidē colluuies. Subinde peculiari etiam tunica humor comprehenditur. Appellantq; hoc uitium chi-

rurgici

rurgici herniā in tunica supergenita ortam. Si igitur ex præcedente causa, exempli gratia, partium harum imbecillitate hoc mali constiterit, sanguis alimenti ratione huc delatus, in aqueam, serosam, hebetemq́; substantiam immutatur. Si autem ex plaga, cruenta, aut fæculenta materia cōprehenditur, commune indiciū est, tumor absq; dolore immobilis in scroto permanens, nulloq́; casu euanescens: sed cum paucus sit tumor, cedens: si copiosus, nō cedens. et quibus in erythroide tunica humor existit, tumor rotundus paulo lōgior oui instar apparet, testiculusq́; his planè inibi occultatur, ut qui undequaque sit circundatus. Si extra erythroidem membranā sub tunicis quæ darti nuncupantur, extiterit, per pauca corpora sublabitur. At si humor in supergenita tunica coierit, propter undiquaq; compactū conglobatumq́; tumorē, alterius testiculi imaginem refert. Si aquosa sit materia, concolor tumor perlucet. Si fæculenta, aut cruenta, rubicundus aut liuidus per tunicā apparet: nam quibus in utrisq; scroti partibus signa hæc inueniuntur, duplicem ibi herniam esse sciendum est. Curationem quæ manuum operam desiderat, administrabimus ad hunc modum. De rasa pube et scroto, nisi puer sit, resupinum ægrotātem super sedili collocabimus, multiplici aliquo panniculo natibus subiecto, spongia uerò ampliore scroto subdita, sedens à sinistra parte ægri medicus, ministro à dextra sedenti iubeat, ut pudendū in alteram partem reflectat, scrotiq́; pellem abdomen uersus eleuet, sumpto'que scalpello scrotum à media parte orsus, iuxta longitudinem usque ad pubem ferè recta incisione secet, quæ à scrotum diuidente linea æqualiter distet, atque ad erythroidē usq; tunicam descendat. Sin in supergenita membrana humor hæreat, qua parte uertex super eiusdem tunica se ostenderit, ea in parte scalpellum erit admouendū, hamulo autem uulneris labia aperienda sunt, diductisq́; herniario cultro scalpelloq́; dartis, erythroides denudatur: mox phlebotomo eadē per mediū finditur, ea præcipuè parte, qua à testiculo recedit:

atq;

atq; humore iam toto, uel maiori ex parte in uasculũ aliquod excreto, hamis erythroides membrana, qua tenuißima eius pars est, extrahatur. Anthyllus uerò postea suturis & medicina cruentis uulneribus accommodata, utitur. Recẽtiores, ea quæ carnẽ inducũt, adhibere assolent. At si testiculus putredine, uel alio quopiã uitio affectus deprehẽdatur, uasa cũ neruo cremasteri dicto annexa deligãda sunt, neruus ipse præcidendus, testiculus eximendus est. In duplici ramice laborantibus, bifariã similiter curatio adhibenda est, ab utraque parte scroto iuxta inguina inciso. Post hæc autem mucrone specilli in imum per incisionem demisso, scrotum ipsum sinuamus, ibiq; acuto scalpello paululũ incidemus, quo sanguini cõcreto et puri exitus detur; ipso uerò scalpelli capitulo per exiguũ id foramen ad plagam usque superiorem implicito, in longitudinem linamentũ traijcimus, hulceribus in spongia detersis, lana oleo imbuta, per inferiorem testiculum conijcienda est. foris aliam lanam uino, cui oleum admixtum sit, madentem scroto, abdomini, inguinibus, tauro lumbisq; superimponamus. linamentũ triplex super hæc explicandum est, uinculo sexicru rio alijsq; deligationib. accommodatis utendũ: decumbente postea homine, lanis scroto subiectis, quo requiescat, alutaq; super ipsas molli explicata, ad fotus superfusionẽ excipiendã. Fouebimus usque ad tertium diem, calentis olei rore: à quo resoluentes, tetrapharmaco linamentis madefactis in uulnere utemur. Lemniscumq; ex polline farinaceo immutantes, extrinsecus fomenta rursum propter inflammationem, usque ad diem septimum inijciemus, postea linamentorum custode medicamento utemur. Expurgato hulcere, & carne mediocriter inducta, deinceps lauacris etiam adhibitis æger abluendus est, linamentum extrahendum, reliquaq; curatio, quemadmodum expositum est antea, adhibenda. Si qua inflãmatio fuerit, aut sanguinis profusio, aut id genus quippiã superuenerit, unicuiq; suis remedijs, ne battologizemus, occurrendũ est.

Cæterum

Cæterum si adustionem potius in aquosa hernia, sicuti recentioribus placet, probabimus, omnia nihilominus quæ uel ante uel post manuum administrationem dicta sunt, exequemur: quinetiam in ipsa chirurgia, excepta modò sectione quæ ferramento & incisione ad humoris emissarium, facienda sunt. decem itaq; aut duodecim ignitis ferramentis ad Γ Græcorũ literam formatis, & duobus cultris primum scrotum in medio ferramento Γ imitanti aduremus, cultello autem aut retuso hamulo membranulas excoriantes, ferro candenti gladio lo simili præcidimus. Denudata uerò erythroide tunica, quæ facilè, quoniã alba & angusta tenuisúe existit, cognoscitur, acie ferramenti ad Γ figuram perurentes, humorem effundimus, deinde totum id quod ex ea detectum est, hamulis attrahentes, candenti cultro ensem referenti, è medio tollemus.

De carnoso & tophaceo ramice. Cap. 63.

Caro in parte aliqua corporum inter scroti tunicas concrescens, carnosam herniam ramicemúe excitat. Oritur aũt ex cæca quadam causa, testiculo fluxionem experto & indurato, uel ex percußione, aut negligenti post ramicem sectum curatione. Comitatur autem hos unà cum duritie, concolor tumor. Si tumor in scirrhum occalluerit, decolor & indolens: si malefici naturam resipiscat, dolores pungentes consequuntur. Scalpellum itaque ita habenti admouentes, collocabimus ipsum sicut superius explicitum est, incidemusq; similiter. At si circa testiculum caro increuerit, utranq; membranam darton & erythroidem consimiliter secabimus: postea testiculo attracto, atque ex erythroide exempto, uasa à neruo cremastere separata, uinculis excipiẽda, ipseq; neruus præcidẽdus est. Testiculus autem, qui cum carne coaluerit, tanquam alienus eijciendus est: si hæc concretio quadam in tunica aut uase extiterit, scroto diuiso, subiectisq; carni membranis, quicquid ab excrescẽtia carnis occupatum est, auferetur: quod si posterior commissura hoc uitium experitur, omnibus quæ ambiunt ipsam

ām excisis, testiculus quoq; ipsus simul extrahatur: fieri quippe nequit, ut sine hac testiculus permaneat. Tophi autem, & in testiculo & in erythroide membrana concrescunt, multaq; renix duritia & inæqualitate à carnosa hernia & aquosa discernuntur. His itaque eadem manuum, quæ & carnoso ramici, curatio adhibenda est.

De uaricoso ramice, & flatuoso. Cap. 64.

VEnas scroti, uel membranarum quæ darti nuncupantur, inturgescentes, uarices simpliciter appellant. Si uerò illis quæ testiculum nutriunt, hoc acciderit, uaricosum ramicem nominant. Notæ huius conspicuæ sunt, locus paulo tumidior, modicè obliquus, racematim conglomeratus, testiculi relaxatio manifesta, & aliæ functionum difficultates, in cursu præsertim, exercitationibus, & itinere. Curationē quæ manu fit, talē admoliemur: ægro appositè figurato, scrotum manu permulcetur: neruus quo testiculus dependet, ad inferiorem partem depellitur. Is autem inde facilius agnoscitur, quod cū ualens sit uenis tenuior, solidior, magisq; renitens sentitur, maioremq; dolorem adfert ex compressu, iuxtaq; colem constitutus. quo depresso, uasa digitis nostris famuliq; in scrote adprehensa, ualideq; distenta, cutem cōtra ipsas uenas scalpelli acie obliquè ductas secabimus: hamulis insuper infixis, subiectas cuti partes eleuatas excoriamus, uenasq; ipsas denudatas, ut in capite de Angiologia & aneurysmatis explicatū est, acu duplex filū trahente traijcimus, ansaq; fili incisa, et qua incipit et qua desinit uaricatio fune deligabimus, facta prius in longitudinē incisione, ac sanguine collecto illic euacuato, remedijs pus mouētibus ipsos curare tentabimus, tantisper dum unà cū uenis uincula quoq; sua spōte excidant. Leonides uerò tradit, si aliqua ex uasis quæ testiculo alimentum præbent, uaricata fuerint, ita esse faciundum. Si omnia affecta sint, cum ipsis etiam testiculus erit euellendus, ne alimento destitutus contabescat. Flatuoso porrò ramici cum genere aneurysma existat,

manuum administrationem non esse admouendam idem autumat, propter præsentaneum, quod in uaricibus à nimia sanguinis profusione euenit, periculum. Recentiores autē, cum uitij huius duplex sit generatio, alias ex quatuor uasis testiculum nutrientibus, alias quæ in dartis tunicis & scroto cōtinentur arterijs, hunc ceu conclamatum repudiant, illū manuum opera curant. Discernimus autem ipsos, quòd qui ab arterijs fit, facile ad digitorum compreßionem euanescit: qui à uenis testiculum alentibus enascitur, uel neutiquam, uel cum multo metu, his eadem quæ uaricoso ramici curatio adhibetur, singulis uenis funiculo exceptis ac deligatis.

De hernia intestinorum. Cap. 65.

ENterocele, hoc est intestinorū hernia siue ramex, est in scrotum intestini deuolutio, quæ fit ex membranæ abdominis ruptione circa ilia, uel laxatione: utraque igitur hæc, ruptura scilicet & laxatio, uiolentia quadā præcedēte, nempe ictu, saltu, aut clamore proueniunt. Laxatio autem propriè, ex resolutione alijsq; corporis imbecillitatibus accidit. Notæ utrisque communes sunt hæ: euidens in scroto tumor, qui in exercitijs, teporibus, spiritus retentione, alijsq; huiuscemodi occasionibus maior euadit, digitisq; compressus, lentius recurrit, celerius autem rursum relabitur. Intestinum insuper resupinatis, supernè sua in sede permaneat, donec erecti steterint. Stercus autem in scroto interclusum, periculum sæpenumero ipsis intulit. dolor enim infestat, impreßisq; interim etiam digitis crepitum edunt. Hactenus quidem communes: singulares uerò priuatim notæ ramicis, quæ ex laxatione membranæ oritur, sunt, quod non uniuersim, sed particulatim, & quibuslibet de causis interdum intestinum deuoluitur, tumorq; æqualis, & profundiore in loco apparet, utpote intestino, quod delapsum est, abdominis membrana constricto. At quæ ruptura euenit deuolutio, uniuersim ab initio, & uiolētis de causis duntaxat, tumorem immensum, inæqualem, & in summa statim

cute

cute præfert, eò quod extra peritonæum elabantur intestina. Si igitur rupta membrana peritonæo, omentum dūtaxat in scrotum exciderit, epiplocele, hoc est omenti ramex: si omentum intestina secuta sint, epiploenterocele, hoc est omenti & intestini hernia appellatur. Si uerò cum his etiam aqua in tunica erythroide nuncupata contineatur, ex tribus composita appellatio inditur: hydrenterepiplocele, hoc est aquæ intestini & omenti ramex. Porrò neq; hos, neq; ex ruptura intestinorum ramicem, manuum administrationi subijciemus: sed illum duntaxat, qui ex laxatione constiterit, ramicem hoc modo curamus. Laborante resupinato, inguinis cutem per famulum subleuatam, transuersa linea, sicut in angiologia expositum est, incidimus: & si quidam non transuersa, sed recta linea utantur, iniectoq; hamulo diuisionem ita explicamus, ut per eam educi testiculus commodè poßit: deinde rursus in intima cute, nempe quarta, tot hamis infixis, quot ad uulneris magnitudinem sufficiant, membranulas & adipem retuso hamo aut specillo excoriantes, scalpello excidimus, detectaq; undiq; & expedita abdominis mēbrana, indicē digitum in posteriorem scroti partē inter membranā hanc & dartū demittimus, eoq; posteriorem connexum soluimus. Post hæc dextera manu finem earum implicantes, sinistra abdominis membranam ad diuisionem attrahimus, & testiculum unà cum membrana rubenti, eductum famulo attollendum tradimus: ipsi uerò posteriorem inhærentiam penitus unà cum membrana rubenti dissoluentes, digitis contrectando, num intestini aliquis anfractus in tunica erythroide relictus sit, explorabimus: qui si inuentus sit, deorsum hunc ad aluum propellemus: deinde acu magna, linum decies tortum duplex ducente, extremitate membranæ abdominis qua diuisionē respicit, per medium traijcimus: sinuq; succiso quatuor lini capita efficimus, atq; his per uinculū rursum inter sese decussatim implicatis, ex utraq; parte peritonæū uehemēter destringemus: iterumq; ijsdē capitibus cir-

cum uolutis, constrictionem repetemus, sic ut nullũ ex uasis a-lentibus queat amplius nutrimentum suppeditare: ne si id fiat, inflammatio inde aliqua concitetur. Post hæc secundum uinculum minori quàm duorum digitorum interuallo à priori distans, foris inijcimus. Inde uincula, mẽbranæ abdominis partem ad digiti amplitudinem relictam circulatim amputemus, unà cum ipsa etiam testiculo ablato. Rursum scroto iuxta saniei emissarium paululum inciso, lemniscoq; inserto, fomentis oleo madefactis, deligationibusq; sicut in aquoso ramice adhibitis, cætera quæ restant, perinde atq; illic explicitum est, faciemus. Noui nonnullos autem non imperitos chirurgos, qui in membrana erythroide excisa, metu sanguinis profusionis, ut uerisimile est, ferramentis candentibus extremum ipsius adurebant: ijdem post scalpelli administrationẽ ægrum statim in solium ligneum oblongum aquæ calidæ, ad septimum diem usq; demittebant, quinquies per diẽ noctemq; id facientes, præcipuè in pueris: resq; ipsis mirificè succedebat. nam absq; inflammatione secabant, & uincula unà cum partibus constrictis illico decidebant: interim uerò dum ægri lauabant, prædictis superfusionibus utebantur. Alius quidam præter commemorata omnia, per id tempus etiam pipere ex oleo trito spinam ipsorum dorsi perfricabat.

De bubonocele, hoc est inguinis ramice. Cap. 66.

INguinis ramex, intestini herniam ex laxatione natam præcedere consueuit. exterso nanque primum peritonæo, laxatum intestinum ad inguina delabitur, inibiq; inguinis ramicẽ conficit, cui malo uetustiores eiusmodi scalpelli operam adhibebãt, postea quàm inguina intumescentia transuersa incisione trium digitorum longitudine aperuerant, membranulasq; & pinguedinem exemerant, peritonæo denudato, ea in parte qua fastigiatur, mucronem specilli imprimebant. is enim intestina sursum repellit, duasq; peritonæi partes, quæ utrinque à specillo exurgebant, suturis inuicem committebãt: mox mu

crone

crone extracto, neq; peritonæo præciso, neq; testiculo exempto, neq; alio quopiam facto, præsidio cruentis uulneribus dicato, curabant. Quoniam autem recentiores in huiusmodi uitijs adustionẽ anteponebant, hanc quoq; opportunè trademus. Homo igitur post moderatam motionem paulo uiolentius tussiat, ac spiritus retẽtione intendatur. Vbi tumor in inguine apparuerit, locum qui aduri debet, atramẽto scriptorio, uel collyrio triangula figura notabimus, transuersam lineã superius ad inguinis situm ducentes, pũcto in medio triangulo signato: ægro deinde reclinato candens ferramentũ medio illi puncto imprimemus, primũ claui, deinde lateribus triãguli ad Γ Græcæ literæ figurã. Postremo ad laterculi aut lẽticulæ instar factis cauterijs, totũ triangulũ cõplanabimus, famulo per totam adustionem saniem panniculo extergente: tam altè adurẽtes, quoad in mediocris habitus corporibus adipẽ attingamus. Neque enim gracilibus propter siccitatem puncto illi ferrum imprimendum est, ne fortè imprudentes peritonæum aduramus: neq; etiam nimium obesis ac pinguioribus, in quibus etiam uel ante iustam adustionem pinguedo occurrit. Vbi sanè, ut mediocrẽ adustionis habitum inueniamus, artificiosa cõiectura opus est. Secundum ustionẽ porrum cũ sale tritũ crustæ imponitur, et inguinale ad X literæ Græcæ figurã ligamẽto utamur. Sequentib. diebus medicamẽtis quæ crustã adimunt, puta quæ ex lẽticula et melle cõstãt, et id genus alijs curationẽ absoluemus.

De scroti laxatione, quam rhacosim dicunt. Cap. 67.

QVando scroti tergus sine interiorib. suis partib. laxatur, uitiũ maximè indecorũ, quod Græci rhacosim nuncupãt, euenit. Leonides itaq; resupinato homine, superuacanea scalpello super tabulam quandam, aut durũ aliquod corium, excidebat, orasq; plagæ suturis cõmittebat. Sed Anthyllus ternis pòst aut quaternis suturis adhibitis, superfluã cutẽ forfice acuta uel scalpello abscindebat, suturisq; conglutinatam perinde atq; cruenta curabat.

De ratione faciendi eunuchum. Cap.68.

QVum nostræ artis consilium atq; unicus scopus sit, ut corpora ab affectione, quæ præter naturam est, in naturalem restituantur, contrariam eunuchos faciendi ratio professionem sortita est. Sed quoniam subinde præpotentes aliqui nos uel inuitos castrare homines cogunt, huius etiã rei modus compendiosè referendus est. Duplex igitur est: unus collisione, alter excisione absoluitur. Collisione hoc modo, pueruli etiamdum infantes, in aquæ calidæ peluim collocantur, ut in ea desideant: deinde ubi partes illæ eadem pelui fuerint remollitæ & relaxatæ, digitis testiculi premuntur, quoad dißipati euanescant, neq; sub tactum amplius dissoluti occurrant. Excisione uerò, in hunc modum: homine in sedili resupinato, læuæ manus digitis scrotum unà cum testibus comprimetur, scalpellóque admoto in rectum duas lineas, unam per alterum testiculum incidimus: ubi proruperint testiculi excoriati, sola tenuißima illa naturali uasorum continuitate relicta, execabuntur. Atque hæc castrandi ratio collisioni in eo præstat, quod qui collisionem experti sunt, uenerem nonnunquam appetere solent, parte testium aliqua, ut credibile est, in collidendo subterfugiente.

De hermaphroditis. Cap.69.

HErmaphroditorum uitium ex hermes & aphrodites, hoc est Mercurij & Veneris compositione, appellationẽ sortitum est, ualde utrique sexui indecorum. Cum enim quatuor sint iuxta Leonidem ipsius differentiæ, tres quidem in maribus, una in mulieribus consistit. In maribus siquidem aliàs sub scroto iuxta interfœmineum, aliàs in medio scroto genitalis fœminei pilis obsiti forma conspicitur. Tertia uerò bis accedit, in qua quibusdam per eiusdem scroti quasi muliebris pudendi rimam urina destillat. In fœminis uerò supra pudendum iuxta pubem mentulæ subinde species inuenitur, quæ tribus quibusdã eminentibus corporibus uno quasi cole, reliquis duabus

bus quasi testibus. Tertia illa, *quæ uiris accidit deformitas, qua per scrotum urina excernitur, cõclamata & immedicabilis est.* Tres *reliquæ curationem recipiunt, partibus superuacuis è medio sublatis, & aliorum hulcerum modo curatis.*

De nymphe amputanda & caudatione. Cap. 70.

NYmpha *quibusdam supra modum excrescit, & indecentem uerecundiam præ se fert: & quemadmodum nonnulli tradunt, aliquæ partes hac haud aliter atq; uiri arrigunt, & in uenerem ruunt. quocirca resupinata muliere uulsella nymphæ superfluum apprehensum, scalpello excindimus: cautione diligenter adhibita, ne nimis altè excindendo penetremus, ne rhyadica affectio inde excitetur.* Caudatio *porrò quam cercosim dicunt, carunculæ à locellorum ore propago quædam est, quæ muliebre genitale replet, interdum etiam instar caudæ foras procidit, nymphæ modo abscindenda est.*

De muliebrium locellorum thymis, condylomatis, & hæmorrhoidibus. Cap. 71.

THymus *tuberculum quoddam est, modò rubens, modò candidum, plurima ex parte dolore uacans, thymi corymbis similis.* Condylomata *uerò rugosæ quædam extuberationes sunt, quemadmodum hæmorrhoides, ijs quæ in sede eueniunt respondentes, interdum etiam sanguinem profundunt.* Omnes *igitur huiusmodi in mulieribus excrescẽtiæ, quæ sub aspectum ueniunt, inter detegendum specillo comprehensæ, semispathulæ ferramenti acie exciduntur.* Et g lla *læuigata, aut fissili alumine curantur: deligaturam quippe quæ lino fit, in his clariores chirurgi non concedunt.*

De muliebribus genitalibus imperforatis, & phimo. Cap. 72.

GEnitalia *mulierum compacta & imperforata, interim à natura, interim ex superueniẽte occasione, morbo aliquo præcedente, fiunt, quandoque in imo, quandoq; in ipsis alis, quæ Græcè pterygomata dicuntur, uel in medio etiam spacio, idq; uel ex natura, uel ex obstructione.* Obstructio *autem uel*

carne, uel membrana fit. Hoc uitium in uenereo congressu, in conceptu, in partu, nõnunquam in expurgandis mensibus graue impedimentum adfert: si uidelicet membrana, uel caro totum obstruat. nam in quibusdam foramen in medio patescit. Causa itaque inuenta, uel ex promptu, uel etiam dioptra, hoc est exploratorio specillo ad uuluã aperiendam demisso, siquidem conglutinatio solum fuerit, hanc recta linea scalpello ad fistularem incisionem facto dissoluemus. Si autem distentio, hamulis iniectis medium corpus siue membrana, siue caro sit, eleuantes scalpello diuidemus: deinde sanguinis profluuio exiccantibus sine rosione medicamentis represso, cicatricem inducentibus utemur, priapisco, hoc est linamento priapi instar facto, supposito; atq; hoc in his potißimum fit, in quibus non admodum altè scalpelli administratio est adhibita, ne particulæ rursus coeant. Phimus, hoc est præclusio, in uteri ostiolo succrescens, pari modo curandus est.

De uteri abscessu. Cap. 73.

VBi circa os uuluæ abscessus emerserit, qui manus administrationem queat admittere, non protinus ad incisionem festinare consilium est, sed propter uteri excellentiam quoad absoluta dispositio eius, auctaq; plurima parte inflammatio creuerit, superiectaq; humoribus corpora attenuata fuerint, expectare, tũ deniq; ferrũ tentare. Inter agẽdum igitur mulier in sedili resupinata ita collocãda est, ut crura ad abdomen femina inter se diuaricata cõtrahat, cubitiq; eius poplitibus subijcientur, ac uinculis accommodatis ad ceruicẽ deligabuntur. Tunc medicus ex dextra sedens, dioptra ad ætatem accommodata explorabit. Conuenit autem specillo sinus muliebris profunditatem metiri, ne si longior dioptræ tibia fuerit, uulua comprimatur. Quod si dioptræ tibia sinu amplior reperiatur, duplicia linamenta alis inserenda sunt, sic, ut super ipsa dioptra firmetur. Oportet autem dioptræ tibiam cochleam habentem in superiora demittere, & dioptrã à medico cõtineri, cochleam

uero

uerò à famulo intorqueri, quo tibiæ compaginibus diductis, sinus muliebris distendatur. Si autem abscessus occurrerit, si mollis ac tenuis sit, quod digitorum attrectatione subsidet, iuxta uerticem spatula, aut scalpello incidendus est: deinde pure euacuato, implicitum in longitudinem linamentum mollissimum oleo rosaceo imbutum imponetur, uel potius extra plagam sinui muliebri leniter absq; compulsu inseretur. Foris autem supra alas & pubem lumbosq; lana succida uel pura, oleo irrigua imponatur. Tertio pòst die mulier in hydrelæum calidum, aut maluæ decoctum insidebit, abstersis inde sudorib. lemniscum tetrapharmaco per se, uel cum melle discocto inunctum plagæ, leniter insinuabis: tetrapharmacum uerò butyro uel rosaceo solutum esto. Cataplasmata extrinsecus superaccōmodata sunto, donec inflammatio cessauerit, & hulcus expurgetur. Si autem difficulter expurgetur, auriculario clystere, uel iridis, aut aristolochiæ decocto, uel melle elui conuenit. Cicatrix postremò linamentis medicamento ex Cadmia uino soluta, imbutis inducenda est. At si intra os uuluæ abscessus constiterit, manus admouenda non est.

De fœtuum extractione & excisione. Cap. 74.

Quàm accurata sit ægrè parturienti curatio adhibenda, tertio uolumine tradidimus. Si autē ea ratione minus successerit, ad manuum & scalpelli operam meritò diuertendū, animaduerso prius mulieris affectu, num superstes futura sit, necne. Et si quidem salus speratur, manus præsidium aggredi undum: sin contrà, respuēdum est. Quæ igitur exitium sui portendunt, ueternoso quodam torpore in somnum deferuntur, resolutæ sunt, & tanquam conclamatæ difficulter reuocantur. Siq; clamorib. reuocatæ oculos sustulerint, imbecilliter muscitantes rursus sopiuntur. Quibusdam etiam conuulsio et neruorum contractio superuenit, uel alimentum non sentiunt, pulsus admodum inturgescens, obscurus tamen & imbecillis deprehenditur. Quæ superstites futuræ sunt, nihil eiusmodi pa

tiuntur. Resupinanda igitur in lecto mulier est, sic ut figura ipsius decliuior sit, & crura sublata à mulieribus utrinq; aut famulabus aliquibus contineantur. Quarum si copia non sit, mulieris thorax uinculis quibusdam lectulo deligandus est, ne ad fœtus attractionem sequens corpus robur eius proterat, ac refringat. Postea uuluæ alis per ministrum diductis, medicus læuam manum inunctam ualentibus digitis constrictis attenuatam in ostium uuluæ inserat, ipsum'que dilatet, et oleo infuso relaxabit, demissa manu inquirens, ubi uncus ad fœtum extrahendum commodè inijciendus sit. Idonei autem ad infigendum uncum loci, si in caput conuersi deferuntur, sunt oculi, occipitium, os ad palatum, mentum, clauiculæ, costarum et præcordiorum sedes. Si in pedes exeunt, ossa pubis, intercostalia & iugula: rursum deinde medicus uncum dextera manu continebit, flexura ipsius digitis occultata, sinistra manu paulatim intromittat, & alicui ex supradictis particulis, eum usq; ad uacua infiget, tum alterum ex opposita parte inijciet, ne in alterum latus declinet, sed æquali libramento protrahatur. Deinde æquabiliter attrahere oportet, non solum rectà, sed in latera etiam, perinde atque in dentibus eximendis fieri consueuit, neque inter agendum tensionem iterum remittere conuenit. Postea uerò indice digito peruncto, uel pluribus etiam demißis, inter os uuluæ & corpus insertis, & orbiculatim circumactis, quasi excoriando resoluere. Si autem pro attractionis ratione uncus sequatur, erit subinde in superiores partes transferendus, quoad fœtus perfecta fiat extractio. Si autem manus infantis porrecta fuerit, neque propter angustiam repelli queat, panniculo aliquo circumposito, ne dilabatur, modicè protrahenda, prolapsaq;, tota ab humero abscindenda est. Idem si utræque prociderint, faciundum: simili etiam modo pedes procidentes reliquo corpore non consequente, ab inguinibus amputari debent. Tum reliquum corpus dirigere tentabimus. Ac si caput iusto maius, angustiasq;

facit,

acit, & hydrocephalus est infans, spatha polypica, uel scal-
ello, uel aculeato cultello inter digitos occultato, caluariam
ius incidimus, ut tumore exinanito concidat. Quod si natu-
aliter caput tam amplum sit, caluariam similiter forcipe,
lentibus aut oßibus extrahendis dicata, confringimus. Si oßa
liqua immineant, hæc quoque eximuntur. At si caput ad tho
acem protractum impediat, partes circa clauiculas eodem
nstrumento usque ad interiora secentur, ut humore effuso tho
ax extenuetur. sin minus, clauiculæ etiam ipsæ præciden-
æ atque extrahendæ sunt: tunc enim concidat necessum est.
Quod si abdomen è mortuo fœtu, aut aquam subtercutem ex-
erto, inflatum deprehenditur, unà cum interaneis eadem
atione ac uia euacuandum est. Si in pedes deferuntur, ad os
uluæ inclinatio non difficulter dirigitur. at si thorax uel i-
mus uenter obstructionem præbeat, linamento circumposito
ttrahantur: atque eodem, quo dictum est, modo, ea quæ ambi-
unt, findemus. Si uerò reliquis omnibus partibus detractis, ca-
ut solum reuersum altius inhæserit, & firmius retineatur,
niectam manum sinistram ad os uteri, si pateat, deorsum in-
undum transferemus, caput'que inuestigatum ad ostium ip-
um digitis deuoluemus: deinde uno aut altero unco infixo pro
ter hostioli inflammationem nullam uim adhibebimus, sed in
usionibus pinguibus & copiosis, inseßibus, inspersionibusq;
utemur, sic, ut aperto uteri hostiolo aptè, quemadmodum
superius demonstratum est, queat extrahi. Cæterum trans-
uersus infans, siquidem dirigitur, præfatis rationibus eximen
dus est. Sin minus, concidi intus & particulatim educi debet:
cura adhibita, ne qua particula ipsius nobis nescijs intus relin
quatur. Post manus scalpelli'que administrationem obitam,
præsidijs inflammationibus uteri dicatis utendum est.
Si uerò sanguinis profusio euenerit, etiam
huius curandi rationem superius
traditam accepisti.

De secundis

De secundis relictis. Cap. 75.

SVbinde usuuenit, ut fœtu extracto, inuolucrum ipsius (quæ etiam secundas appellant) in utero firmiter retineatur. Diducto itaq; uteri osculo, secundæ inibi relictæ, aliquo in loco globatim conuolutæ, facilè educuntur. Læua siquidem manu calefacta, unctaq; in imum uuluæ demissa, secundæ sublabantes eijciūtur. Sed si in fundo uteri adnatæ hæreant, manus similiter demittenda est, & apprehensæ attrahendæ sunt, neque in rectum tamen, ne uterus procidat, neq; uiolēter admodum: sed leniter prius in latus huc illuc agitandæ, tum aliquantulo ualentius excutiendæ. Hoc enim pacto à connexu absolutæ sequuntur. Quod si uteri orificium conniueat, easdem medelas quas ad hoc recensuimus, adhibere conuenit. Si uires infirmæ non fuerint, cientibus sternutamenta & aromatum suffitu ex fictili utendum. Et si os uteri hiauerit, manu inserta, secundas eodem modo educere conabimur. At si neq; ita eximi queant, non opus est negotium ægrotanti ulterius facere. Nam secundum paucos dies tabefactæ, & in saniem resolutæ, ultro excidunt. Quoniam uerò odoris grauitate caput aggrauant, et stomachum euertunt, suffitus ad hoc facti adhibeantur: quo in albo cardamomum & ficus aridæ maximè censentur.

De coxarum adustione. Cap. 76.

PErinde atq; humerus, sic etiam coxendix, madoris nimietate prolapsus, in quibusdam adustionem efflagitat. Id quod Hippocrates hac sentētia asserit. Quibus coxendix ex diuturno suo cruciatu excidit, crus tabescit, & claudicant, nisi ustionem experiantur. Oportet itaque eo potissimum in loco adustionem moliri, è quo articulus excidit. si enim redundans humiditas exiccabitur, & locus ex cicatrice inspissatus, os amplius minimè suscipiet, quocirca longè altius adurendum est. Recētiores uerò treis adurēdo crustas concitant, unā retro ad cauitatem clunis, alteram supra genu paululum extrinsecus, tertiam supra exteriorem malleolum, quà est carnosior.

De fistu-

De fistulis & fauis. Cap. 77.

QVoniam locus iam exigit, ut de ani fistulis disseramus, haud absurdum fuerit, si prius generatim de fistulis omni[b]us explicemus. Est igitur fistula sinus callosus, dolore aliqua[te]nus carens, qui plerisque in particulis, plurima uerò parte [e]x abscessibus parũ dextrè curatis, exoritur. Callus uerò con[tr]acta quædã caro est, candida, madore priuata, eoq; indolens [...]iã, neq; uena neque neruo ad ipsam pertingente. Sinus modò [q]uidã siccus, modò uerò humidus est. Humor interdum absq; in[te]rmißione fertur, interdum certis quibusdam temporibus in[te]rmittit, ore ipsius obstructo, iterumq; diducto. Fistulæ nunc [q]uidem in os, nunc in neruum aut aliquam aliam principem [p]artẽ terminantur, uel rectæ, uel obliquæ, uel uno ore, uel plu[r]ibus peruiæ. Quæ igitur in grandes arterias, uel neruos, uel [t]endines, commẽtatione dignos, uel membranam costis inuol[u]entem, uel aliam eiusmodi principem particulam deueniũt, [a]ut nequaquam omnino, aut summa artificiosaq; cautione & [d]iligentia pertractandæ sunt. Reliquis uerò hoc modo manuũ [o]peram admouebimus. Explorabimus primum, si rectæ sint, opario: si obliquæ, specillo flexili: cuius generis stannea, atque ex ære tenuißima. Quæ uerò bina aut plura habent oscu[l]a, quæ specillo tentari nõ possunt, sinu per unum ipsius os a[c]lusto, ex clysteris in reliqua ora transitu facilè animaduerti[m]us, fistulá ne pluribus orificijs dehiscens, an plures sint fistu[l]æ. Facta eiusmodi notatione, siquidem in summo fuerit sinus, [a]ngustusq;, demisso specillo expandentes accommodata figura scalpello callum tollemus, uel unguibus, uel acie scalpelli [a]deradentes. Siq; partes superfluæ latius diffundantur, circum adimi debent. Sin autem non per summa transuersæ ferũtur, [s]ed penitius rectè tendũt, ubi quàm profundißimè potest sinus, fuerit diuisus orbiculatim, uniuersum callum excindemus. Si[q]uid ex eo relictum fuerit, adurenti id medicamento consume[m]us: si amplius cum sit, medicamento non obtemperet, ferra-

mentis

mentis candentibus ei crustam inducemus. Quod si fistula os desinit, id quod integrum est, tantummodo derademus: si riem, aut aliam quandam corruptionem senserit, totum qu uitiatum est, excisorijs scalpris oppositis auferemus, prius, opus sit, terebratione adhibita, siue ad perspiratum usque ta tummodo, siue ad medullam usq; uitium penetrauerit. At si aliquod caulium modo trausuersim fractum emineat, serra secandum est. Binis igitur sumptis habenis, unam medio si oßi eminēti subijciemus, ministroq; intendendam porrigimu alteram quæ craßior est, uel è lana constat, simili modo ca ni, quæ oßi subiacet, medietate insertantes, & initia eius inf comprehendentes, carnem per habenam deorsum trahi iube mus, sic, ut caro deorsum depressa, lacerari à serræ dentib nequeat. & isto nos pacto excretionem molimur. Vbi ue præcipua aliqua pars subiecta est, ueluti membrana costas s cingens, uel spinalis medulla, uel tale quippiam dum os exc dimus aut serramus, quæ pelliculam custodiat lamina subij cienda est. Sin autem os uitiatum non sit, totum uerò circula tim carne denudatum sit, nihilominus eodem modo deradetu seu amputetur. Fieri enim non potest, ut ossa orbiculatim ca ne spoliata, eadem amplius obducantur. Pari modo si oßis ex tremitas iuxta articulum corruptionem experiatur, serra secanda est. Si totum sæpenumero os, uerbi gratia, cubitus, r dius, tibia, aut id genus aliquod uitiatum fuerit, totum ampu tur: femoris autem capiti, aut coxæ, aut dorsi uertebræ, eti si uitium acceperint, ob præsens tamen quod ex adiunctis art rijs accidit periculum, eiusmodi manuum operam admoliri r cusabimus. Hac igitur ratione ac uia agendum est, ut in singu lis ubiq; partium affectarum situs, uicinitatis et cognationis item morbi magnitudinis & uirium laborantis rationem ha beamus. Iam uerò fauus cum sinus sit fistulosus, mellea difflu ens humiditate, easdem quæ fistulæ & alij sinus cùm manu um, tum medicamentorum suppetias efflagitat.

De an

De ani fistulis. Cap. 78.

SEdis fistulæ ita sunt rimandæ. cæcis nullo ore apparente cruciatus accidit, & purulentus quidam humor ex ano profluit. Plerisque abscessus quoque notæ præcesserunt. euidentes coparium specillum uel seta porcina demissa arguit: instrumentum quippe ad ima, donec inanem locum offendat, illis penetrat, digitoq; indici per anum transmisso occurrit, fistula nimirum interiore parte perforata. Nam si perforatæ non sint, instrumentum digito neutiquam citra medium occurrit, sed per medium imperforati corporis sentitur. Obliquæ & labyrinthi modo tortuosæ inde cognoscuntur. Quod instrumentum iniectum paululum procedat, pus tamen ad illarum portionem copiosum fertur. At quæ prope intestinum tendunt, inde deprehenduntur, quod interdum & lumbrici, & stercus per os erumpat, atque omnes ferè callum quendam in orificio præferunt. Quæ porrò uesicæ ceruicem perforauerit fistula, uel ad femoris articulum, uel ad rectum intestinum tendit, nulla medicina periculo subtrahit. Quæ uerò orificio caret, & quæ abdita est, & in os terminans, & multipharíam fissa, ægrè: reliquæ in uniuersum facile curationem recipiunt, manuum opera hunc in modum adhibita. Resupinato homine sic, ut cruribus sursum porrectis, femora ad uentrem inclinēt, perinde atque in ijs quibus infusum aluo immittitur, fieri consueuit. si fistulæ extremum in summa cute terminabitur, specillo per os subiecto, simplici linea cutem excidimus. Si profundè in anum fistula tendat, demisso simili modo per orificium specillo, siquidem perforatam ab altero ipsam inuenerimus, alterius manus, quæ affecto annulo opposita est, indice per anum immisso, scalpelli initium apprehendentes, et paululum recuruātes, foras educimus: et quicquid specillo incumbit, simplici diuisione aperimus. At si perforata nondū fuerit, in altū uerò ani duntaxat terminetur, & caput specilli, tētantibus nobis, sub squamea quadā, aut mēbranea cute digito indici sublabatur, specilli mucrōe uiolētius impulso perforabimus,

traie-

traiectoq; per sedem specillo, rursus scalpello corpora modò prædicto resoluimus. Si igitur terebræ aut falculæ fistulis secandis dicatæ, mucrone sinus fundū in ano perforauerimus, eodemq; instrumento per anum traducto, totum id quod in medio est falculæ mucrone desecabimus, & post excisionem uulsella uel forcipe omnes quæ ambiunt partes (sunt autem calli) ex toto adimendæ sunt, ubiq; uitantes ne musculum constrictorium, qui sphincter appellatur, offendamus. Nōnulli enim dum imperitius minus altè incidunt, ipsum uulnerauerunt, atque ex eo inuoluntaria stercoris eiectio euenit. Vbi uerò quispiam meticulosior ferrum recusauerit, Hippocratica deligatio adhibenda est. Præcipit enim Hippocrates, linum quintuplex crudum, specillo perforato insertum, per fistulam demittere, innexisq; inter se initijs constringi, donec totum quod inter duo ora superiacet, dissectum, linum eructet. Quod si id designare detrectet, linum ipsum psara, uel eiusmodi quodam arido illinendum, & ultro citroq; extrahendum. Sunt qui foramini fistulariæ falculæ linum insertū eodem quo diximus modo propellunt, quod mea sententia non conuenit. Nam cum scalpelli operam fugere student, præterquam quod id non assequuntur, curationem prolixiorem consequuntur. De abditis porrò fistulis Leonides hunc in modum prodit: Cum autē profunda fuerit fistula, & sphincterem musculum forauerit, siue à sede incipiat, siue longius procedat, post notas indicatas, laxatorio instrumento dioptrio paruo muliebris sinus modo, anus distendetur. Cumq; fistulæ os apparuerit, specilli mucro in ipsum demittetur, in imumq; impelletur, supraq; ipsum semispatula aut spata fistulis dicata diuidetur. Ipsi uerò cum in huiuscemodi affectionem incidissemus, hac administrationis ratione uti minimè potuimus, eo quod fistulæ cuniculus sub aspectum uenire nequiret, quum esset inter anum & eius fibulam sphincterem appellatum, à dextra parte constitutus, & diductorium instrumentum operationem potius adumbrabat.

Cæterum

Cæterum distendentibus nobis cum digitis anum, rima quædam inter unam quandam rugam ani quasi fistulæ defluxio se obtulit, pus etiam per ipsam emanabat. Tentauimusq; *per eandem specilli aciem in fistulam demittere, ceu ab ipsa manu ducti: deinde dextræ manus indice sphincteri immisso, medium quoddam tenue corpus inter digitum & instrumentum deprehendimus. quare cultello uiolentius digito adacto, fistulæ fundū sursum conuersum perforauimus, extractoq; specilli capite totum id quod inter duo fistulæ ora habebatur, sub aspectum nostrum uenit: dico autem, ab eo quod à principio ad humoris emissarium situm erat, & eo quod à nobis factum fuit, scalpello incidentes, specillum liberauimus.*

De hæmorrhoidibus. Cap. 79.

Qvum hæmorrhoidum notio ex ipso qui uacuatur humore conspicua sit, priusquam aggrediamur, copiosissimo infuso utendum est, quo & intestini retrimenta exinaniantur, & anus simul ad diuortium & exitum promptior reddatur. Col*locabimus igitur ægrotantē supinū aduersus lumen lucidum, siquidem deligatione uti animus est, linum quinquies tortum ferramento, quo ora uenarum in ani corona uel uuas adurere consueuimus, labris hæmorrhoidum circumponentes, singulas hoc fune astringimus, una duntaxat relicta, qua sanguis redundans effluere possit.* Idem & Hippocrates *præcipit.* Se*cundum uerò astrictionem linteolum oleo madens, & ligamentum sedi accommodatum adhibendum est, ægroq; quiescendum, oleo tepido, aut aqua mulsa ad uentris curationem utendum: cataplasmate item post hæc ex micis panis & croco. ubi hæmorrhoides exciderint, uino cicatricem inducimus. Leonides uerò deligatione non utitur, sed uulsella uuæ dicata, hæmorrhoidas ampliter prehensas, scalpello excindit. Post manuum administrationem, manna & amylo cum chalcitide, uel medicamento excremata spongia & pice, adq; absolutam adustionem* Faustino *pastillo, utitur. Alij uerò instru-*

menti, quo uua aduritur, utriculis medicamento quod adurat repletis, hæmorrhoidas perinde atq; uuam usserunt.

De condylomatis seu tuberculis. Cap. 80.

SEdis condyloma loco solum ab eo quæ in muliebribus naturalibus suboriuntur, dißidet. Rugosum etiam ipsum ani tuberculum uel ex inflammatione, uel rima præcedente prognatum. Primò igitur tuberculum mox ubi occalluit, condyloma appellatur. Oportet igitur huic haud aliter atq; illis uulsella apprehensis, excisione, & crustam inducentibus medicamentis mederi. Rimas autem quæ ex duricie stercoris potißimum eueniunt, & cicatrice temporis spacio occallescentes, uel unguibus, uel scalpello perradentes, recentes faciemus, & ad cicatricem conuenienter perducemus.

De ano perforato. Cap. 81.

INfantibus recēter editis anus à natura imperuius interdum reperitur, eo quòd membranæ obductione obstruitur. Hæc igitur digitis, si fieri potest, dirumpenda est: sin minus, scalpelli acie eam aperientes, uino curabimus. Quoniam autem adultis etiam subinde ex praua hulceris curatione anus conglutinatur, instrumento ad id facto cohærentiā istam diruptam curabimus, fistula plumbea aut cuneolo quodam per totū curationis curriculū, ne rursum coeat, scitè imposita. Debet aūt cuniculus medicamento prius, quod cicatricem inducat, oblini.

De uaricum excisione. Cap. 82.

DIlatatio quædam uenæ uarix est, nunc in temporibus, nūc in ima uentris parte sub umbilico, non rarò circa testes etiam, crebrius uerò in cruribus eueniens: hic sanè magna ex parte è melancholica materia originem trahit. Eorum igitur qui in testiculis insurgunt, administrationem, capite de uaricoso ramice explicauimus. Iis uerò quæ in cruribus oboriuntur, pari modo manuum operam admoliemur, ab interiore scilicet femoris parte, ubi etiam ipsorum origo utplurimum cernitur, auspicantes. inferius siquidem in plures dispersi pro-

si propagines, impeditam tractationē exhibent. Homine ita*que prius loto, uinculum superiori femoris region inijcimus, & incedere præcipimus, uenam'que ita infartam attramento scriptorio, collirióue iuxta uaricis situm, notabimus, digitis per longitudinem ternis, aut paulo amplius, interpositis.* Reclinato *postea homine cruribus extensis, altero supra genu uinculo deligamus. Turgescentem'que in fastigium uenam supra attramenti notationem scalpello scindamus, sic, ut cutem duntaxat scalpellum penetret, ne uenam incidamus.* Deinde *hamis plagæ oras diducentes, & membranas herniarijs specillis flexilibus excoriantes, uena undiq; nudata explicata'que, femoris deligationibus solutis, uena'que ipsa per obtusum hamum suspensa, acum subter duplex linum trahentem transmittimus, lini'que sinum amputamus, & uena scalpello per medium dissecta sanguinis quantum opus est detrahemus. altero deinde lino superiorem uenæ partem constringimus, crure'que recto eleuato, manuum expreßione, sanguinem qui in crure est, euacuabimus: deinde infrà rursum uenam deuincientes, partem illam uenæ quæ inter duo uincula existit adimemus: uel relinquimus, quoad sua sponte unà cum uinculis excidat, & plaga uulneris linteolis siccis oppletà, splenium œneleo madens superimpositum deligabimus, linamento medicamine suppurationem inducente imbuto, curationem prosequemur.* Neque *autem me fugit, ueteres nonnullos uinculis minimè esse usos, sed alios uenam carne indidem denudatum excindere: alios ab imo adhærentem uidentur extrahendo abrumpere.* Atqui *omnium tutior à me positus est manuum administrationis modus: uarices insuper qui imo in uentre suboriuntur, simili chirurgia tractantur.* Illi *itidem qui tempora infestant, ea ratione quam in capite super exemptione uenarum, angiologiam uocant, comprehendimus, eliduntur.*

De dracunculo. Cap. 83.

SVper dracunculis sanè, quomodo maximũ per medicamẽta præsidiũ experiantur, quarto uolumine satis tractauimus.

De extremarum partium amputatione. Cap. 84.

EXtimæ interdum corporis partes, uerbi gratia, manus aut pes, eiusmodi putredinẽ experiũtur, ut ipsa etiã ossa corrupta, siue ex foris inchoante causa, fracta sint, siue ex præcedente putredinem experta, excisionem quæ serra fit desiderent, ante quàm corpora oßibus circumiecta, primùm incidere neceßitas est. Quod dum primum fit, deinde longior in serrando mora protrahitur, periculum est, ne sanguinis profluuium sequatur. Meritò Leonides non omnia primum corpora, nisi penitus putrefacta immortuaq; essent, excidebat. Sed eam modo partem, ubi non plures esse uenas aut arterias opinabatur, principaliter usq; ad os aperiebat: deinde os protinus ipsum serra execabat, panniculo lineo partib. præcisis superposito, ne serra per ipsas ultro citroq; tracta, dolores crearet: deinde reliquo exciso ferramentis candentibus uasa adurebat, & sanguinis fluore linamentis insertis represso, cõuenientem deligaturam adhibebat, præsidioq; pus commouente curabat.

De unguium pinnulis, quæ pterygia dicuntur. Cap. 85.

PTerygium in unguibus excrescentia carnis est, partem unguis opperiens, tam in pedis quàm in manus pollicibus potißimum eueniens. in pedibus quidem, ex offensione ut plurimum: in manibus autem, ex neglecta reduuia, cùm inflammata, tum in pus conuersa, creatur. Siquidem pus cum inueterauit, unguis radicem exedit, ipsumq; corrumpit, ac totum subinde abolet, magnaq; ex parte mediam eius portionem omnino consumit. Iuxta unguis radicem particulam quandam putrefactam, quandoq; totam radicem à rosione immunem relinquit: os etiam ipsum interim corrumpit, odor grauis sentitur, digitus summo expansus ac liuidus cernitur. His in hunc modum manus admouenda est. Totam unguis partem relictam

scal-

ſcalpelli acie ſubſecantes auferemus, deinde cauterijs exhulceratam aduremus. Pterygium enim ex genere depaſcentiũ eſt, quod niſi aduſtione cohibeatur, continenter ſerpit: ſi negligatur, totum digitum corrumpit. At ſi oſsi et ungue integris, exſerior unguis angulus deliteſcens, carnem ipſi agnatam pungat, inflammationemq; excitet, oportet ſtimulantem unguis particulam tenui ſpecillo, aut tali aliquo inſtrumento ſubiecto eleuatam, ſcalpelli acie præſecare, & quod eminet, adurente, & cruſtas inducente medicamento conſumere. Hac quippe adminiſtrationis ratione pleriq; reſtituti ſunt. Sin amplius fuerit quod eminet, primum id ſcalpello circumcidi, mox ſuperinduci medicamentum debet.

De ungue colliſo. Cap. 86.

QVandoquidem ſæpenumero unguibus ex contuſione colliſis, cruciatus comitantur, qui ad chirurgiam nos compellunt, abunde erit Galeni uerba hic appoſuiſſe. inquit enim: In unguibus contuſis ipſa experientia liquidò edocti ſumus, ſanguinis detractionem ſopire dolorem, cum pulſus & cruciatus intenſiſsimi oboriuntur. Debet unguis non recta à ſuperiore parte deorſum uerſus ad imam, ſed obliqua linea acutæ aciei ſcalpello incidi, ſic, ut ſanie excreta, reſecta eius pars quaſi operculum quoddam ſubiacentium corporum efficiatur. Nam ſi in rectum ſeces à ſuperiore parte deorſum, qua carnis excreſcentia unguem occupat, fit, ut ſubiecta ungui caro per mediam diuiſionem excreſcat, atque ingentes rurſum inde dolores non aliter quàm in paronychijs nominauimus, pariat. Qua inciſione omnem prorſus ægro dolorem adimi cernes. Sequentibus uerò diebus licet nobis ſuccisam illam unguis particulam leuiter attollere, uel unguis ſaniem excernere, ac rurſus quaſi operculum quoddam ſubiectæ carni, quemadmodum memorauimus, unguem imponere. Reliqua totius digiti curatio, cùm ad mitigandum, tum ad diſcutiendum tendat.

De clauis, formicis, & uerrucis. Cap. 87.

CLauus callus est rotundus, colore candido, claui capitulum referens, in omni quidem corporis parte, sed in pedum plantis ac digitis præcipuè concrescens, dolorem functionisq; incedendi impedimentum adferens. Circumscarificatus igitur, uulsellaque apprehensus scalpello acutiore, aut phlebotomo, radicitus eximendus est. Nonnulli etiam, ne renascatur, candenti ferramento adurunt. Formica uerò cutis extuberatio quædam est parua, callosa, in orbem rotunda & crassa, latiori basi inhærens, & in perfrictionibus sensum punctionum quarundam formicarum morsibus similem exhibet. Hæc etsi reliquum etiam corpus, plerunque tamen manus affligit. Quidam igitur, inter quos et Galenus existit, fistula durioris pinnæ, cuiusmodi sunt ueterum gallorum, anserum, & aquilarum, in imum fortiter undique impressa, & circumtorta scarificare formicam præcipiunt, atq; ita radicitus tollere. Alij ænea, aut ferrea fistula idem faciunt. Recentiores contenti sunt, formicas scarificatas, specilloq; apprehensas, scalpello perinde atq; clauos excindere. Verruca uerò excrescentia quædam exigua in summa cute est, indolens, callosa, in orbem magna ex parte circinata, basi angusta, ut suspensa uideatur. Nomen uerò huic inditum est acrochordon, quod chordæ summitati respondeat. Extensam igitur excrescentiam amputamus: sin minus, lino aut capillo constringimus. Nec me latet plerosque esse, qui tam has, quam commemoratas omnes eminentias frigido, ut appellant, cauterio consumpserunt.

De telis extrahendis. Cap. 88.

QVod ea operationis manuum pars, quæ de extractione iaculorum agit, perquam maximè necessaria sit, uates Homerus his uersibus testatur:

Vir medicus multis alijs æquandus honore est,
Seu iacula excindat, seu lenia pharmaca adaptet.

De te-

De telorum tamen differentia primùm est dicendum. differunt inter se quippe tela, materia, forma, amplitudine, numero, habitudine, & potentia. Materia quidem, quod ea quæ hastilia uocantur, alia lignea sunt, alia harundinea: ipsa uerò tela aut ferrea sunt, aut ænea, aut stannea, aut plumbea, aut cornea, aut uitrea, aut ossea, aut harundinea, aut etiam lignea deprehenduntur. Tanta quippe differentia potissimum apud Aegyptios inuenitur. Forma autem, quoniam alia teretia, alia angulata, qualia sunt triangula: alia cuspidata, quæ & Gonchota appellantur: quædam tricuspidata, quædam spiculata, quædam spiculis carent. atque spiculatorum, alia retro uergentibus spiculis munita sunt, ut dum extrahuntur, contrà infigantur: alia anterius spectantibus, ut propulsata idem faciant. Quibusdam utro que uersum fulminis instar spicula extant, ut dum extrahuntur, dumq; propelluntur, corpus lanient. Sunt quæ mota cardine cuspides habent, quæ in impulsione contractæ, in extractione explicentur, atque ita telum educi prohibent. Amplitudo etiam uaria est: quoniam alia trium digitorum longitudinem implent, alia parua, ut unum digitum non excedant, quæ myita in Aegypto appellantur: alia media inter hæc reperiuntur. Numerus consideratur, quatenus quædam simplicia, quædam composita. tenuia siquidem ferramenta ipsis innectuntur, quæ cum in extractione delitescunt, in imo relinquuntur. Habitudo formà que ea est, quatenus alia ferrum caudatum hastilibus infixum, alia hastile in ferri tubulum habent: ac quædam firmiter, quædam negligentius inserta sunt, ut dum euelluntur, intus separata remaneant. Potentia differunt, quatenus alia ueneno oblita, alia minimè sunt. Atque hæc telorum discrimina sunt. Locus nunc sermonem de extractione ipsorum postulat, siue in bello, siue extra bellum, sponte & inuito, quacunque de causa, & qualibet ex materia factis telis, quis uulneratus fuerit. Duplex igitur extrahendorum

telorum à carne modus est: unus per euulsionem, alter per impulsionem. ubi enim in summo telum impactum est, per euulsionem eximendum est: pari modo si altius infixum sit, opposita uerò pars, si aperiatur ex sanguinis profusione, uel ex aliorum membrorum consortio periclitantur. Propulsatu uerò utimur, cum & altè inhæsit telum, & parum admodum carnis ex obiecta parte superest, neq; præterea neruus, neque os, aut tale quippiam diuisionem impediat. Osse autem uulnerato, telum euulsorio modo eximendum est. Si igitur telũ in conspectu fuerit, indidem statim extrahẽdum: si lateat, ita Hippocrate autore faciundũ est. uulneratus, si modò poterit, in eũ statum figurãdus est, in quo erat cum uulnus acciperet: si nequeat iacens, saltem quatenus licet ad eam figuram collocandus est, specilloq; explorandum: et si carni inhæreat telum, manibus extrahemus, aut eius impositorio quod etiã atracton appellãt, nisi exciderit quod ligneum plerunq; esse consueuit. nam si excidat, forcipe dentibus uel radicibus eorum euellendis dicato extrahuntur. uel telorum extractorio, quod belulcum uocant, & alio quopiam instrumento ad id idoneo extractio moliendа est: nonnunquam etiam carnem prius incidentes, si uulnus instrumentum non admiserit. Quod si etiam in opposita telum processerit, neq; poßit ab ea parte qua infixum est, eximi, scalpello ab aduersa parte diuisa educendum est, uel euellendo, ut dictum est, uel protrudendo: uel instrumento propulsorio, si exciderit, demisso, ita, ne uel neruus, uel uena, uel arteria, uel tale aliquid incidatur. Turpe siquidẽ est, in extrahendis telis maiorem noxam, quàm tela effecerint, inferre. Si telum sit caudatũ, quod specillo deprehenditur, propulsorij instrumenti fœminam, si tubulum habebit, marem demittemus: atq; ita ferrum inserto instrumento propellemus, donec educi poßit. Si telum exemptum crenas quasdam habere conspexerimus, in quibus alia tenuia ferramenta potuerint inferri, specillo rursus immisso, si quid fuerit inuentum, simili ratione
auferen-

auferemus. Si autem telum ſpiculis in oppoſitum uergentibus munitum, ut ſolet, non ſequatur, uicinus ei locus incidẽdus eſt, niſi neceſſaria aliqua contigua pars impediat, denudatumq́; telum liberantes, abſq; uulſione tollemus. Nonnulli uerò exigua arundine cuſpidibus tectis, nequid lacerent, ita telum euellunt. Quod ſi uulnus inflãmatione caruerit, ſuturis uſi, medicamento cruentis dicato curandum eſt: infeſtante autem inflammatione, fotu, cataplaſmatis, et cõſimilibus ei medebimur. In quib. autem uenenato telo uulnus inflictum eſt, totam ſi fieri poteſt, carnem à ueneno mutatam præcidemus. ea facilè cognoſci poteſt, quoniam à ſana carne differt: perpallida enim ac ſubliuida, quaſiq́; emortua conſpicitur. Ferunt autẽ Dacos et Dalmatas cuſpidibus elenium & ninum appellatum oblinire, quæ cum ſanguine in uulnere commixta, interimunt: guſtata uerò, nihil nocumenti ipſis adferũt. At ſi telum oßi infixum ſit, ſpecillo rurſum tentabimus: et ſi caro impediat, hanc adimemus, aut diducemus. Si altius deſederit, quod cognoſcimus, ſi infixũ telum nulla ui commoueatur, labatq́;, oßis partem circumiectam ſcalpris comminuemus, circumcirca loco terebrato, maximè ſi os craſſum ſit, telũ diſſoluemus. Si porrò pars aliqua princeps icta ſit, puta cerebrũ, cor, guttur, pulmo, iecur, uenter, inteſtina, renes, uterus, aut ueſica: ſiq́; letales notæ extent, neque ſine cruciatu & magna uulſione queat fieri extractio, manum admoliri recuſabimus, ne præterquam quod nihil ſumus profecturi, maledicendi & uituperandi occaſionem idiotis exhibeamus. Quod ſi exitus fuerit incertus, præfati periculum manum admouebimus. multis etenim accidit, ut abſceſſu quoque in aliqua uitæ neceſſaria parte oborto, præter opinionem ſalutem conſecuti ſint, cum & iocinoris fibra & omenti pars aliqua uel abdominis membranæ, quinetiam tota uulua ſæpenumero adempta fuiſſe ſine mortis periculo perhibetur. Guttur etiã ſubinde in anginis de induſtria inciditur, quemadmodum de gutturis ſectione dicebamus. Si igitur in huiuſmodi

telum relinquatur, in præsentaneam mortem præcipitat, & præter quod hæc ars ab omni humanitate aliena æstimabitur, mors etiam certa sequitur: si eximatur, fortasse salus quoque comitetur. Principum membrorum uulnerationem agnoscere difficile non est, ut quæ ex accidentium proprietate, retrimentis, & loci affecti positura, deprehendatur. Vulneratis enim cerebri membranis, dolor capitis ualidus, oculorum incensio cum rubore linguæ, & mentis error comitatur: si cerebrum quoque ictum sit, homo subitò concidit, obmutescit, faciem peruertit, bilis uomitus, & sanguinis per nares aures'q; eruptio sequitur, albus insuper humor, & pultaceus per aurem emanat, sanies per uulnus, si exitus detur, profluit. Si in uacuas thoracis partes telum defigatur, si spaciosum sit foramen, spiritus erumpit. Si cordi impactum sit telum prope sinisteriorem mammillam, id ipsum non uacuo loco, sed quasi ab altero exceptum apparet. Ac pulsatilem interim motum edit, sanguis niger, si exitum habuerit, effertur extrema frigescunt, sudor promanat, animus deficit, & absque dilatione interitus subsequitur. Pulmone uulnerato, si latum intus spacium est, sanguis spumans per uulnus effluit: si non est, per os euomitur: uenæ ceruicis inturgescunt, lingua colorem mutat, æger multum inspirat, frigidi appetens. Si septum transuersum ictum sit, telum iuxta spurias costas infixum cernitur, inspiratio magna cum gemitu & dolore per totum humeri spacium oboritur. Si imus uenter uulnus accepit, ex ijs quæ per plagam efferũtur innotescit: si spaciosa laxitas est, uel telo exempto, uel impositorio intus fracto, succus ex uentre redditur, ex intestinis stercus egreditur, quandoque etiam omentum uel intestinum procidit. Vbi autem uesica uulnerata est, urina ex plaga descendit. In cerebri igitur aut mẽbranarum eius uulnere, caluaria undique terebrata, telum educitur: perinde atque in capitis fracturis propediem dicetur.

Cum thorax percussus est, nisi telum per moderatam interco-

stalium

stalium incisionem sequatur, uel etiam una excisa costa, subiecto membranæ custode lamina, telum extrahendum est. In eundem etiam modum in uentre, uesica, et reliquis quæ in imo sunt particulis, si telum sequitur, citra negotium educitur: sin minus, rursum plaga facta curationem quæ cruentis congruit, adhibebimus. In uentre si opus sit, etiam eius suendi ratio, qua de suprà comprehensum est, accommodabitur: sed quum in grandiore aliquo uase, uerbi causa, in intimis iugularibus, aut soporarijs, aut magnis arterijs quæ sub alis, aut inguinibus telum defixum, periculum sanguinis profluuij, si extrahatur, minetur, debent uasa prius ex utraque parte funibus constringi, deinde teli extractionem moliri. Quod si membra compluria connexa inter se telo traiecta fuerint, exempli gratia, brachio cum thorace coniuncto, uel cubito alicui alteri corporis parti, uel cruribus inter sese, siquidem non per totum utrunque membrum telum penetrauerit, aut hasta, eam ab exteriore parte apprehensam, non secus quàm in uno fieri consueuit, euellemus. Si utraque totaliter penetrauerit, medium lignum prius serra in duas partes resecatum, eas quàm facillimè sigillatim extrahimus. Quoniam uerò etiam lapides sæpe & buccinæ, uel plumbeæ glandes, uel similia quædam fundis eiaculata, tum ui, tum angulis quibus prædita sunt, corpori intruduntur: cognoscenda autem sunt ea, quod moles aspera & inæqualis, si contrectemus, subesse sentitur: quodq; plaga non omnino recta, sed amplior, caro item contusa ac liuida apparet, dolorq; cum grauitate infestat: cuncta hæc uncis, aut calyculis, aut uulnerario specillo agitata recipienda sunt. Extrahi, si fieri potest, etiam forcipe dentaria, aut radicibus dicata, debent. Multis autem infixa tela intus latent, quæ uulneribus cicatrice obductis, deinde multo pòst tempore abscessu circum eam partem facto & dirupto, exilerunt.

De fra-

De fracturis, & quæ sint ipsarum differentiæ. Cap. 89.

Postquam de uitijs quæ in carne manus ferriq; præsidium efflagitant, abunde docuimus: consequens est, ut de oßium etiam fracturis, & luxationibus inquam, uerba faciamus, si quidem & ipsæ ex eo genere sunt, quæ manuum operationi subijciuntur. Et iam à fracturis sumamus principium, atq; ab ijs præcipuè quæ in capite fiunt, partim quod medium hæc inter eam quæ in carnē, & eā quæ in oßibus fit chirurgiam locū obtinet: partim quod caluaria omnes alias partes præcellit. Fractura igitur, uno uerbo, oßis est diuisio, aut ruptura, aut discißio, à uiolēta quadam extranea occasione inducta. Cuius plures sunt differentiæ. alia siquidem raphanatim, alia scandulatim, alia unguatim, alia farinatim, alia iuxta refractionē & abscisionem quoq; fieri perhibetur. Raphanatim quidē ruptura oßis est, transuersim per craßitudinem facta, quæ etiam cucumeratim & caulatim, à fractorū cucumerum et cauliū similitudine quibusdam nuncupatur. Scandulatim uerò oßis assulatim in longitudinē scißi ruptio est. Vnguatim ruptura oßis quædā est, quæ parte aliqua recta, in fine lunata efficitur, quam etiā hirundinatim nonnulli appellant. Farinatim ruptura oßis est, cū id in multas minutim partes finditur, quæ ipsa nucatim appellatur ab aliquibus. Refractio autem abruptióue est, partis alicuius oßis per summitatis rupturā detractio, sic ut ablatum supernatet. atq; hæ fracturarum sunt differentiæ.

De fracturis in capite. Cap. 90.

Fractura in capite priuatim caluariæ est diuisio, quandoq; simplex, quandoq; multifida, ab exteriore quadam uiolētia inducta. Quæ hisce cōstat differentijs, fißio. excisio, effractio, siue expreßio, deseßio, quā engisoma, quasi corporum appropinquationem, dicunt: cameratio, & in infantibus contusio. Fißio igitur caluariæ per summa est diuisio, uel etiam altior, in qua ad exteriorem partem oßis offensi nulla fit commotio. Excisio, caluariæ cum refractione oßis uitiati diuisio est: quod

si offensa

offensa pars à reliquo osse discesserit, dedolationem, aposce
rnismon Græci nuncupant. Expreßio est in multas calua-
æ partes effractio, in qua fragmēta quædam oßium profun
us delapsa, cerebri membranam premunt. Deseßio, quæ ex
soma uocatur, caluariæ ictus est, in quo os offensum à natu-
ali situ ad cerebri membranam desidit. Cameratio caluæ est
uisio, in qua partes oßis affecti cameræ modo eleuatæ incur
ntur, autore Galeno, & ad interiora recedunt, & concaui-
tes faciunt, ueluti in ecpiesmate: sic enim ille autumat. Sunt
ui his etiam capillationem adnumerāt. Est autem capillatio
rctißima fissura, sensum plerunq; fugiens, eoq; subinde latēs,
ertam significationem non exhibet, mortisq; causam adfert.
Collisio uerò thlasis appellata, oßis diuisio nō est, eoq; neq; fra
ura rectè dici potest, sed oßis caluæ ad interiorē partem im-
ulsio & quasi inflexio, citra continuitatis diuortium conca-
itatem efficit: quemadmodum in æneis coriaceisq; uasculis,
i foris percutiantur, licet cernere. Collisionis huius binæ ha-
entur differentiæ. uel enim os caluum per totam affectionem
uam colliditur, sic, ut frequenter cerebri membrana recedat,
ut comprimatur à caluaria ex toto penitus: uel non ex toto,
ed extrinsecus dūtaxat in densa superficie ad duplicationem
sque deprimitur. Quidam his speciebus resonationem, ape-
chema, quasi ab echo responsione dicas, addunt: quæ est, ut ipsi
aiunt, à contraria ictus parte facta caluariæ ruptio, sed fallun
tur. neque enim perinde atque in uitreis uasculis, ita in capite,
ceu illi docent, fieri solet: illa siquidem uacua sunt, id patiun-
tur. Caluaria autem undique plena, & alioqui solida est, eue-
nit in hoc ictu ut multis alijs in partibus, non solum ubi plaga
conspicitur, ut cadendo fit, in quo integra cutis cōtinuitate fa
cto absceßu, sectoq; fissura in conspectum uenit, à contraria i-
ctus parte eam extitisse autumant. Ipsa tamen caluæ rimula,
haud aliter atque superior curatur. Si igitur fractura capitis
facta fuerit, cognosci poterit tum ex eius quod percußit cor-
pore,

pore, ſi acutum fuerit, aut graue, aut durum, & uiolento im petu impactum. Item ex ijs quæ icto homini ſuperueniunt puta uertiginibus, uel obmuteſcentia, uel ſubito collapſu præcipuè in Engiſomate, uel colliſione, uel expreßione, ui in interiorẽ partem facta cerebri cameratione. Ex notis i tem ſenſui expoſitis id licet percipere. nam ſi cutis latior fu erit diſcißio, per ipſam manifeſtè cognoſcemus: ſi autem no per totum plaga ierit, uel anguſta ſit, fractum tamen os eſſ ſuſpicemur, aperta cute, partim oculis, partim ſpecillo de miſſo explorabimus. Si aliqua alia fractura fuerit, extem plò deprehenditur: ſi autem fißio tenuis ac capillaris ſen ſum fugiat, medicamento aliquo nigro, liquido, uel ſcripto rio etiam atramento ſuperfuſo, os rademus. ipſa nanque fiſ ſio nigra oſtenditur: raſuræq; tantiſper inſiſtendum eſt, quo ad ueſtigium fiſſuræ euaneſcat. Si ad cerebri uſque membra nam plaga peruenerit, omiſſa raſura utrum membrana ab oſſe receſſerit, an etiam dum affixa permaneat, conſideran dum eſt. Si enim manſerit membrana, mediocris inflamma tio uulnus affligit, æger febri paulatim liberatur, & pus ma turum apparet: ſi receſſerit, cruciatus augentur, & febris ſimiliter, os alio colore tingitur, pus tenue & incoctum fer tur: & ſi negligat medicus, nec ſtatim perforatione utatur, grauiora his accidentia ſuperueniunt. uerbi gratia, bilis uo mitus, conuulſo, delirium, & acuta febris, quibus manuum adminiſtratio recuſanda eſt. At ſi his abſentibus membrana non receſſerit, fißio autem ſola ſit, etiam ſolo raſorio ſcal pro, quanquam in altum uſque penetret, curari poteſt. Si au tem ad laminam uſque ſecundam (quam diploen dicunt) fra ctura deſcenderit, eo uſque etiam deradendum eſt, uel os fra ctum, ut poſtea docebitur, detrahendum. Si in minutas partes os comminutum ſit, etiam has accuratè inſtrumento accom modato ſimiliter auferemus, etiamſi membrana non abſceſſe rit. Principio autem cum uulneratus in manus tuas uenerit,

hyems sit, ante decimumquartum diem: si æstas, ante septi-
um, omnino os summo studio detrahito, priusquam præfa-
accidentia eueniant. Manuum autem curationem admoli-
oportet in hunc modum: detonsis prius super uulnus capil-
, binas lineas ad rectos angulos se inuicem ad X literæ figu
m transuersum secantes, incidemus. quarum tamen alteram
se conuenit, quam pridem acceperis: deinde in uertice qua-
or angulos excoriantes, ut totum os quod terebratum est,
idum compareat. Si quidem sanguis fertur, linamentis po-
a madentibus, uulneri obiectis, comprimemus: sin minus,
ccis. Post hæc linteolo plicato, æneleo imbuto, superimpo-
to, conuenienti deligatione utemur: postero die, nisi quid no-
superueniet, quod præpediat, oßis uitiosi perterebratio ag
rediunda est. Collocato itaque homine in sedili, lecto ue,
rout uulnus desiderat, auribusq; ipsius lana obturatis,
e appulsus sonitu uexentur, uinculum aliquod uulneris sol-
emus, exemptisque linamentis omnibus, & spongia loco un
ique deterso, famulis mandabimus, binis ut fasciolis quibus-
am tenuibus circumpositis, quatuor cutis quæ fracturæ in-
umbit angulos, attollant: & siquidem os ipsum uel natura,
el ex fracturæ uitio infirmum fuerit, diuersis inter se scal-
ris excidendum est: primùm scalpris, quos Cycliscos di-
unt, adhibitis, à latioribus auspicantes, ad angustiores subin-
le transientes: deinde specillis excisorijs sensim malleolo
idactis, ne capitis concußione laborans molestetur. Si autem
s ualidum sit, eo prius terebri genere quod mergi non potest,
perforabis. (Eiusmodi uerò existunt, quæ paululum supra
mucronem eminentias quasdam habent, quibus demergi in ce
rebri membranam prohibentur.) Postea scalprorum circum-
cisione adhibita, os uitiatum, non totum simul, sed particula
tim digitis, siquidem fieri potest: sin minus, dentaria, aut ossa
ria forcipe, aut capillaria uulsella, aut eiusmodi quodã instru
mento, auferemus. Tantam autem inter foramenta spacium
relinque

relinqui debet, quanta est mucronis specilli uel maximi longitudo: altitudo uerò eò usque descendat, quo ad interiorem oßis superficiem accedat, diligenti cautione adhibita, ne terebra membranam attingat. Quam ob rem terebra quæ ad oßis craßitudinem accommodata sit, est sumenda, cum pluribus id genus ad hoc præparatis. Si autem caluariæ fractura duplicitatem secundam ue laminam non excesserit, ad hanc etiam tantum terebra adigenda est. Osse iam exempto, asperitatem caluariæ quæ ab excisione prouenit, scalpro aliquo uel rasorio, uel excisorio læuigabimus. Lamina tamen quæ membranæ custos est subiecta, & oßiculis, si qua ut par est, remanserint, aut spiculis diligenter collectis linamenta inseremus. Hic communis simul & expeditior, periculoq; uacans chirurgiæ modus est. Mirum etiam in modum à Galeno cõmendatur illa, quæ per lenticulatum excisorium scalprum fit, curandi ratio, si absq; terebratione post insculptionẽ caliculatis scalpris factam, adhibeatur. Tradit enim ad hunc modum: Vbi autem unam semel partem denudaueris, scalpellus inijciẽdus est, qui in cuspide lenticularem eminentiam retusam leuemq; habeat: aciem uerò per lõgitudinẽ erectã, atq; ita lata lenticulæ parte supra membranam defixa malleolo adigendus est, caluariaq; ita diuidenda. hoc quippe modo agentibus, quæcunque desideramus eueniẽt. nam et membrana etiam dormitante medico, uiolari non potest, cum sola lata lenticulæ parte attingatur. Quod si alicui oßi adhæreat, sine ulla molestia resoluitur rotunda lenticulæ extremitate, quã ueluti præuiã à tergo caluariam excidens scalper subsequitur. Proinde neq; tutiorẽ, neq; celeriorẽ perforandi modũ hoc inuenias. Sed quæ serris & modiolis instrumentis à recentiorib. perficitur, ceu noxia improbatur administratio: ad hæc, quam de fißione exposuimus, commendatur. idem uerò modus ossa excidendi, reliquis etiam caluariæ fracturis conueniet. Quantum uerò oßis excidendum sit, idem Galenus nos docebit, apertè ita perhibens: Quãtum uerò oßis

uitiati

uitiati excidere conueniet, deinceps explicabimus. Quod uehementer contritum est, id totum auferri debet: si uerò ab ipso rimæ quædam ulterius excurrant, quemadmodum accidere nonnunquam assolet, non erunt ad extremum usq; persequendæ: probè sciẽtes nullam, ex iis noxam euenturam, si reliqua ritè fuerint administrata. Secundùm manuum operam linteolo simplici, uulneri æquali, rosaceo imbuto mẽbranam cerebri operculabimus, exiguumq; supra id lanæ floccum rosaceo similiter irriguum imponemus, deinde duplex linamentum œnelæo aut ipso etiam rosaceo madens toti uulneri super accommodabimus, studiose obseruantes, ne cerebri membrana grauetur: postea latiore deligatura, neq; ea multum astricta, sed ut linamẽta modò retineat, utemur. Victus qui inflammationem sedat, & febrientibus peculiaris est, exhibetur, mẽbrana cerebri subinde interim rosaceo madefacta. A' tertio die, resolutis fasciis, sordibusq; spongia detersis, medicaminibus cruentis uulneribus dicatis, inflammationemq; repellentibus utendum est, membranæq; aliquod ex cephalicis nũcupatis aridis, quoad carne oppleatur, superaccommodandum. Os quoq; interdum radendũ est, si res id exigat, uel ob eminentes aliquas spinosas summitates, uel etiam propter celeriorẽ carnis productionẽ. Reliqua insuper remediorum materies, perinde atq; in uulnerib. explicitũ est, adhiberi debet.

De cerebri membranæ inflammatione. Cap. 91.

QVandoquidem autem sæpenumero pòst manuum & scalpelli operam cerebri membranam tanta perculit inflammatio, ut non modò caluariæ craßitudinem, sed cutem etiam ipsius cum renitentia quadam trãsgrediatur, & naturali ita eius pulsatili motu impedito, compulsio potißimũ, aliaq; grauia accidentia, uel ipsa etiam mors subsequitur. Experitur autem inflammatio uel ob oßis spinosam quandam eminentiam pungentem, uel ob linamentorũ grauitatem, uel propter perfrictionem, aut nimium cibi esum, uel uini potionem, aut alia

quapiam incerta occasione. Siquidem ex certa & euidēti occasione proueniat inflammatio, ea confestim amputāda est: sin ex abdita & incerta, maiore contentione incumbendum est, sanguinis uidelicet dimißione, si nihil præpediat, et uictu ad inflammationem congruo. Localia insuper remedia adhibenda sunt, calidi nempe rosacei fotus, & ex altheæ, aut fœnograeci, seminis lini, chamæmeli, & similium decocto. Cataplasmata etiam ex cruda polenta, aut semine lini cum præfato decocto, & adipe gallinaceo accommodanda sunt, fomentumq; ex lanis insuccatis, capiti, ad hæc & occipitio meatuique auditorio oleum aliquod inflammationem arcens instillabitur. Viscerum quoq; cataplasmatis admotis, totiusq; corporis habenda est ratio, aquæ calidæ balneis & unctionibus, ut par est, adhibitis. Si his inflammatio non sedatur, & nihil obstiterit, bilem educente medicamento purgare ipsos Hippocrates imperat.

De nigrefacta cerebri membrana.

Nigrefactæ porrò cerebri membranæ, siquidē in summo ex medicamento aliquo in id efficaci nigruerit, tribus mellis partibus cum rosaceo miscentes, & linamēta superadaptantes medebimur, & reliqua etiam consentanea exhibentes. At si nigrities sponte inducta sit, & altius, præcipuè cum alijs grauibus notis descendat, certè conclamatū est. insiti namq; caloris mortificationem insinuat. Notus autē mihi quispiam fuit, qui post annū quàm affectus esset, caluaria exterebrata euasit. Erat enim fractura in syncipite ex sagitta illata, quæ emissarium habebat, per quod cerebri membrana inoffensa conseruata est.

De naribus fractis & contusis. Cap. 92.

NArium inferior pars, cū cartilaginosa sit, non frangitur, sed contunditur, sima redditur, et distorquetur. Superior uerò, cum oßea sit, frāgi quandoq; solet. In his deligaturam respuit Hippocrates, ut quæ resimum efficiat & distorqueat:

ni

nisi in medijs naribus ex appulsu quippiam emineat. tūc enim competentem deligaturam cum medicamēto imposito admittit, eo quòd compressus ea parte nasus naturalem figuram recipiat. Collisis itaque inferiore parte naribus, indice aut minimo digito subiecto, extrinsecus in situm suum redigantur. Interiore specilli nucleo oliuari idem faciundum est, statim à primo die, uel non multo pòst. Quoniam decimum circa diem narium ossa indurescunt, forisq; indice ac pollice utrinq; conformare cōgruit. Vt autem formatio, quā instituis, figurā suam conseruet, duo intorti cuneoli ex molli panniculo naribus imponantur, unus singulis, etiāsi altera tantum naris pars distorta sit: atq; ij tam diuintus permittēdi, donec os aut cartilago corroboretur. Nōnulli tamen pinnas anserinas panniculo cinctas naribus insinuāt, ut figura custodiatur, & respiratio minimè impediatur: quod necessarium non est, cum spiritus per os trahi ualeat. At si nares inflammationē experiātur, emplastrum aliquod ex his quæ inflammationes arcēt, imponamus: uerbi gratia, quod ex succis constat, aut oxelæo, aut id genus quippiā. Vel cataplasmata ex triticea simila, cum manna, aut gummi decocta superaccommodemus, quibus inflammatio arcetur, & nares continentur. Si in alteram partem nares distortæ sunt, Hippocrates post congruam conformationem oblongam habenulam digitali latitudine circūdari præcipit, alterum habenæ extremum taurino glutino aut gummi illitum, summitati narium ex latere quo inclinant adglutinari: quod ubi exaruerit, habena ultra oppositam aurem occiput uersus & frontem ducta, demum sub altero habenæ capite affirmatur, ut retractæ in latera naris mediam figuram dirigantur, quod non admodum recentioribus arrisit. Si porrò narium ossa minutim fuerint confracta, diuisio uel ampliatio facienda est, fragmentis' que oßiculorum uulsella extractis suturis partes diductæ committentur, remediaq; conglutinantia cruentis dicata inijcientur. Si autem inter

nares hulcus excitatum fuerit, huic linamẽta in lõgitudinem implicita, medicamine delibuta medẽtur. Quidã etiam plumbeis canalibus quoad cicatrice obducta sanescat locus, uti consueuerunt, ne ex hulceribus caruncula aliqua superincrescat.

De inferiore maxilla confracta, & aure collisa. Cap. 93.

SVper auris contusione, tanquam huiusmodi affectio inter fracturarum numerum nõ sit, tertio uolumine traditũ est. Maxilla autem inferior pluribus de causis rumpitur. Si igitur extrinsecus solum oblæsa, non caulatim reuulsa fuerit sic, ut introrsum cauetur, eius expedita quidem est cognitio, sed alterius manu opus est. si quidẽ dextra maxilla fracta fuerit, dextra: si sinisterior, læua. Indice igitur, et medio digito in os affecti coniectis, interiorem fracturæ gibbum foras scitè cõpellere competit, altera manu extrinsecus id excipiente. Maxillam uerò in suam sedem restitutam, ex eiusdem dentiũ æqualitate conijcere oportet. Quod si in trãsuersum fracta maxilla fuerit, primùm quidẽ tensione, deinde retractione usus à famulo eam retro continente, quemadmodũ relatũ est, dirigito. Dentes qui in parte cõfracta diducti sunt mutuò, ut Hippocrates quidẽ tradit, auro, hoc est auro filato, seu aureo lino, chrysolino uel chrysonemate nuncupato, deligãdi sunt. Quandoquidem autem non cuiuis huius copia datur, lino aliquo ualido, uel bysso, & seta equina, aut id genus aliquo inuicẽ committantur. Quod si fractura cum hulcere contigerit, specillo explorandum, num qua oßis facta sit abruptio. Si quæ exigua sit plaga fragmentis oßis siue unum, siue plura remanserint, idoneo instrumento exemptis, suturis plagæ oras committemus, & medicamentum cruentis dicatum suprà deligandum est. Sin autem citra hulcus fractura constiterit, simplici tantummodo cerato maxillæ superaccommodato, conuenienti deligatione deuinciemus ad hunc modum. Fasciæ medio in occipite collocato, habenulæ utrinque ultra aures ad summum mentum dispensantur, inde iterum ad occiput: mox inde sub

mentum

mentum reuoluũtur, postea per genas ad sinciput, indeq; rursus infra occipitium distribuentur, ubi desinere deligationem oportet. Post quam alterum rursus uinculum fronti circumdatum, à posteriore capitis parte cõiungetur, ut omnes has prædictas deligationes cõstringat. Alij uerò leuem ferulã, quemadmodum alij alutam paris longitudinis maxillæ imponentes, ut dictum est, deligant. Alij eo deligationis genere, quod phorbiam Græci, capistrum latini nuncupant, utuntur. At si utræq; maxillæ in summo mento ea in parte qua inter se coeunt, confractæ fuerint, manibus ambabus paululum inuicem diductis, prorsus ita inter se coaptentur, & dẽtes, ut diximus, aduniti deligentur, conuenientiq; deligatione adhibita, tenuibus cibis ac sorbitionibus ægrotantem uti præcipito, quoniam manducatio ipsi perniciosa est. Si quid loco suo motum esse uidebitur, tertio die resolues, ac iterum deligabis: atq; ita tamdiu facies, quoad callus concrescat. Maxilla uerò quoniam laxa ac medullosa existit, intra treis potißimum septimanas callo glutinatur. Quod si inflammatio aliqua accesserit, nihil neque ex fomentis, neque ex cataplasmatis aduersus hanc idoneis prætermittendum est. Id quod in omnibus ex æquo obseruandum esse ducito.

De fracta clauicula. Cap. 94.

Clauicula quæ iugulũ dicitur, naturali situ, interiore suo capite pectori cõmittitur, exteriore humeri articulamento innectitur: eoq; si humerum uel etiam ipsum brachium sustineat, si fracturam qualibet in parte experiatur, qua humerum suum spectat, magna parte infra interius extremum, à brachio tractũ, inclinatur. Satius autem est, caulatim potius quàm scandulatim, seu harũdinatim clauiculam frangi, plurimorum opinione. Nam quod transuersim fractum est, facilè extensione & digitorum compreßione in naturalem sedem reuertitur, reliqua semper quid eminentiæ habẽt, quod ægrè coaptari potest. Si igitur per totam craßitudinem quocunq;

modo fracta sit, duo famuli, alter ad humerũ, qui fractæ cl
uiculæ adiacet, utrisq; manibus apprehensum, in exteriore
simul & superiorem partem attrahat: alter oppositum hum
rum, uel certè collum reducat, ut extensionem moliatur: tu
medicus suis digitis fracturam cõponat, prominentiora pr
pellendo, ima foras attrahẽdo. Quod si maiori opus retracti
ne fuerit, orbiculo prægrandi ex panniculo aut lana præpa
rato, uel eiusmodi aliquam turgidam molem aliȷ subijciẽs, c
bitus aduerso lateri adigendus, reliquaq; ueluti relatum est
exequẽda. Si id fieri non poßit, extremum iuguli iuxta hum
rum in imo situm ad summum, resupinato homine educemu
dorso eius mediocri quodam puluillo subiecto, utrosque hum
ros deorsum ministro deprimente, quo in alto existens iugu
os sursum reuocetur: deinde digitis conformanda fractur
est. Si partem iuguli aliquam abruptam, loco suo dimota
ac pungentem percipiamus, scalpello contrà incidi debe
fragmenta que inde eximenda sunt, reliqua scalpris, siu
membranæ custode lamina, aut alio scalpro quo firmari
ctus queat, oßi subiecto, complananda sunt. Si inflammati
defuerit, suturis: sin minus, linamentis utendum est. Et spl
niȷs diuersimode præparatis, maiora ex eis & craßiora a
prominentis oßis inclinationem superaccommodabuntur. S
inflammatio urgeat, oleo madentia: sin aliter, sicca. Tu
conueniente ex lana globo confecto propter alam subdito
congrua deligatio facienda est, fascia per axillas, affectu
iugulum, scapulasq; commodè circumducta. Si quidem par
clauiculæ humero proxima, ad inferiora tetenderit, latior
habenula media ex parte cubiti gibbero subiecta, totum br
chium ex ceruice suspendendum est. Altero uinculi dimidio
manu etiam suspensa, quemadmodum in his fieri consueuit
quibus sanguis à summa cubito detrahitur. Si superius tetẽd
rit, quod rarum est, omissa brachiȷ suspensione, æger supinu
collocandus est, tenuí que uictu nutriendus. Aliquando etia
si opu

si opus est, asperginibus adiuuabitur, sed cum modo, usq; dum callum contrahat: uiginti nanq; diebus ad summum clauicula ferruminatur.

De scapula. Cap. 95.

Scapulæ lata pars, qua mensæ figuram sortita est, minimè frangitur. Iuxta spinam uerò fracturam interdum admittit, nunc expressa, nunc simpliciter rupta, aliàs etiã abrupta. Expreßionem igitur tactu prehendimus, cum sinus ea in parte occurrat, torporem uicino brachio & pũgentem dolorem inducit. Ruptio, ex loci asperitate si attrectetur, ex dolore cognoscitur. Vtrisq; autem curatione inflammationibus dicata subueniendũ est: abruptio etiam ipsa tactu deprehenditur. Osse enim immoto suo loco quiescente, conueniẽti fascia per se committitur: commoto autem eo, & carnem pũgente, per sectionem extrahitur: & sutura, ut dictum est prius, adhibetur. Vincula autem, hic etiam sicut in iugulo, iniijcienda sunt, decubitus uerò in oppositum latus congruit.

De pectore. Cap. 96.

Media pectoris pars diuiditur & exprimitur, summumque ipsius etiam refringitur. Ruptionẽ igitur distortam, dolor loci, inæqualitas & strepitus ad digitorum innixum, comitatur. Expreßionem uerò arguunt, dolor uehemens, spirandi difficultas, tußis, membrana succingente dispuncta, interdum etiam sanguinis eductio, fracti oßis cauitas & conuexitas. Hic quoque curationem eandem, quam in scapula fracta tradidimus, adhibere conuenit. In expreßione tamen modus reponendi iuguli, quod foras proceßerit, in interiorem partem, ab Hippocrate proditus, adhibendus est: per decubitum resupinatum, dorsoq; ceruicali subiecto, scapulisq; depressis, ita, ut costæ manibus utrinque compressæ simul cogantur. Iam uerò lana lateribus obtectis deligationem orbicularem adhibeto, subditis prius in rectum binis habenulis, quarum postea capita inuicem ad humeros fascijs excipiuntur,

tur, quæ ne circularis illa fasciatio delabi poßit, probibeant.

De costis. Cap. 97.

EX costis quæ spathæ etiam nuncupātur, osseæ quidem undiquaq; fracturam sustinent. Nothæ uerò in ea solum quæ spinæ adiacet parte, quod ibi osseæ tantum: in exteriore parte qua in cartilaginem degenerant, colliduntur, nullam uerò rupturam experiuntur. Notio ipsarum admodum expedita est. inæqualitas etenim loci, strepitusq;, & ad partem fractam peruersio, digitis explorantibus succurrit. Quod si interius declinauerint, dolor acris pungitiuus urget, grauior sanè, quàm qui in costis sentitur. quoniam hic aculei modò subcingens membrana conuulneratur, difficilisq; spiratio, tußis, sæpe eruptio etiam sanguinis comitatur. Reliquas igitur omnes costarum declinationes digitis componere licet, præter eam quæ interius spectauerit, cū nulla intendi detur facultas. Vnde uberioribus & flatulentis cibis quidam utendum præcipiunt, quo ex uentris inflatione ac tensione fractura foras propellatur, quod necessarium non est. Nihil enim commune est, quantum ad hoc attinet, thoraci cum uisceribus nutricatorijs: ut taceam interim, quod inflatio ex repletione augetur. Sunt qui cucurbitulam applicant: quod à ratione alienū non esset, nisi corpora ex contractione humorū collecta, fractum os interius magis propellerent. Quocirca Soranus sic tradit: lanis oleo calido imbutis partes operiantur, deinde intercostale linteolis implicitis impleatur, ut plana per orbicularem circumductum ueluti in pectore fiat fasciatio. Cuncta autem perinde atq; in lateris dolore, pro amplitudinis ratione fieri debent. Quod si neceßitas aliqua compellat, ex nimia membranæ costas succingentis punctura, diuidenda eo in loco cutis est, fractaq; costæ pars detegenda: deinde subiecta custode tunicæ, ne ea feriatur, costam accuratè excindere, pungētiaq; fragmenta educere expedit. Post hæc, si inflammatio desit, coniungere, & cruentorū modo curare competit. Si inflam-

matio

matio adsit, linamentis oleo madentibus conteges, alimenta & medicamenta quæ inflammationem arcent, exhibebis. Decumbant ægri modo quem leuius perferunt.

De coxendicibus, pubis ossibus. Cap. 98.

COxarum aut ilium ossa rarius quidem rumpuntur, sed easdem quas scapulæ fracturarum differentias subeunt. franguntur enim iuxta fines, & per longitudinem abrũpuntur, & in medio finduntur, seu exprimũtur. comites ipsorum sunt, dolor loci, punctionis pulsusq; sensus cruris repentinus, facta expreßione stupor, adaptationem eãdem cum scapulis requirunt, præterquàm quod in abruptionem, incisionem, fragmentorumq; exemptionem ob exteriorum corporum periculũ auersantur, ut quæ si opus sit, digitis coaptari poßit. Deinceps autem etiam aliam curationem moliri consentaneum est, asperginibus utendo, & illorum cauitates linamentis duplicibus replendo, quo fasciatio orbiculariter æquabilis efficiatur. Eadem de pubis oßibus dicenda sunt, cum nihil peculiare habeant quod memoretur.

De uertebris, spina dorsi & osse sacro. Cap. 99.

VErtebrarum noduli contusionem aliquando, raro fracturam sustinent. Spinalis medullæ igitur membranulis compreßis, uel ipsa etiam medulla, nerui per consensum afficiuntur, & pernix obitus subsequitur, præcipuè si iuxta ceruicis uertebras acciderit fractio. quare medici officium est, periculum prædicere. siquidem fieri potest, audere etiam: factaq; sectione oßiculũ, quod comprimebat, auferre: sin minus, aliqua saltem ratione qua arcetur inflammatio, malum lenire. At si aliquis uertebrarũ processus, unde extuberatio ea quæ spina propriè nuncupatur, constat, abruptus fuerit, quod digitis tentantibus intelligetur, oßis fragmento promptius huc illuc sublabante, motu ac transpositu. Oportet autẽ hoc quod fractũ est, incisa foris cute eximere, suturisq; adhibitis, præsidio uulneribus dicato adesse. Si uerò os sacrum fracturam expe-

riatur, indice sinistræ manus digito in anum demisso, dextera manu fractura, quatenus licet in naturalem figuram componenda est. Si quid abruptum sentiatur, hoc quoque similiter per sectionem diuisum auferendum est: apposita fasciatio, curatioq; adhibenda est.

De brachio. Cap. 100.

IN brachio fracto Hippocrates quidem intentionem ita molitus est. Oportet, inquit, lignum prælongum columellæ instar, summis capitibus fune exceptum de trabe aliqua transuersum suspendere: deinde collocato in alto aliquo sedili laborante erectius, uel ea saltē figura, quæ recta ceruice dormiendi occasionem præbet, quam orthocatheuton dicunt, manum ipsius unà cum brachio supra id lignum traducere, quoad medium ligni alæ eius per transuersum inseratur: manuum autem cubito ad rectum angulum inflexo, famulum procumbens sustineat: deinde pondere aliquo graui, uerbi causa, lapide, uel plumbo, uel istiusmodi aliquo, ex cubito suspenso, ita, ut sublime depēdeat, sic fracturam conformare conandum est: uel famulus in pōderis uicem brachium deorsum trahat. quidam etiam loco columellæ scalarum gradu usi sunt. Soranus uerò ita scribit: homine in sedili collocato, uel, quod præstat, resupinato, ne molestia afficiatur aliqua, manuq; ipsius iuxta articulum quo cum brachio connectitur, fune deligata, & ex ceruice suspensa, ita ut angulosa figura seruetur, famulis duobus præcipimus, huic ut supra fracturam, illi infra, manibus correptum brachium in diuersa contendant. Quod si ualētiore opus sit extensione, duos æquales funes, unum supra, alterum infra fracturā brachio circumligabimus: eos' que famulis alteri ad caput, alteri ad pedes ægrotantis consistenti præbentes, in diuersa distendere iubebimus. Quod si summus humerus fractionem patiatur, mediam habenam, quæ ciria uocatur, alæ subiectam minister à capite stans contineat, alter in oppositum trahat: atque ita, quemadmodum prædictum est,

extensionem in diuersa, quam antitosin dicunt, perficiemus. Quemadmodum si gibberus cubiti fracturam senserit, tum ipsi uel brachiali, quem carpum uocant, funis inijciendus est. Oßibus iam propè compositis, distentio remittetur, sed iuxta legem Hippocraticam deligabitur. Si fractura inflammatione caret, & recens sit, nudis fascijs oblongis utendum est, trium aut quatuor digitorum latitudine, aqua aut posca irriguis. Si inflammatio urget, lanis tenuibus & mollibus oleo madefactis. Et si quidem in medio brachio fuerit læsio, prior fasciatio supra fracturam inijcietur: ubi bis aut ter ligaueris, fascia sursum uersum uoluta, ut (quemadmodum tradit) sanguinis influxiones excipiantur ac desinant. Secunda porrò fasciatio adhibenda est, quæ similiter supra fracturam orsa, per omnia eodem modo ut prior fiat, præterquam quod supernè deorsum tendere, atque iterum sursum debet, inibíque terminari: utraque tamen constrictio moderata, & ad nostrum sensum, & ad ægri iudicium esto. At si iuxta summum humerum fractio contigerit, priori fascia cùm ipse humerus, tum scapulæ & pectus comprehendantur, ut deligatura gruuaria appellata fiat. Secunda ad cubitum usq; ducta, atq; inde item ad supraposita reducta, tam humero, quàm scapulis & pectori, primæ fasciolæ similiter inijcienda est. Quod si cubitus fracturã acceperit, idem erit, ita ut anguli figura conseruetur, deligandus. Pari etiam in alijs quoque artubus modò, cubitis inquam, femoribus & tibijs. nam cum fractura in parte uel iuxta etiam articulos, & non in medio membri deuenit, post articulum fasciatur. Recentiores igitur à fasciatione statim ferulas superinijciũt, ita ut figura aptationis contineatur, astringuntq; ipsas cùm ad sensum, tum ad inflammationis tumorem. Prisci uerò post diem septimum ferulas accommodarunt: intra enim hoc spacium inflammatione remittente, membrum tenuius efficitur. Quinetiam Hippocrates tertio quoque die ligamenta re-

ta resolui præcipit, ne si præter solitũ diutius opertæ sinantur particulæ, intendantur, uel dimoueãtur: uel eius quod iam infixum fracturæ sit, difflatio prohibeatur. Vnde non noxia solum prurigo quibusdam obuenit, sed saniei etiam acrimonia erosa, interdum in cute ulcus concitatur. Quocirca locus tantum aqua temperata foueri debet, quantum ad saniem discutiendam abunde uidetur. A septimo uerò die ex maiore interuallo resoluendum, tanquam particulæ saniem amplius excernere non gestiant, quin & in callum obduratio hoc pacto melius prouenit. Ferulæ autem ad hunc modum inijciendæ sunt: panniculos triplices oleo madẽtes fascijs circumdamus: siquidem membrum craßitudine fuerit æquale, æqualiter: si inæquale, ita, ut cauis partibus magis panniculis repletis, membrum æquale undiq; ad suscipiendas ferulas reddatur. Deinde lana aut stuppa ferulas mediocriter inuolutas fracturæ orbiculariter circumdamus, nõ minori quàm unius digiti spacio inter se distantes, leniterq; astringemus: cura diligenter, quatenus fieri potest, adhibita, ne articulus aliquis, præsertim iuxta interiorem flexus partem, attingatur. hulcera enim in ipsis nonnunquam & neruorum inflammationes, procreant. Sed laxiores illic esse conuenit, quemadmodum & ualentiores in quam partem fractura inclinat. Satius autem fuerit, ad thoracem brachium leniter deligare, ne motum de figura recedat: si quando inflammatio urget (quæ ex ambiente tumore ac rubore, tũ ex eo quod membrũ nunc multo magis quàm prius coarctatur, colligitur) uel si confractum membrum distortum sit, & nihil horum cõpareat, sed fasciatio tantũ laxior, uel econtrario strictior, quàm debeat, inueniatur, resolutis his deligatio instauranda est. Supinus itaq; laborans reclinandus est, manu supra stomachum posita, molli aluta brachio subiecta, ut infusiones excipiat. Inspergatur autem quotidie oleum calidum, præsertim si infestat inflammatio. quo etiam tempore cibus tenuis exhibendus,

postea

ostea plenior, ad calli generationem. Quiescendumq́;, donec nembrum confractum, callum obduxerit. occallescit autem am brachium, quàm tibia, intra quadraginta dies. Post quos esoluendum est, & lauacro utendum, emplastrisq́; ad fractu is accommodatis, reliqua curatio prosequenda. Hæc utique dministrationis ratio omnibus alijs fermè cōfractis artubus ptimè congruit.

De cubito & radio. Cap. 101.

Vbitus & radius nunc quidem uterq; simul, nunc alter so lummodo frangitur, idq́; uel in medio, uel in parte qua fle um spectat brachij, uel iuxta brachiale. Omniū potissimum t, cum simul franguntur. Post hoc, si cubitus solus. Curatio em facilius omnium admittit fractus radius. nam quamuis aior cubito sit, habet tamen ipsum suppositum, in quo uelu subsideat. At si alter ipsorum duntaxat comminutus fuerit, in parte ualentiorem intensionem moliemur. Si uterq;, æ- ali modo intendemus, inflexa manu ad angulum rectum, ut pollex omnium digitorum altissimus, minimus contrà gitus omniū infimus habeatur: sic enim cubitus quoq; radio bijcietur. Quod si potentiore intentione opus sit, utrisq; præ tim ossibus fractis, non manibus tantum, sed habenis etiam tendere, ut de brachio relatum est, adgrediemur. Cæterum nis deligatio, & reliqua præsidia uera, cum ferularum iectione, usque dum ossa callus obfirmarit, adhiberi de- nt. Firmantur autem cubiti ossa maxima ex parte triginta rum spacio. Restauratioq; & collocatio eadem erit cum quam brachium confractum uendicat, exceptis ijs quæ subijciuntur.

De summa manu, ipsiusq; digitis. Cap. 102.

Almæ & aduersæ eius partis, digitorumq́; internodiorum ossa, quum rara fistulosaq́; natura sint, collisionem quidem plurimum, fractionem uerò rarenter experiuntur. Labo- nte igitur in altiore sedili collocato, in aduersa quapiam al

tera

tera sede æquali sedens, imperatoris munere, priusquam ma num disponat, fungere: particulisq; confractis per famulum extentis duobus digitis, pollice nimirum & indice, pertractare prius ipsas atq; conformare, mox fasciationem adhibere eo potißimum tempore quo urget inflãmatio. Nam propter raritatem facilè in ipsis nimius callus superincrescit. Si internodium aut digitus simpliciter fracturam senserit, siquidem magnum, & qui pollex nuncupatur, fuerit, pòst conuenientem deligaturam ad imam uolam, ut quiescat, scitè deuinciendus est. Si uerò quispiam ex alijs, siue index siue paruus, cum uicino deligabitur: sin quispiam ex medijs, cum ijs qui utrinque existunt: uel etiam omnes deinceps, unà deuinciẽdi sunt: melius enim ita conquiescunt, non secus quàm si ferulis fractionem experti fuissent colligati.

De femore. Cap. 103.

EA nunc de femore, quæ de brachio superius, dicẽda sunt: propriè autem magis femur fractum in anteriorem exterioremq; partem inclinatur, in quas naturaliter partes dilatatur, propendet: reponitur autem manibus uinculis & antemnis æqualiter intentis, altera supra fracturam, altera infra constitutis. Si altrinsecus fractura obuenerit, idq; ad caput femoris dimidium habenæ lana inuolutum, ne corpus incidat, sub interfœminio disponitur, initiáque eius ad caput reducta, ministro ut partem contineat, porriguntur. Deinde infra ipsam fracturam laqueo circumposito, initia alteri famulo ad intentionem traduntur. Si ad genu fractio contigerit, laqueum sanè simili modo ad intendendum supra fracturam inijcimus, geniculum uerò ipsum quodam fune innexo continendum est. Atque ægro ita decumbente, cruréque extento, partem componimus & restituimus: è medio semper, eo quod aculeis quasi quibusdam ossa pũgit, ut sæpius dictum est, sublato. Reliquam curationẽ in capite de brachio explicauimus. Cæterum femur quinquaginta circà diebus

occallescit

occalescit: quo autem pacto instaurari debeat, post absolutam totius cruris disciplinam traditum est.

De genuum patella. Cap. 104.

PAtella os rarum est, & laxum, carne ac neruis superiore, & ima parte acriter comprehensum: contusionem sæpius quidem, fractionem uerò rarius experitur. Sustinet autem ruptionem per craßitudinem, & minutim finditur, nunc cum uulnere, nunc citra uulnus. Euidẽs autem indicium (motio enim sublabitur) continuitatis, cùm cauitas, tum crepitus. Reficitur uerò pars cruris extensa, si in duas partes dißiluerit, digitis coniungitur, quoad fracti oßis oræ supra sese contingant, & inuicem committantur. Quæ in minuta fragmenta rupta est, manu fingitur. Callo etenim non generato, propterea quod utraq; pars à femore & tibia super musculos & neruos connexos, non retrahatur. Longè tamen à naturali distantia cõtrahetur, functionisq; difficultatem affectis inducet. neq; enim si diutius quis fatigetur, sustinere genu potest: & in deambulando impediuntur, præsertim quum ascendendũ est. nam dum in planicie incedunt ac mouẽtur, functionis difficultas facilè latet. Dum ascendunt autem, eo quod genu in sublatione & depositione non flectatur, arguitur. At si hic etiam oßiculum aliquod pungens eleuatum infestet, extrahendum est: cæteraq; curatio deinceps adhibenda est.

De tibia. Cap. 105.

TIbiæ cum cubito consona planè ratio est, curatioq; respondens. siquidẽ hæc quoq; duob. oßibus constat, altero craßiore & cognomini: altero tenuiore, quod sura nuncupatur, similitudine, perone à Græcis. Eadem fracturarum discrimina recipit. in omnes enim partes inclinatur: cum utraque infracta fuerint ossa, in treis: cum alterum os fracturam accipit, intra & extra, tibia quidem retro, sura anterius. Quo... ca tibia etiam ipsa eodem modo quo cubitus, manibus uel ...ucis superioribus, quàm fracturæ sunt, iniectis ipsi tibiæ

modò,

modò, modò femori circundatis. Nam cum genu ualẽtius si articulus per tensionem integer permanet: similiter & in h bena inferiore quàm fractura, ueluti de cubito cõprehensu est. Cætera eodem modo ut in brachio docuimus, agẽda sun

De pede summo. Cap. 106.

TAlus fracturam nullo modo experitur, propterea quo undiquaque à tibia & sura, et osse quadrato calcis cyb ides appellata, muniatur. Scaphoides uerò à scaphæ figur appellatum os, latinè nauiculare, & plantæ ossa, digitoru item pedis, ipsumq; quadratum etiam similiter ijs quæ in pri ma parte palmæ, & ipsa palma, opposita' ue eius parte, ma nusq; digitis continentur, frangi consueuerunt. Quamobren ne eadem cogamus identidem repetere, illinc, quæ diximus huc transferenda sunt.

De instauratione cruris. Cap. 107.

FEmori fracto, aut tibiæ instaurãdæ nõ minor cura, quàn reliquis omnibus adhiberi debet. Siquidem fractarum pa tium probè facta repositio, æqualitatem potissimum conser uat. Idcirco nonnulli in canalem, alij quidem ligneum, ali uerò testaceum, membrum confractum, uel totum etiam cru deposuerunt. Alij uerò sola ea quæ cum uulnere fracta exi stunt, propterea quod nequeant, ut ipsi dicunt, ferulis con stringi. Vsum uerò canaliũ posteriores in totum respuerunt, pluribus sanè de causis: in primis uerò, quod duritie sua, atte rendo partibus offensis negotium facessèrent. Neq; enim inde corum usq; adeò est, artus cum uulnere fractos ferulis cinge re, ceu ostendemus postea. Resupinato igitur laborante, crur eius, & præsertim qua parte fractura exisiit, stragulum ali quod crassum subijcitur, crus in longum referens, quod utro bique colligi & conuolui ita debet, ut canali in medio conca uitatem perquam similem efficiat: deinde aluta super ipsam molliuscula ad liquores qui inspergentur excipiendos expli cabitur, crus postea in longum cõcauitati huic canali respon dent

denti accommodabitur, à lateribus utrinque alijs uestimentis uel lana iniectis, ne membrum in alterutram partem declinet. Post hæc pedis uestigium, tabellam panniculo circundatam, quo mollior sit, erectam assumet, & maioris securitatis ergo, duorũ aut trium uinculorũ medijs partibus stragulo canalem referenti inuolutis, crus ipsum refractum leuiter deuinciemus. Si autem ægrotus impatiens conetur totum pedem contrahere, oportet ipsum in superiore parte pedis fasciola media blandè ad tabellam deligare, ne inuitus inter dormiendum, ut solet, pedem contrahat. Non desunt, qui lecti etiam culcitram medio pertundunt, ut prorsus immobiles sint, & per id foramen, quousq; fractura occallescat, lotiũ & oletulũ reddatur.

De fracturis, quæ cum uulnere accidunt. Cap. 108.

FRactura cum uulnere illata, siquidem sanguinis profluuiũ sit, hoc prius coercendum est: si inflãmatio, auxilijs ei muneri dicatis occurrendum est. Si carnes cõtusæ, pars eadem quo gangrenæ periculum auferatur, scarificanda est: sin ea quoque accesserit, uel aliqua alia serpens putredo, conuenientibus similiter remedijs succurrendum est. Habes autem horum singulorum medicationem uolumine quarto à nobis traditam. At si nihil horum adsit, neq; magna oßis pars denudata sit, hamulis & suturis adhibitis præsidijs, medicaminibus quæ cruentis uulneribus accommodantur, medebimur: ita, ut oßium fragmenta quæ uel pungunt, uel ut solet, innatent, extrahantur. Si uerò amplum aliquod os emineat, in extansione propter amplitudinem non commissum, huic prospiciendum est. Hippocrates nanq; femore & brachio fracturam expertis, ossa eminentia uniuersum eijcere prohibet, periculum inflammationis ex intensione, uel conuulsionis musculorum neruorumq;, ut uerisimile est, prædicens. Tempus tamen administrationem nonnunquam haud inutilem reperit. Quodcunque igitur os elapsum tractare aggredimur, unicè cauendum ne id inflammationis tempore moliamur, sed primo statim die

priusquam inflammatio ingruat, uel nono, finita iam inflammatione. Restauramus autem ipsa uecticulo, quod mochliscon Græci appellant (est uerò id instrumentum ferreum, septem, octo'ue digitorum longitudine, mediocriter crassum, ne in impulsione flectatur, in summo acutum & latum, leuiterq; incuruum) huius acuta extremitate sub ossis eminentiam subiecta in aduersum impellimus, & mediocri membri diuulsione facta, capita fracturæ inuicem committimus, si hoc quidem facere integrum sit, scalpris excisorijs, obuersis, quicquid eminet auferemus, uel serra excindemus, ueluti superius capite de fistulis explicauimus: ossiumq; scabritie postea læuigata, & membro directo, linteolis conceptis medendi rationem persequemur. Summa autem coniunctis & biiugis nuncupatis partibus diligentia adhibenda est, ut in ipsis osse particulatim desecto, membrum incontractum persistat. ubi exquisita etiam opus erit intensione. Deligatura uerò sic est facienda: Orbiculares fasciarum inuolutiones ab utraque hulceris parte inijci debent, obliquæ uerò supra hulceris longitudinem, ut per decussationem ex omnibus hiatui nullus locus pateat. Quod si hulcus etiã dum sordidum appareat, quæ expurgandi uim habent: si purum, quæ carnem producunt linamentis illita, aliaq; ex usu probata materia adhibeatur. Hippocrates uerò pissera emplastro per linamenta utitur, quod tetrapharmacum basilicum esse ferunt. Carne autem inducta & instaurata, ferulæ inijciendæ sunt: quanquã nonnulli per initia etiam ipsas, hulceris loco euitato, accommodant, & pro necessitate urgente, ipsas nunc constringunt, nunc rursum relaxant: in quibus autem squamula ex osse soluta repletura est, inde colligemus, quod copiosior, tenuiorq; humor excernitur, caro uerò circa hulcus laxa, mollisq; & uacua effecta, intumescit: quo in casu deligatura ad curationẽ laxiore utemur. hamulo aũt uel tali quopiã instrumẽto squamã eijcientes, rursum potentiore deligatura utẽdum. Per uni

uersum

uersum porrò exbulcerationis tēpus, motophylax, quod est linteoli custos, ex medicamēto aliquo quod inflammationem cōpescit, uulneri est superaccommodandum, deligatioq; simplex adhibenda, quæ singulis subinde curationib. resoluatur, prædictis alijs permanentibus, ut de brachio explicatum est.

De immodici fracturarum calli superexcrescentia. Cap. 109.

FRacturarum calli superexcrescentiæ indecoram prorsus speciem inuehunt, quandoq; functionis etiam impedimentum, si iuxta articulum coaluerint. Quapropter si recens adhuc callus fuerit, præsidijs plurimum astringentibus oppugnemus, compressa fascinatione fingemus: lamina quandoq; plumbea superaccommodata, id quod res poscit, efficimus. Quod si lapidosus ac solidus fuerit callus, diuisa inibi cute de radendus est: id quod eminet, scalpris, et terebris etiam, si res exigat, adhibitis, excidendum.

De distortorum membrorum concretione calli. Cap. 110.

SI in distortione callus coierit, functionis impedimēto haud leui comitante, maximè si in pedibus contigerit, ossium in suam sedem restituendorū modus, quoniam extrema adfert pericula, admittendus non est. At si callus etiamdū tenellus, ac recens radices non egerit, laxantes adspergines, cataplasmataq; ex ficis pinguibus & fimo columbino, aliaq; callum discutientia, porolitica appellata, adhibenda sunt remedia, per manus ad hæc frictione & confractione hic dissoluetur. Si uerò lapideus euaserit, summa cute scalpello incisa, ossis consortium scalpris dissoluemus: deinde fracturam, ueluti superius expositum est, curabimus.

De fracturis quæ non occallescunt. Cap. 111.

FRacturæ quædam sine callo perseuerāt, ultra definitū naturæ limitē, uel ob aßiduas resolutiones, uel ob immoderas fomētationes, uel ob motum importunum, uel fasciarum multitudinem, uel quod totum corpus alimentū non sentit: quo casu membrū gracilius fieri contingit. Conuenit itaq; cum

alias occasiones, tum præcipuè famem hanc tabificam certatim abscindere. Quod partim calidioribus alimentis materiam membro distribuentes, partim cibum largiorem, balnea item, & reliquam animi hilaritatem subministrantes, efficimus. Cæterum eorum qui iam callo firmantur, indicio sunt, cùm alia quidem, tum præcipuè, quod fasciolæ, quamuis uulnere nõ oborto, cruentæ appareãt: id quod fortasse hinc accidit, quod calli substãtia, cum coalescit, in oßium fistulas, hoc est cauernosos meatus inspersas sanguinis stillas extundit.

De luxatis. Cap. 112.

QVoniam luxationes fracturas comitantur, sermonem super ijs texere adgrediemur. Est itaque luxatio, ut in uniuersum dicam, articuli è proprio sinu in alienos exitus, quo motio arbitraria præpeditur. Huius differentias alias dicere non habemus, nisi quatenus secundùm maius uel minus accidit. Quum enim ex toto articulus exciderit, communi generis appellatione luxatio: quum autem aliquatenus modò è sede sua dimotus fuerit, uel usq; ad superciliorum cauitatem superficiem'ue prolapsus, subluxatio dicitur.

De inferiore maxilla. Cap. 113.

RVrsus igitur à superioribus auspicantes, de inferiore maxilla uerba faciemus. Nam superior, cum sit immobilis, luxationem non experitur. Inferior autem, etsi toto sinu non dimoueatur, eo quod capita superiori maxillæ firmiter cardinis instar insinuata habet, subinde tamen subiaxatur, quod musculi per ipsam continenter aßidua mandendi & loquendi exercitatione in mollitiem elanguescentes, qualibet de causa facilè relaxantur. Schatæ enim, hoc est deprimitur, apud Hippocratem idem sonat quod chalatæ, hoc est relaxatur: in quibus citra ullam difficultatem articulus sponte in propriam sedem reuertitur. Cæterum de perfecta maxillæ luxatione satis erit illius uerba apposuisse, compendiosa sine ullo defectu, et perspicua. Ad hunc enim modum inquit: Maxilla

xilla rarenter quidem excidit, sæpius uerò numero oris hiatibus laxatur, id quod aliæ etiã plures musculorum & neruorum mutationes aut declinationes efficiunt. Perspicuum igitur his potissimum notis fit, quandocunq; exciderit: prominet enim inferior maxilla in anteriora, & in contraria lapsus promota cernitur, ossisq; processus iuxta superiorem maxillam tumidior conspicitur, affectiq; maxillas ægrè committunt. Talem autem repositionem ipsis congruere liquet. Debet enim quispiam caput continere, alius inferiorem maxillam hiante homine quàm moderatè potest, ad mentum ab interiore & exteriore parte, digitis apprehensam, primùm quidem agitare, interposito uerò tempore propellere, ægrotantiq; iubere, ut laxam maxillam teneat, simulq; ipse propellat & obsequatur. Summa adhibita cura, ut præcipuè tribus figuris simul extemplò moueatur & laxetur. Nam ex inuersione in naturalem situm reducenda, & simul in posteriora propellenda inferior maxilla est: idq; adeò moderatè, quo utræq; simul cõmittantur, et nõ hiẽt. repositio igitur hæc est, quæ in aliis etiam figuris fieri non potuerit. Medicina uerò pauca postmodum sufficiet, splenium ceratum impositum, laxiore deligatura adhibere: tutius autẽ est, hominẽ supinũ reclinare, caputq; eius coriaceis puluinis subiectis quàm infarcissimis, ut minimè cedat, subfulcire. Est autem quod uulnera ... quispiam caput contineat. Quod si utraq; luxata fuerit maxilla, curatio est eadem. Cõcludere autem os minus istiusmodi possunt, prominentiores quippe ipsis sunt. rectitudinem autem ex dentium superiorum & inferiorum terminis præcipuè deprehendes, quos in ordinẽ suum quàcelerrimè confert restituere. Restituẽdi autem modus expositus est, nisi aliquod uitæ periculũ ex febrib. continentibus. & torpido sopore inciderit. soporem enim ii, quum præter naturam alterantur, uel intendũtur, inducũt musculi. Aluus solet biliosa, uel mera exiqua, deiicere. meri itidem, si euomunt, uomitus existunt: atq;

ij sanè pariunt. Et nos quoq; hoc potißimũ insertionis mo subinde usi fuimus, maxillã luxatam spongia prius ex hyd læo calido fouentes, præsertim si dura ad introitũ cõtum ter cedat: tunc humi collocato ægrotãte, à tergo nos cõsist tes, eo qui ab Hippocrate traditus est modo, opus exequimu

De iugulo & summo humero. Cap. 114.

CLauicula interiore quidem parte nunquam excidit. pe ctori nanque ita inhæret, ut ne moueri quidem in ipso po sit. at si ex uiolento quopiam extrinsecus ictu facto auelle tur, fracturarum modo restitui debet. Sed neque altero fin quo humero inseritur, admodũ excidit, à bicipite musculo, & summo humero probibita: imò neq; uiolenta aliqua motion clauicula per se agitatur, dilatandi thoracis gratia. qua re s lus homo inter animalia clauiculam sortitus est: quæ si in l cta, ut par est, subluxetur, manuum conformatione, & sple niorum multiplicium applicatione unà cum decentibus deli gaturis dirigi debet. Eadem curatione summus humerus sub luxatus, in proprium locum restituitur. Est autẽ cartilagino sum quoddam oßiculum, quod clauiculã scapulæ colligat, in exiccatis et cadauerosis corporibus latens: quod si loco dimo ueatur, capitis brachij luxati imperitis imaginẽ præbet. nam in hoc summus humerus acutior apparet, et sinus unde exci dit. Sed signis quæ deinceps subiũgã, ipsa discernere cõuenit.

De humero luxato. Cap. 115.

BRachij caput scapularum cauitati insinuatum, subinde quidem prolabitur, sed neque in superiorem partem, ob an chorarium, hoc est anchoræ similem scapulæ processum: ne que in posteriorem, propter ipsam scapulam: neque etiam an terius, ob bicipitis musculi tendonem, et summum humerum. Introrsum uerò & extrorsum rarenter excidit: frequenter uerò, & præsertim gracilentioribus, non multa carne præ ditis, ad imas partes, quibus sanè procliuiter prolabitur. & iterum restituitur: plurima autem carne præditis, è contra-

rio,

rio, rarius quidem luxatur, sed ægrius in sedem propriam rursum inseritur. Nonnullis igitur ex ictu ualida inflammatione oborta, humero minimè luxato, luxationis tamen suspicio oritur. Quib. in inferiorem partem humerus luxatus est, his notis deprehendes: humerus offensus, si cum sano comparetur, multum diuersus apparet. Exterior enim pars eius unde elapsus est, subsidit, & concaua apparet, summusq; humerus, ceu de eo subluxato diximus, acutior quàm naturaliter esse debeat, cernitur, & brachij caput prolapsum, manifesto in alam decubuisse cōparet. Et brachij huius cubitus à costis magis recessit: quibus si uim attuleris, cum dolore admouetur, nequeunt ægri manum ad aurem extenso cubito porrigere, neque aliam motionem multiplicem eadem exercere. In pueris igitur, uel quibus recens nec ampla est luxatio, hūc in modū, ut Hippocrates tradit, subinde prominenti nodo medij digiti flexi, medici manus, uel ægri etiam sanæ, nisi puer sit, restituitur. Valētiores aūt luxationes, hoc modo reponuntur. Oportet hominē adspercinibus laxandi uirtute præditis totū humi resupinare, et pilā mediocris amplitudinis, uel coreaceam, uel alterius generis nō adeò mollē, alæ accommodare: tum sedens medicus aduersus ad læsum latus, siquidem dexter humerus luxatus sit, dextri: si sinister, sinistri pedis calcem supra pilam alæ subiectam constituat. postea manum affectam hominis apprehēsam, pedes uersus trahet, simulq; impacto calce alā in diuersum repellet, ita ut aliquis post caput iacētis hominis alterū humerum urgeat ac resistat, ne corpus medici distētione circūduellatur. Est & alius reponendi modus, qui per humeri suppositionem efficitur. adolescentulus, uel ægro longior, uel altius, ad latus quo luxatū est brachiū, consistens, humerū suum alæ luxati subijciet, & manum eius eleuatā ad uentrē suum deorsum trahet, ut reliquū ægri corpus post tergū sublimius impendeat. Quod si affectus leuior existat, leuis quispiā alius puer ex ipso suspendendus est, ma-

nu quippe & reliquo corpore æquiualenter deorsum tractis alæ subiectus humerus facilè elapsum articulum in sedē suam reponit: atq; hoc idem hypero appellato efficimus. Est id autem lignum oblongum, rectum, quod in pauimento supra aliud quoddam solidum constituitur. Cuius summa extremitas rotunda, quæ nec admodum crassa, neque tenuis adeò existit, sub alam ægri stantis, uel sedentis, pro hyperi longitudine subijcietur: manuq; hypero extenta, & deorsum tracta, reliquo autem corpore deorsum uergente, uel sua sponte, uel altero aliquo trahēte, repositio efficiatur. Idem etiam scalæ gradu faciundum est, quemadmodum de fracti brachij intensione fieri suprà docuimus. Hic autem rotundum aliquod corpus gradui alligetur, quod ægrotantis alæ inseri, & brachij caput propellere poßit. At si ob luxationis uetustatem, aut corporis duritiem restitutio negotium facessat, uia & ratione, quæ per spathulam amben nuncupatam, fieri consueuit, utemur. Est autem ambe lignum, quod longitudine duos circiter cubitos, latitudine quatuor digitos, craßitudine digitum æquat: cuius alterum extremum est rotundum, quod etiam in alæ sinum promptius sese insinuat, perinde atque summum hyperi caput. Hoc igitur capitulum panniculo inuolutum, quo lenius sit, capitulo brachij sub alam iniectum accommodabimus: totam uerò manum ad lignum intensam deligabimus, iuxta brachium & cubitum, & summum eius. Deinde ligno obliquo in duas columnas rectas adaptato, uel rursus supra scalæ gradum manu traiecta cum ligno, sic ut alia transuersa gradui inseratur, manum uerò deorsum trahentes, corpus in alteram partem suspensum, in sublimi permittemus: tunc enim articulus in sedem suam reuertetur. Vbi fuerit repositus, lanea pila mediocris amplitudinis: si inflammationē non sentiat, sicca: si sentiat, oleo imbuta alæ subijcienda est, atque deuinciendum. Per hanc autem alam, & humerum, & alteram alam fascia circundata, sic, ut inuolutiones decussatim

iuxta

iuxta hiatum appareant, quo hiatus supra humerum læsum, brachium deinde costis & cubitus alligatur, manusq; summa ceruici fascijs deuincitur, ne rursus de integro articulus prolabatur. A' septimo die, & serius etiam, ubi resoluerimus, mediocri frictione utemur, quo solidiori reddito corpore, articulus ineptior ad prolapsum efficiatur. Si uerò frequenter articulus prolabatur, uel ob humiditatis uitium, uel ex longa quapiam alia exeundi uia, ad ustionem ueniendum est, quemadmodum expositum est superius. Sed quum in utero fœtus, uel editi in lucem, dum etiamdum increscunt, particula aliqua luxationem experiuntur, neque restituitur amplius, in humero quidem carnes nihil noxæ à naturali constitutione deficientes contrahunt: neque enim manus, quo minus functionem suam obire poßit, impeditur. Sed brachij os, non augescens, breuius remanet, & appellantur eiusmodi galiancones. In femore autem prolapso, os etiam absq; incremento permanet, & totum crus corrumpit. nam cum corporis pondus sustinere nequeat, non exercetur: & reliquis in particulis luxatis manentibus, subiectæ omnes offensioni obnoxiæ sunt.

De cubito. Cap. 116.

QVanto gibber cubiti artificiosius quàm humerus articulo sinuatus est, tanto, cum excidit, plus negotij faceßit, tardius q; prolabitur quidem: sed prolapsus difficilius reponitur, propter eminentiarũ ac sinuum frequentiam: sustinet igitur interdum subluxationem tantummodo, sæpe uerò ex toto etiam in omnes partes, sed præcipuè in priorem & posteriorem luxatur. Dinoscitur id tum uisu, tum tactu, citra negotium. nam quò excidit, prominens: & unde prolapsum est, sinus apparet. Atq; hoc sani cubiti affectio potißimum arguit. Est autem priusquam inflammatione tentetur membrum, citißimè restituendum. nam si inflammatione occupetur, curari difficulter potest. Non rarò etiam, nullo remedio eliditur, præsertim si in posteriora recesserit. Omnium quippe luxa-

tionum cubiti, hæc quæ in posteriora fit, dolorifica mag & periculosior existit. Mediocres igitur articuli peruersiones, moderata quoque intensione restituuntur: sic, ut ministri manum ad brachiū cubitumq; porrectam apprehendant, & in diuersa extendant: medicus autem manus suæ palma, quod prolapsum est, in naturalem sedem compellat. Hippocrates uerò luxationem in priorem partem, repentino cubiti flexu instaurabat, ita ut palma ægri in humerum rectum pulsaret. Si in posteriorem luxatus est, subita rursus & diuina extensione curabat. Nam luxatio in anteriorem partem, ex uiolenta potißimum intensione: in posteriorem, ex uiolenta similiter inflexione euenit. Quod si perseuerat luxatio, ualentiore intentione utendum est, ad eaq; ueniēdum in primis quæ Hippocrates de brachio fracto exposuit, ubi columellam adhibebat. Cæterum recentiores nonnulli hunc in modum reponunt: duobus ministris, altero sursum ad alam, manum, ut diximus, cōtinente, altero deorsum ad brachiale, extendentibus, medicus è regione ægrotantis consistens, utrisq; palmis brachium iuxta articulum comprehendit, iubetq; uestimento contracto in oblongo, uel fascia manus ipse pariter & ægri brachium inuoluere, & in exteriorem, imamq; partem ad summam manum retrahere, ipse sequens cum intentione, constrictas ipsas trahit, usq; dum cubiti articulum transgrediantur. Manus uerò prius oleo obliniendá est, quo lubrica fiat, & medici palmis facilè obediat. Ita enim prolapsa, trahentium manuum uiolentia impulsa, in suum locum reuertuntur. Post repositionem, angulum rectum figuratam manum, splenijs & apposita deligatura curabimus.

De brachialis & digitorum luxationibus. Cap. 117.

Brachialis & digitorū luxatio, nisi cū hulcere accidat, nihil negotij exhibet. De hac igitur in capite de luxationib. cū hulcere factis dicetur. Absq; uerò hulcere luxatis, mediocri intēsione, et remedijs inflāmationē arcentib. succurremus.

De

De ſpinæ uertebris. Cap. 118.

SI uertebræ ſpinæ exactam luxationem experiuntur, perniciſsimam mortem inferunt: nequit enim ullam quamlibet leuem ſpinæ medulla, compreſsionem ſuſtinere, quãdo uel ſolus neruorum, qui ex ipſa manant, proceſſus, ſi comprimatur, hominem in diſcrimen abijcere abunde poteſt: ſubluxationibus ſubinde affliguntur, nunc in anteriorem partem, nunc in poſteriorem, interim in latera etiam torquẽtur. Quorum prius uitium lordoſim, alterum cyphoſin, tertium ſcolioſin Græci nuncupant. Quum igitur plures ſimul uertebræ paululum peruerſæ fuerint, plurium ſimul peruerſio iuxta orbicularem flexus rotunditatem apparet: quem ſpecie quidam decepti, ex unius tantum uertebræ ingenti prolapſu, fieri opinantur. Magnus quippe prolapſus non circularem, ſed angulatum ſpinæ flexum efficit, multoq́; periculoſior exiſtit. Spinæ igitur introrſum peruerſio, reſtitui nullo modo poteſt, eo quòd per uentrem in priorem partem repellendi facultas nulla datur. nam qui in ſcala eos qui ſic aſficiuntur, extendunt, uel cucurbitulas applicant, uel ſternutamẽta, uel tuſsim, uel inſlationes excitant, quid remedij inueniſſe crediti ſint, ſatis ab Hippocrate redarguti ſunt. Siquidẽ ſubinde accidit, ut ſpinæ oſsiculi cuiuſdã refractio facta, cauum locũ efficiat, ueluti de fracturis expoſitũ eſt. Sũt qui uitiũ hoc lordoſin eſſe opinati ſunt. deinde celerius hoc malo curato (prõpte tenim occalleſcit) facilè ſanari poſſe lordoſin affirmarunt: cũ tamẽ nullo remedio id malũ elidi, uel certè difficulter admodum queat. Suppreſsio nanq; urinæ aluiq́; his accidit, corpusq́; frigeſcit, poſtea uerò inuoluntaria etiã excrementorum proruptio, quæ ſane ex neruorum muſculorũq́; conſortio eueniunt, et breui intereũt, præſertim ſi ſummæ et ceruicis uertebra luxationẽ ſenſerint. Si gibbus aũt uertebrarũ iam inde à pueritia factus ſit, uitiũ diuturnũ eſſe, neq; præ maturã mortẽ conſciſcere, ſed morbũ accerſire, et irremediabile eſſe, Hippocratis

pocrates testatur. Sed quibus recens gibber ex casu prouene rit, omnes aliæ machinæ, quas isti per scalas, & rectam corporis suspensionem, uteriq; inflammationem moliuntur, ridiculæ sunt, solaq; Hippocratis ratio sufficiet. Oportet, inquit ingens aliquod lignum tantæ lõgitudinis latitudinisq;, ut prostratum hominem excipere queat, uel scamnum huic æquale, prope parietem apponere: ita quidem, ut per longitudinem pede ab eo non amplius distet, & stragula aliqua super ipsum explicare, ne hominis corpus contundatur. Conuenit autem hominem prius lotum, supra ipsum pronum constituere: deinde corrigia pectus ipsius gemina inuolutione circundatũ, per alas supra deorsum uincire, capitibus corrigiæ ad prælongũ fustem pistillarem deligare, in soloq; iuxta ligni aut scamni extremum erectum statuere, & ministro à capite ægrotantis consistenti in superiore parte continendum tradere, ut ima parte solo innixa, superiore supra caput tracto, obseruata occasione corpus opportunè extendat. Altera adhæc corrigia pedibus utrisq; supra malleolos injicitur, & rursum alia supra lumbos & coxas innexa, iunctura firmatur, tum corrigiarum capita inter se iuncta alteri fusti pistillari prædicto deligantur. Simili modo ad pedes in extremo ligni seu scamni pistillum priori æquale rectum constituitur, postea ligna hæc ministris in diuersa intendere iubebimus. Nõnulli autem asellis appellatis hoc efficiunt. Sunt autem aselli, axes, qui ad rectum lignum infixi conuertuntur. His utrinq;, magni ligni aut scamni ad pedes caputq; corrigiarum extrema inuoluunt. Facta inhunc modum intensione, manuum nostrarum palma gibbum constringemus: siq; usus postulat, etiam super ipsum insidebimus, nullo prohibente timore. Quod si ne hac quidem ratione spina instauretur, & æger compreßionem sustineat, oportet appositum parietem canaliculatim in longum è regione gibbi excauare, ut neq; longitudinem cubiti excedat, neq; altior, neq; multo humilior ægrotantis spina sit, imò

sculptura

culptura prius præparanda est. huius enim causa, lignum iuxta parietem ab initio collocandum ordinauimus. Deinde asseris iustæ magnitudinis, alterum terminum ad ima comprimemus, donec spinæ directio sensu etiam percipiatur. Sed quemadmodum Hippocrates tradit, sola extensio absque assere, uel per asserem rursum sola curatio ad restituendum gibbum abunde sufficit. Quod si uerum est, haud ab re fuerit etiã lordosi et scoliosi, à principio statim supradictum intensionis modum, citra compreßionem tamen, moliri. Post repositionem assula lignea, quæ latitudine tres digitos æquet, longitudine gibbo respondeat, & aliquas sanas uertebras contegat, linea fascia, uel stuppa, propter duritiem inuoluta, uertebris imponi, & commodè deligari, uictusq; tenuis adhiberi debet. Quod si his actis aliquæ gibberi reliquiæ supersint, laxantib. emollientibusq; remedijs, cũ assulæ ualẽtiori impreßione, diutius utendũ est. Nonnulli uerò plumbeã assulam adhibuerũt.

De coxæ luxatione. Cap. 119.

CVm alia mortalium ossa interdum subluxationem, interdum exactam luxationem experiantur, coxæ & humeri articulus solus consummatæ luxationis peruersioni obnoxius est: atque adeò magis coxæ articulus, quoniam profundam ac rotundam concauitatẽ obtinet, & altioribus aggeribus, quas Græci ophrioseis dicunt, circũmunitus sit. Si quando aũt articulus uiolenta quadam ui impulsus, sinu suo exciderit, multas pro maioris minorisq; ratione luxationũ differentias facit. in quatuor enim modos, imò locos coxæ luxatio efficitur. Vel enim in interiorẽ, uel exteriorẽ, uel anteriorẽ, uel posteriorem partẽ promouetur: sed intrò quidẽ et extra frequẽtius, frequẽtißimè tamen intrò, in priora et posteriora rarius. Quib. igitur coxa intro promota est, ijs offensum crus, si cum sano comparetur, longius, & genu uastius cernitur, & ad inguen crus inflecti minimè potest: iuxtaq; inter femineum euidens tumor occurrit, tanquam illi capite femoris impacto ac desidente.

Quibus

Quibus in exteriorem partem prolapsa est, ijs contraria in dicia cõtingunt. siquidem crus breuius cõspicitur, et sub inter fœmineo sinus dehiscit, nates intumescunt, & genu interius demergitur, crus flecti potest. Si in anteriorem partem excidit, crus sine genu dolore extendunt: sed implicare id, interiusq; reclinare, dum incedere nituntur, non possunt: urina in hoc casu supprimitur, inguẽ inturgescit, clunis rugosa et excarnis spectatur, et calce tantũ inter ambulandum terram cõtingũt. Si in posteriora, breuius itidẽ crus est, poples, genuq;, neq; extendi, neq; inflecti potest, priusquã inguina fuerint inflexa, quæ sanè laxiora sunt, femorisq; caput per nates protuberat. Quibuscunq; igitur iã inde à puero, uel longiore deniq; temporis spacio, articulus prolapsus neglectus fuerit, remediaq; nihil profecerint, membro iam in orbẽ coacto, nullã amplius curationẽ recipit. Quibus uerò recens excidit, ij Hippocratis curatione adiuuãdi sunt. Protinus igitur adgrediunda est repositio: quoniã coxæ luxatio inueterata, incurabilis omnino efficitur. Cõmuniter igitur in quatuor luxationũ generibus concinna reaptatio quadrabit. cuius gemini sunt modi: alter, qui conuersione articuli & inflexione seu circumductu: alter, qui extensione consit. Nam si recens affectus sit, & ægrotus iuuenis, femur nonnunquam apprehensum & huc illuc circumagitatum, articulum in sedem suam restituimus. Si uerò luxatio intro declinauerit, crus etiam solum repentè et ualenter ad inguinis intimã partem flectentes, ut res postulabat, reposuimus. Sin autem his non proficitur, extensione utendum, quæ primùm manibus molienda est, alijs crus ab inferiore parte trahentibus, circa femur ac tibiam constringant, alijs ex superiore parte sub alis comprehensum corpus circundantibus. Quòd uehementior desideretur intensio, uinculis textilibus, aut tortilibus, aut habenis deligabimus, omnino quidẽ supra talos, & supra genu etiam, ne id aliquã oblæsionem experiatur. Pectoris uerò regionẽ, uinculis excipere opus

re opus

re opus non est: sed manibus tantũ, ut dictum est, sub alis datis comprehendatur: corrigia deinde mollis, & ualida media sua parte, iuxta penem, aut interfœmineum subiecta, anterius per inguen & iugulum, posterius per dorsum ad humeros reducenda est, ministroq́; duobus capitibus tradenda. Postea omnes simul eodem tempore in diuersa contẽdant, sicut ægrotantis corpus à terra subleuetur. Atq; hæc quidem intendendi ratio omnibus quatuor luxationũ generibus communis est: priuatim uerò ossa in sinũ suum restituendi modus in singulis uariat. Intenso namq; ita homine, si intrò articulus promotus est, corrigiæ iuxta interfœmineum sitæ mediũ, inter femoris caput, ipsumq́; interfœmineum dispensatur, sursumq́; per inguina ac iugulum corrigia remittitur. Deinde robustus aliquis iuuenis utrisq; suis cubitis affectum femur, qua craßius est, comprehendens, in exteriora fortiter trahet. Hic quidem instaurandi modus alijs expeditior est. Cui si articulus non obtemperauerit, alijs utendum, qui sicut maiorem uarietatẽ, ita & plus efficaciæ habent. Extendendus quidẽ supra grandius lignum, seu scamnum affectus est, in quo etiam spinæ gibberum habentes, intendendo componimus. Insculpentur autẽ prius per totum ferè oblongæ quædam ueluti fossulæ, altitudine et latitudine non amplius trium digitorum, inuicem quatuor ad summum digitorum spacio dißidentes, ut in utram partem conueniat restituatur, uecte iuxta extremum ipsis obiecto. In medio autem ligni siue scamni, alterum lignum impingatur pedis longitudinẽ, columnulæ craßitudinẽ æquās, ut sub hoc extenso homine, inter caput femoris, & interfœmineum porrigatur. Simul & impediat, ne dum trahitur ad pedes, sequatur. Quocirca nec usu utiq; frequẽter uenit, in contraria ex superiore parte retractio. simul aũt intenso etiã corpore ipsum lignũ femoris caput ad dexteriorem partẽ propellet. Extensio uerò iuxta superius traditum modum administrabitur, præcipuè pedis. Quod si neque ita quidem os in

naturæ

naturalem locum redierit, impactum lignum rectum eximen dum est, ex latere autē huius situs utrinque duo alia ligna, qu si limina, pedali longitudine infigenda sunt, quibus aliud li gnum gradus scalæ modo inserendum est, sic ut trium ligno rum figura H literam repræsentet: quod fiet, si paululum in ferius summis capitibus medium hoc lignū accommodabitur Deinde in sanum latus homine collocato, sanum quidem cru inter hæc limina infra gradum ducemus, affectum uerò cru supra ipsum gradum ex superiore parte ponemus, ut ipsi fe moris capiti adaptetur. Substrato tamen prius ei multiplic quopiā panno, ne femur duritie lædat: aliud autem lignum mediocris latitudinis, cuius longitudo à femoris capite a malleolum subiectum usque pertineat, interiori cruri parte a ligabitur. Facta hac intensione, uel pistillis, ut in gibbero spi næ dictum est, crus unà cum alligato ligno ad ima tractum, ui lenta hac impulsione, femoris caput in propriam sedem co gat. Est uerò adhuc alia reponendi ratio, citra extensionem supra lignum ab Hippocrate commendata. Oportet, inquit, ægrotantis manus ad costas leniter deligare, cruraq; amb ualidiore loco ac molli ad malleolos, & supra genua fascia re, sic ut quatuor circiter digitorum spacio inuicem distent crure uidelicet læso, supra alterum duobus ferè digitis exten so, hominem in caput suspendere, duos cubitos à terra subla tum. Adolescens uerò aliquis rei peritus, suis cubitis affectum femur, qua breuissimum est, comprehendens, ubi et caput fe moris, subitò appendere sese illi conetur: facilè enim ita arti culum in locum suum compellet. Atque hæc quidem inseren di ratio cæteris simplicior est, utpote quæ non multo appara tu peragatur: pleriq; tamen ipsum tanquam miserabilem, mi nus abdominantur. At si in exteriora coxa prolapsa sit, exten datur homo, ueluti superius: habena autem interfœmineo subiecta, per oppositas partes, inguina uidelicet & clauicu lam, ferri debet, tum medicus ab exteriore parte introrsum propellit,

propellit, iuxta conuenientem foueam ex ijs quæ insculptæ sunt, famulo uecte obiecto in sanam natem, ne cedat obnitente. Sin autem in priora facta sit luxatio, homine intenso, robustus aliquis uir dextræ manus palmam supra affectum inguen imponens, altera manu comprimet, simulq; deorsum, idq; genu constrictionẽ faciat. At si in posteriorem partem promotus est articulus, non opus est hominem in sublime usque à terra extendere, sed supra solidum aliquod iacere, perinde ac si extra articulamentum luxatum sit. Quemadmodũ autem in gibbo expositũ est, homo superq; lignum aut scamnum pronus extendatur, uinculis non lumbo, sed cruri, ut nuper dicebamus, iniectis. Post hæc uerò assere quoque utendũ est, ad clunium regionem, ubi articulus excidit, comprimendam. Ac de ijs quibus ex euidente causa coxendix prolapsus est, hactenus. Quandoquidem autem ob redundantem quoque humiditatem, quemadmodum humerus, sic etiam coxendix de sede sua prolabitur, ustione utendum est, ueluti de ipsa suo loco explicauimus.

De genu luxatione. Cap. 120.

GEnu in treis partes luxatur ac prolabitur, interiorem uidelicet, exteriorem, & in poplitem. Nam in priorẽ promoueri, opposita patella prohibetur. Easdem igitur intensionis neruorum rationes usurpantes, solis interdum manibus, funiculis etiam interdũ adhibitis, conuenienter deuinciemus, & reliquam curandi rationem admouebimus: cura studiosè adhibita, ut membrum diutius immotum custodiatur.

De malleoli luxatione, inibiq; etiã de pedũ digitis. Cap. 121.

MAlleoli articulamẽtum si modicè prolabitur, modica etiam intensione curatur. Si integrè luxatum est, potentiore indiget præsidio. Conãdum igitur etiam hic est per manus uehementiorem intensionem adhibere. Quod si non fiat repositio, humi resupinãdus homo est, interq; duo eius femora iuxta interfœmineum, longus aliquis ac ualidus palus al-

tius in terram rectus defigendus est, quo ei corpus renitens ad pedis intensionem non cedat. sed priusquam ita homo collocetur, defigendus est. Quòd si magnum illud lignum ad manum est, in cuius medio pedale, uti diximus, lignum infixum fuerat, hoc super intensionem moliemur, famulo uno femur continente ac trahente, alter manibus, uel habena pedem trahet. Medicus autem luxatum articulum reponat, alterumq; pedem alius deorsum continebit. Post repositionem tutò deligandum est, fascijs ad plantam & ad malleolos distributis, cautione adhibita, ne posterior calcis tendo constringatur. Præcipiendumq; homini, ut in quiete perseuerans, intra quadraginta dies non ingrediatur. nam si ante absolutam curationem incedere quispiam tentet, inutilem particulam ad sua munia obeunda reddit. Si cui uerò ex saltu, ut solet, calcis os è loco suo promotum, uel aliquam aliam ad inflammationis naturam tendentem dispositionē expertum fuerit, leni quadam intensione, cōformatione, fotu, inflammationi arcendæ dicato, deligationeq; firma id restituendum est, indeq; homini similiter in quiete, donec consanuerit, perseuerandum. Digitorum autem pedis luxatio, sicut de manus digitis dicebamus, mediocri intensione haud difficulter emendatur. In omnibus autem luxationibus, subluxationibusq;, facta iam restitutione, elapsisq;, præscriptis ad quiescendum diebus, si qua, ut credibile est, inflammatio in articulis perseuerat, seu tumor, unde à functionibus diutulè impediuntur, his mollientibus remedijs subueniamus, quorum materia neminem qui hanc artem exercet, fugere potest.

De luxationibns cum hulcere. Cap. 122.

IN luxationibus cum exhulceratione, plurima opus solertia est. Nam cum hæc reponuntur, extrema pericula, & mortem quandoq; inferunt. Quum enim adiacentes nerui ac musculi ex intensione inflatione tentantur, cruciatus intensi, conuulsiones, & febres acutæ superueniunt, præcipuè in cubitis

bitis ac genibus, superioribusq; particulis: quanto enim principibus propinquiores sunt, tanto maius periculum adferunt. Quocirca Hippocrates horum repositionem & ualidiorem deligationem penitus respuit, solisq; iis quæ inflammationem arcent, placantq;, auxiliis uti inter initia mandat: sic enim ipsis forsan euadere datur. Id quod ipsus in solis digitis fieri suadet, id nos in cæteris etiam articulis facere conabimur, ac in principio statim cum nondum infestat inflammatio, luxatum articulum moderata intensione reponemus. Si ex animi sententia successerit, in sola ratione quæ inflammationem abigit, lenitq;, persistemus. Si inflammatio quæpiam, uel conuulsio, uel ex iampridem memoratis quippiam urgeat, rursum ipsos, siquidem citra uim potest, sede sua propellere necessitas est. Quod si hoc quoque periculum ueremur (haud enim inflammata fortaßis facile cedent) præstat inter principia in maioribus articulis repositionem protelare. Simul atque uerò inflammatio cessauerit (quod septem aut nouem dierum spacio contingit) tunc præfati, quod ex repositione secuturum sit periculum: & si non reponatur, hominem ea parte claudum ac mutilum omnino reliquum uitæ tempus futurum, manuum operam clementer adgrediamur, uecticulo etiam, propter commoditatem, adhibito. Hulceris postea curationem, quemadmodum in fracturis cum hulcere traditum est, tractabimus.

De luxatione cum fractura. Cap. 123.

QVod si luxatio cum fractione citra hulcus acciderit, communis intendendi ratio, & per manus conformis instauratio, adhibenda est, ueluti in capite de simplicibus fracturis expositum est. Si uerò cum hulcere, rursus ex his quæ de fracturis cum exhulceratione & luxationib. priuatim explicauimus, conueniens repetenda est administratio.

FINIS LIBRI SEXTI.

HYPOTHESIS LIBRI SEPTIMI.

In hoc uolumine uniuersi operis septimo & ultimo, de medicamentorum, cum simplicium, tum compositorum omnium, quorum potissima superiorib. sex libris facta est mentio facultatib. agitur. Est autem eius series in hunc modum digesta.

CAPITA LIBRI SEPTIMI.

FINIS.

PAVLI AEGINETAE

LIBER SEPTIMVS, ALBANO Torino interprete.

De temperaturis quæ ex saporis qualitatibus deprehenduntur. Cap. 1.



EQVE odoratu cõijci tutò satis de sensibilium corporum temperamẽto potest. nam quæ odoris ne minimum quidẽ de se præbẽt, crassarum quidem partium sunt, sed quantã caloris aut frigiditatis habeãt uim, intelligi non est. Quæ uerò fragrantem odoris fluxum emittunt, etsi natura nõ paucam quodammodo habeant substantiam in se tenuem & calidam, tamen propter inæqualem eorum essentiam certũ uel tenuitatis, uel caliditatis suæ modum nullum ostendunt. Magis adhuc lubricum ex colore iudicium est, quãdo calida, frigida, humida, sicca in unoquoque deprehenduntur. Gustu autẽ, quia æqualiter gustabilium omnium partes linguæ incidunt, & sensum eum pariter mouent in tantum, ut manifestè ex hoc temperaturæ eorum uis deprehendi queat. Astringens igitur, cogere, constringere, dẽsare, repercutere, incrassare, atq; ad hæc omnia tum refrigerare, tum exiccare sua naturæ aptitudine solet. Acutum uerò incidendi, diuidendi, attenuandi, aperiendi, & expurgandi citra calorem uires obtinet. Acre autem, communem cum acuto sortitum est facultatem, attenuando nempe & purgando: hoc uerò dißident, quod acutum frigefacere, acre calfacere natum est. præterea quod illud ad eijciendum, hoc ad extrahendum, distrahendum, rumpendum, penetrandumq;, & crustam inducendum natura comparatum est. Eodem quoq; pacto amarum, expurgat meatus, abstergit, extenuat, lentos crassosq; humores secat absq; caliditate insigni. Aqueum uerò fri-

rò frigidũ, sistit, cogit, obturat, roborat, ac stupefacit. Salsum autem contrahit, stringit, condit, siccat, sine euidenti uel calore uel frigore. Dulce laxat, digerit, mollit, ac rarefacit. Oleosum humectat, emollit, & relaxat.

De temperamentorum ordine, atque excessu. Cap. 2.

MEdium inter extrema pharmacum, symmetron à Græcis appellatum, ita ut æqualis cum eo cui admouetur, tẽperaturæ existat, eo quod neque exiccandi, neque humectandi, neque refrigerandi, aut calfaciendi uim obtineat, neque aridum, neq; humidum, neq; frigidum, nec calidũ nuncupari par est. Siccius uerò, humidius, calidius uel frigidius, à potentia et qualitate prædominante appellationẽ sortitur. Abunde aũt fuerit in unaquaq; præpollẽte facultate, quatuor ordines pro usus necessitate cõstituisse. Calidum quidem in primo ordine uocatur, quod nos tã obscurè calfaciat, ut eius rationalem quandã demonstrationẽ requirat. Pari etiam modo gelidum, aridũ, et udũ, quod indicatione indiget, nondũ ualidã efficaciã ac euidentẽ obtinens. Certè quæcunq; manifestò iam arefacere, aut humectare, aut calfacere, aut refrigerare possunt, secũdi excessus esse dicenda sunt. Sed quæ manifestè quidem, non tamẽ ad extremũ, tertij. Quæ usq; adeò, ut crustam inducẽdi uim habeãt, calfaciunt, ad quartũ ordinem referentur. Sic quæ tantã refrigerãdi uirtutem sortita sunt, ut iã stuporẽ concilient ac mortificẽt, hæc itidẽ in quarto à tẽperatis abscessu censentur. Exiccatorium uerò nullũ quarti ordinis inueniri potest, sine exustione. nã quicquid extremè siccat, id omnino exurat necessũ est. Ex eo grege sunt, chalcitis, mysis, calx. Tertiæ aũt arefaciẽtiũ distãtiæ aliquid esse potest, nec exurens interim: cuiusmodi sunt, quæ uehementer astringunt omnia: è quorum albo omphaciũ, rhus, atq; alumen habetur.

De simpliciũ medicamentorũ uirib. particulatim. Cap. 3.

ABrotono, uis est calfaciẽdi & exiccandi in tertio à mediã tẽperie recessu: habetq; distrahentẽ, et nõ instrenuè secantẽ potẽtiã: minimæ nãq; acerbitatis particeps est, quod cum oleo

oleo toti corpori infricatum, rigorib. qui per circuitum ingru unt, succurrit: cæterũ infesta est stomacho. Crematũ uioléti us arefacit, quàm igne intactũ. Defluuijs capillorũ ex alopecia medetur, cum oleo quopiam rararum partium illitum.

Agallochum, lignum est Indicũ thyiæ ligno non dißimile, odore bene fragrãti. Quod dũ mãditur, oris et animæ suauitatem cõciliat. Odoris gratia uaporatur, et ad suffiméta incenditur. Cuius radix in potu unius denarij põdo sumpta, flaccidũ ex humiditate stomachũ resolutũq; corroborat. Remedio insuper est iocinorosis, intestinorũ torminib. oppreßis, pleureticisq;. Agaricũ, radix est, quæ arboris trũco adnascitur, laxi corporis & friabilis, ex aerea & terrestri essentia coalita. Distrahendi, craßitudinem secandi, infarctusq; ex obturationibus maximè uiscerum repurgandi potentiam obtinens. Ageraton naturã habet discutiendi, & præter id clementer quadantenus inflammationes arcendi.

Agnus, uel lygus, qui latinis uitex dicitur, calidæ et siccæ potestatis est, in tertio ordine. Cõstat ex partib. tenuib. Flatus peditusq; discutit: qua ratione non tantũ comestus potusq;, uerùm substratus etiã castitatem tueri creditur. Haustũ plantæ huius semen, obturatis iocinoribus, lienibusq; succurrit: frictus minus inflat, digestuq; longe facilior est.

Agrostis, gramẽ Parnaßi, maximæ utilitatis est, siccificæ, mediocriterq; frigorificæ facultatis, & tenuis essentiæ, leue quoddam acrimentum gustu præferens, & proinde cruenta hulcera conglutinat: calculos decoctum eius atterit.

Anchusæ species quatuor, non eiusdem facultatis omnes sunt. nam cui onocleæ nomen est inditum, astringentem pariter & subamaram radicem continet: cuius ergò lienis renumq; dolores adiuuat. Cum polenta illita, ignibus sacris, quæ erysipelata dicuntur, opitulatur. folia herbæ imbecilliorem radice refrigerandi arefaciendiq; uim poßidẽt: quare contra alui fluores in potu sumitur. At quæ lycopsos appellationem habet, pari modo erysipelatis subuenit, ma-

iore quodammodo quàm onoclea astringendi potentia, Se onochilos & alcibiadios medicamentosior, à uipera demor sis eximiè conducit, illita, pro amuleto appensa, & in cibi deuorata. Quarta anchusæ species reliquis est exilior, & tan tum non anonymos, alcibiadio uehementiorem habet amari tudinem, teneis alui necandis acetabuli mensura pota magis est accommoda.

Adarce spumam quandam salsilaginis, in harundinetis sto reaq́; ac cremijs concretam præfert, summam habens acrimoniam, tantamq́; in calfaciendo uim, ut parum absit quin forinsecus corpori cum alijs applicatum adurat. Eoq́; intra corpus ipsam assumere minimè conuenit.

Adiantum exiccandi, attenuandi, modiceq́; disijciendi potestate præditum est: medium quodammodo locum calore & frigiditate sortitum. quamobrem caput ex alopecia glabrum capillis conuestit, tumores discutit, uesicæ renumq́; calculos comminuit, si potetur, excreationes pulmonis desiccat, et uentris compescit profluuium.

Aizoon, semperuiuum, maius & minus est, utrunq; in tertia refrigerat distantia. Exiccat uerò & astringit aliquantulum: ignitis igitur cum inflammatione rubedinibus. hulceribus item, quæ à serpendo herpetas nuncupant, & inflammationibus quæ ex destillatione oriuntur, succurrit.

Aetonychi inter lapides preciosos mentionem facere instituimus.

Athara, uel athera, pulticula sorbilis est, ex zea triticoúe mollitis confecta, puerulis idonea: eadem cataplasmatis accommodatur.

Aegilops auena, disijciendi potestate prædita est. Ea propter inflammationes induratas, & sui nominis qui in maiore oculi hirquo oriuntur abscessus, medetur.

Aegyros, populus nigra calidæ est potentiæ in primo tem peratorum ordine, arefacit moderatè, & raris est partibus.

Cuius

cuius folia cataplasmatis more cum aceto impacta, dolores qui miseram pedum ualetudinem sequuntur, amouent. Quæ uerò ex ipsa destillat resina, maiorem calfaciendi uim habens, acopis inseritur, malagmatisq; inditur. Fructus cum aceto in potu sumptus, morbo comitiali opitulatur.

Aedœon, hoc est pudendum maris cerui arefactum, uino læuigatum, si potetur, morsibus uiperinis subuenit. Compositis præterea facultatibus confunditur.

Aethales, hoc est fuliginis & lignyos historia, in litera . pertractabitur.

Aethiopidis herbæ folia uerbasco sunt similia: radicis decoctum potu sumptum, coxendicis doloribus, laterali dolori, & cruentum sputum eijcientibus succurrit. Arterias & faucium scabredines cum melle leuat.

Hæma, sanguis frigidus nullus est: suillus quidem humidior, minusq; calidus cæteris est, tēperatura ab hominis sanguine nihil discrepans. Colūbinus, palumbinus, & turturis, medij fermè temperamēti: oculorum uitijs, quæ Græci hyposphagmata dicunt, opitulatur, si calidus instilletur. Crassiori cerebri membranulæ infusus, in his quorum calua perforata est, inflāmationes profligat. Aduersus spiritus angustias, magna cum utilitate sanguis noctuæ non tam è uino, quàm ex aqua potatur. Vespertilionum sanguis uirginum mammas tuetur. Ferunt illitum hunc, incremēta pilorum prohibere. Eiusdem facultatis esse affirmant sanguinem ranarum, chamæleontis, et ricinorū qui canibus usq; adhærent. Galenus uerò mēdacium hoc esse asserit, facto rei periculo. Caprillus cum melle potus, ob ariditatem aquis inter cutem medetur, & renum calculos comminuit. Altilium gallinarum sanguis, eruptiones sanguinis ex cerebri membranulis supprimit. Agninus comitiali morbo auxiliatur. Hœdinus recens concretus, solus minus dimidiatæ heminæ mensura, cum tantundem aceti haustus, cruentū è pectore sputum reijcientibus opitulatur.

Vrsinus, caprearum, hircinus, atque taurinus, si abscessibus imponatur, maturationis munia probè exequi perhibent.

Sanguis crocodili terrestris oculorum speciem exacuit.

Sanguis equorum admissariorum medicamentis exedentibus commiscetur. Cæterum antidotus ex sanguinibus contra letalia uenena exhibetur. suscipit hæc autem, sanguinem anatinum, hœdinum, & anserinum.

Aera, lolium calfaciens & desiccans in tertio fermè à temperatis recessu, iridi æqualis in medendo uires obtinet.

Acalis, fructus est plantulæ in Aegypto prouenientis. Cuius dilutum collyrijs, quæ claritati oculorum officientia discutiunt, commiscetur.

Acacia, siccificæ uirtutis est in ordine tertio, frigorificæ uerò in primo: ubi lota fuerit, secundo. Est porrò peracerba & terrestris.

Acalyphe, urtica, nõ tã semina q̃ folia tenuiũ sunt partiũ, citraq; erosionẽ desiccant. Quæ tumores præter naturã omne genus distrahũt, abstergũt, deyciũtq; per aluũ, inflãdi etiã potentiã mediocrẽ obtinẽt, eoq; in uenerẽ tãtopere proritãt.

Achanthus, à quibusdam melamphilon, à nonnullis pæderota nuncupatur. Est autem ex eorum albo, quæ digerendi arefaciendiq; potentiam habent.

Achantium subtiliorum est partium, excalfactoriam facultatem obtinens, proinde his qui conuelluntur remedio est.

Acanthes, spinæ candidæ radix, exiccatoriæ et modicè adstringentis est potentiæ: quapropter nõ cõtinentib. cibũ, quos Græci stomachicos appellãt, et cruẽtis eiectionib. auxilio est. Dẽtiũ cruciatus sopit. Semẽ huius tenuis eßẽtiæ, calorificæq; potestatis est. quãobrẽ ijs qui cõuulsionib. infestãtur, cõuenit.

Acantham, arabicã spinam Aegyptiam quidam nuncupant, quæ ualidam astringendi & arefaciendi uim poßidet: quare sanguinis & alias quoq; fluxiones cohibet.

Ocimastrum, acinus ocimo similis, mediocres astringendi ui-

uires continet, eoq; pota aluum mensesq; comprimit. Pa-
s, sacrisq; ignibus, illita medetur.

Aconitũ, quod pardalianches appellatur, exedendi & de
)utoriam seu uirulentam facultatem obtinet, quam ob cau-
m intro in corpus assumendum non est. Foris tamen carni-
s quas exedi oportet, adhibetur.

Quod uerò lycoctonum nuncupatur, similis propemodum
periori facultatis est: sed peculiariter lupos interficit, ceu
oximum illud pantheras.

Acorum, calfacit & exiccat in tertia distantia. Proba-
r radicis eius usus ad proritãdum lotium, & ad lienis scir-
)um. Extenuat membranæ ceratoidis crassitiem.

Acrides, locustæ, suffitæ meiendi difficultatem, præcipuè
ulierum, sanant: sed alis destituta, scorpionum morsibus
m uino pota succurrit.

Acte, cùm magna, tum humilis (ebulum hanc, illã sambu-
um Romani uocant (utræq; exiccandi, et temperatè disycie-
i, conglutinandiq; facultatem obtinent, & non tam bibitæ
uàm comestæ aquas per uentrem inferiorem pellunt.

Sales in uniuersum omnes magnopere desiccãt atq; stipant.
leoq; quicquid humoris in corporib. cõtinetur, id totum uel
epascẽdo cõsumũt, uel subducũt. Proinde salsamẽta cõdiunt,
t à putredine uindicãt. Sed cremati, ualentius dissipant.

Althæa, uel ebiscus, maluæ syluestris genus est: cui uis dis-
pandi, laxandi, inflammationes arcendi, placandi, & phy
nata panos maturandi inest. Radix porrò & semen cætera
uidem ex intensione maiore possident, sed uitiligines deter-
unt, & semen calculos confringit.

Halimũ, dissimilaris est essentiæ, sapore salsuginoso, atque
bastringẽs. Plurima eius pars tẽperate calida, cum uditate
ffreni existit: lac pariter & genituram procreat.

Alcæa, agrestis maluæ species est, q̃ cũ uino pota intestino
ũ torminib. ac morsionib. medetur, præsertim ipsius radix.

Alcyonio-

Alcyoniorum omnia genera detergũt ac distrahũt, qu… tatem habẽtia acrẽ: sed Milesium, quod uermiculosum ac p… pureũ, bonitate post se cætera relinquit: quod combustũ m… detur alopecijs, lichenas & uitiligines exterit. Sed quod ex… ma superficie læui, uehementer acre existit, non modò cute… extergit, sed excoriat etiam. Quod lanis succidis est simil… non parum reliquis omnibus habetur imbecillius.

Alme, muria salsugóue expers alterius essentiæ, consim… les sali facultates, non tam ualidas uerò, aqua temperata p… sidet. Muria autẽ salsorum piscium, oliuarumq; sale condit… rum, quas colymbadas dicunt, in extergendo maiorem ui… continet, atq; ob id quidẽ contra coxendicum dolores, & in… testinorum tormina, clystere infunditur.

Aloe primi excalfacientium ordinis est, exiccantum ue… rò tertij. Et stomacho gratißima, abstergendi, distrahendi, … aluo oletulum eiectandi uires continet: elota imbecilliore… exterendi uim poßidet: atqui magis amica uentriculo est & inflammatione leuat, hulceribus cicatrices conciliat, potißi… mum his quæ ani & genitalium loca torquent.

Halos anthos, hoc est salis flos, liquidum medicamentum est, subtilioris essentiæ quàm sales cremati, acris qualitatis, & admodum distrahentis potentiæ.

Halosachne, spumosa salis efflorescentia, salis spuma est, subtiliorum illo partium, uehementius quidem digerens, sed ad contrahendum minus efficax.

Alsine, quam nonnulli auriculam muris appellant, com… parem helxinæ potestatem sortita est, frigorificam scilicet, & humectantem: quamobrem feruentibus inflammationi… bus congruit.

Alypij herbæ semen per inferna atram bilem expurgat, sumptum cum pari epithymi pondere, adiectis salibus & ace… to, læui tamen exhulceratione intestina afficit.

Alysson frutex inde quidem nomẽclaturã sortitus est, quod rabidorum

bidorum canum morsibus succurrit. Habet uerò facultatē cificam, distrahentem, & abstersoriam potestatem obti- t, infarctos renum meatus obstructione liberat: et ephelin, c est asperitudinem, et decoloratam tanquam à solis ardo cutem, exterit.

Alopex, uulpes: oleū in quo tota uulpes uiuens uel extincta xa est, tāta discussoria facultate præditū est, ut qui in imo rent humores, in summam cutem extrahat. Qua ratione rticulorum doloribus laborantes in solium huius olei de- ndere iubeamus, in longum tempus, si morbus quidem inci ens, finitur: si inueterat, moderatior redditur.

Amaracum, maiorana, tertij calfacientium ordinis est, are cientium uerò secundi.

Amarantum extenuantis & incidentis est naturæ. cum no itaq; potum menstrua agit, sanguinem in minima frustu conglobatum liquat: cum œnomelite haustum, omnes fluxi es desiccat, stomacho interim infestum.

Ambrosia potentiam habet constipantem & repellentem, ata plasmatis modo illita.

Ammi calfaciendi & exiccandi uim habet, in tertio gra u, tenuioris consistentiæ, discutientis & urinam prolicien- s naturæ: cuius semen utilißimum est.

Amiantum nascitur in Cypro insula, scißilis præferens luminis faciem, inflammatur quidem ab igne, non tamen omburitur. Vtuntur nonnulli ad siccifica depilatoria.

Ammos, sabulum in littoribus maris potentioris, est pote- atis exiccatoriæ: feruens igitur sole succensum, aquosa are acit corpora, si eo aggeris modo obruantur & sepeliantur. orrefactum uerò, fomentum siccum, milij salis'que loco, ræstat.

Ammoniacum thymiama, gutta ammoniaca, quæ ad odo em uaporatur, liquor est ferulæ, intensam emolliendi facul- atem obtinens, adeò ut duritias non sensiles, quas scirrhos

uocāt,

uocant, & articulorum tophos dissoluat.

Amurca è secunda classe est potenter calfacientium, & siccantium intense: quo nomine corporum siccioris temp[...] menti hulceribus medetur, reliqua omnia contẽdit et irrit[...]

Ampelopraſum, seu syluestre porrum, acerrimũ existit [...] lidißimæq; facultatis in extremo à temperatis recessu. Q[...] circa exhulcerat, & uiscidos humores incĩdit, organa ob[...] rata obstrictione liberat, & stomacho perniciosum est.

Ampelos agrias, hoc est, uitis syluestris, cùm racemi, t[...] uirgulta, abstergentis sunt potentiæ, nonnihil tamen stip[...] citatis obtinent.

Ampelos hemeron, uitis satiua, eandem fermè quam ui[...] syluestris facultatem habet, nisi quod imbecillior est.

Bryoniæ, quam Græci ampeloleucen quoque, id est uite[...] candidam, & psilotron à depilandis coriis, quem usum h[...] bet, nominant, ramuli ueluti stomacho accommodati, ma[...] ducantur, & lotium proliciunt. Radix extergendi uim h[...] bet, & subtilium est partium, ac temperate calida: qua r[...] tione splenes induratos, si bibatur, liquat. Cum caricis eade[...] foris illita, scabies, leprasq; medicatur.

Ampelos melæna, uitis nigra, quæ et ipsa bryoniæ nome[...] habet, per omnia prædictã refert, nisi quod inefficacior es[...]

Amygdala amara extenuant, & ab obturatione tenaci[...] crassorumq; humorũ qui in alto corporis hærent, uindicant[...] cutem extergendi potentiã obtinent. Eiusdem etiã facultati[...] ipsa arbor est. Sed dulcia moderatam caliditatẽ sortita sunt[...]

Amylum, expurgato tritico ad hunc modum conficitur[...] triticum aqua ut madescat, sub Sirij stellæ ardoribus irriga[...] tur, aqua transfusa & commutata per diem quinquies. Vb[...] autem teneritudinem contraxerit, colata aqua, denuoq; infu[...] sa, furfures supernatantes cribro excepti separantur, & quamprimum sub sole priusquam acescat siccantur. Hoc mo[...] deratè refrigerat, siccat, & acria lenit.

Amomum

Amomũ uiribus acoro cõpar est: prætercuã quod acorus maiorẽ ſiccandi, amomum uerò coquẽdi poteſtatem obtinet.

Anagallis utraq; admodum extergentis eſt potẽtiæ, caloris etiam nonnihil, & nonnullas attrahendi uires continet, adeò ut ſurculos, ſpicula euellat. Succus ipſarum caput per nares mucum exugendo purgat.

Anagyrus teterrimi odoris frutex eſt, acris, calfaciens & distrahens, ſemen ualde tenuium eſt partium, & ciendæ uomitioni dicatum.

Andrachne, portulaca ex tertia claſſe refrigerãtiũ eſt, humectantiũ uerò ſecũda: qua de cauſa febre æſtuantib. aluo imposita opitulatur, fluxus expellit. Dẽtiũ ſtuporẽ, qui ab acido ex cõtactu cõtrahitur, ſuo lẽtore planat atq; emẽdat. Ob ſtipticitatẽ uerò opẽ dyſenteriis & ſanguinis eruptionib. cõfert.

Androſæmon duplex eſt: alterum quidem aſcyrrhon, ſiue aſcyrrhoides uocatur, & eſt ſpecies hyperici: alterum uerò dionyſias. Vtriuſq; ſemen expurgandi uim continet, ſed folia potentius deſiccant.

Androſarces, herba, amarorem & acrementum habet, naturamq; diſtrahendi & areſaciendi. Poteſt non tam ipſa quàm ſemen eius, potu urinam ducere.

Anemonæ, omnes acris, abſterſoriæ, euellentisq; & ora uaſorum aperientis naturæ ſunt. Pituitam itaque euocant, & lepras detrahunt appoſitæ, lacq; ſuppeditant.

Anethum, calfaciẽdi extenſam habet facultatem in receſſu temperatis ſecundo, areſaciendi uerò remißius: oleo elixatum diſcutit, dolores ſedat, ſomnũ conciliat, crudos et maturationi rebelles tumores concoquit. Crematũ tertiam calfaciendi ſiccandiq; diſtantiam induit, qua de re hulceribus humore flacceſcẽtibus impactum ſubuenit: humidius, minusq; calidum, eoq; maturatiuum magis eſt uiride.

Anthyllidis duo ſunt genera, ſed utraq; hulcera deſiccat. Quæ camæpityi non abſimilis eſt, tenuioribus conſtat partibus,

bus, adeò ut comitiali morbo obnoxios iuuet. Postremo in
tergendo maiorem efficaciam exerit, quàm altera.

Anisi semen acrius existens, calidũ & siccum in tertia
stantia est, eoq; lotium elicit, & flatus discutit.

Antirrhinum, uel anarrhinon, bubonio, hoc est inguina
herbæ similem sortita est potentiam, sed imbecilliorem: ex
lo igitur etiam huius coniecturam facito.

Anonis, ononis' ue excalfactoriæ uirtutis est, præsertim
dix: cuius succus cũ uino potus, non lotiũ modò proritat, s
lapides etiã dißipat, crustas frãgit, ac dentiũ cruciatus leni

Aparine, sunt qui philanthropon, qui omphacocarpon u
cant, moderatam habet abstergendi & exiccandi potenti
& subtilioris substantiæ quippiam.

Apios, pirus, dispparis tẽperaturæ est, partim terreæ, pa
tim aqueæ naturæ compos. Quapropter esu stomachum ad
iuuat, sitim sedat, cataplasmatis modo inducta exiccat, &
moderatè refrigerat.

Apocynum, uel cynocrambe, hoc est canina braßica. V
catur autem et cynomorum (id est canum mors) quod can
enecet ocyßimè: sed & homini letale uenenum est, satis teti
odorem spirans, citra ariditatem calida. Quocirca illitu im
pacta, distrahit.

Apochyma, resina zopissa, uetus à nauigijs derasa pix est
diffundendi et desiccandi uirtute donatum, tumores discutit

Araneus animal, autore Dioscoride, in emplastrum emol
litum, frontiq; & temporibus impositum, tertianarum febr
um circuitus persanat. Tela eius adhibita, sanguinis eruptio
nem compescit. Et hulcera in extima cute ab inflammatio
nibus uindicat.

Argemões herbæ potestas in abstergẽdo et dißipãdo sita est

Arisarum multo minus quàm aron est, & acrius, radic
oliuæ instar obtinens.

Aristolochiæ (id est, mali terræ) omnes species calidæ sunt,
petens

potentiæ, & subtiliorum partium, in astringendo efficaces, amarulentæ, subacres, atq; ad medicationes utilißimæ. Verùm rotunda tenuitatis longè plus, & ad omnia uires efficaciores continet. Sed quæ clematitis (hoc est sarmentacea) appellatur, fragrãtior quidem, sed imbecillior. Longa inter utramque medium facultatis locum obtinet, nisi quod caliditate sua rotundæ nihil concedit.

Arceuthos, iuniperus calfactoriæ siccificæq; in tertio ordine facultatis est. Fructus eius pari quidem modo calfacit, sed in prima distantia siccat.

Arcion herba, quam et prosopiten cognominant, folia colocynthidis similia continet, ampliora uerò & duriora. Naturæ distrahentis, exiccantis, & astringentis est. Qua ratione folia uetustis hulceribus succurrunt.

Arctium uerbasco respondet: radicem uerò teneram, candidam, & dulcem poßidet. Attenuantis, siccatoriæ, mediocriterq; extergentis potentiæ est.

Armeniacũ abstergẽdi uirtute cũ leuiuscula acredine, & exigua stipticitate præditum est: qua de re ocularibus inditur remedijs. Prodest itidẽ ad pilorũ in palpebris incrementum.

Arnabo in odoramentorũ cẽsu est, cuius rei gratia unguẽtis subinde inseritur, tertij calfacientiũ & arefacientiũ ordinis, caßiæ carpesioq; simile. Quamobrem in eius penuria, Posidonius cinnamomum in locum ipsius substituendum censuit.

Arnoglosum, plantago frigorificæ pariter et siccificæ facultatis est, secũda à tẽperatis distãtia, mixtoq; tẽperamento, partim quidẽ terrena, partim uerò aquosa substãtia constãs: obtinet austerum quiddam, atq; astringens. Eam ob causam aduersus malefica hulcera, fluxiones ac putredines idonea est, symmetria tẽperiei, & hæmorrhagias cõpescit, & multiplicis usus est, et plurimis cõferens: siccitatis etenim absq; erosione particeps est, frigiditatem torporis expertem obtinet.

Arum ex prima calfacientiũ & desiccantium classe est,

terrestrem & ipsum consistentiam calidam atque extergentem sortitum. Radices eius maiorem calfaciendi uim, sed dracunculo inferiorem poßident.

Arsenicum, auripigmentum urentem habet potentiam, quo ad denudandam pilis quamuis corporis partem utuntur. Quod nisi maturè detrahatur, ne cuti quidẽ ipsi parcet. Cæterum ustione subtilioris redditur essentiæ.

Artemisiæ, utræq; species artemisiæ calfaciẽdi uim habẽt in secũdo à medijs recessu, exiccãdi uerò in primo. Cõstat ex partib. raris, subtilib.q́;. Qua ratiõe renũ lapides cõfringũt, et ad muliebriũ locellorum fomẽtationes accõmodatæ sunt.

Artos, panis cataplasmatis modo illitus, potentiorem habet in distrahendo facultatem quàm triticum, id quod ad salis & fermenti naturam referendum est. Præditum enim extrahendi facultate ex alto fermentum existit.

Asarũ, acoro aßimilis est potẽtiæ, sed paulo magis intẽsæ.

Absbole, fuligo qua pictores utũtur, ex uitriarijs officinis colligitur, distrahẽtis & acris est potẽtiæ. proinde nõ tã adurit, q̃ exedit. Vulnerib. cicatricẽ cũ cerato rosaceo cõciliat.

Ascalobotes, stellio animal ad alia quidem nihil adfert momenti, à scorpij tamen ictu compunctos iuuare perhibent, si plagæ imponatur. Commiscetur etiam intendendi facultatem habentibus medicamentis.

Asclepias calidæ et aridæ facultatis, subtiliũq; partiũ, torminib. cum uino sumpta succurrit, illita uenenatorum ictus, uteriq́; & mammarum maligna hulcera medetur.

Ascyrrhi, in androsæmo facta est mentio.

Aspalathi facultas ex dißimilaribus constat partibus, acri pariter & astringente. Ex utriusq; ratione siccificæ est potentiæ, atq; ob id quidem medendis putredinibus & defluxionibus est utilis.

Asparagus petræus siue myacanthinus, abstergendi uim poßidet, media inter caliditatem & frigiditatem temperie.

Renum

Renum & hepatis meatus ab infarctu & obturatione uindicat, præsertim radices ipsius ac semen: quinetiam dentium cruciatibus medetur.

Asplenũ, facultatis quidẽ attenuantis est, non tamen calidæ, quo utiq; nomine calculos atterit, & renes comminuit.

Astaphis, uua passa, satiua quidem concoquit pariter & astringit, moderateq; discycit. Syluestris uerò tantæ acrimoniæ est, ut pituitã capitis per os deducat, et ualẽter abstergat.

Atticus aster herba, quã alij boniũ, id est inguinariã ob hoc ipsum appellãt, quod nõ solũ cataplasmatis more impacta, uerùm adalligata etiam bubonib. prodesse creditur. Mixtam facultatem, discutientem et refrigerantem sortitus est.

Astragalus, pusillus est fruticulus, radice astringente, arefaciens non instrenuè. Hulceribus itaq; diuturnis cicatricem inducit, alui fluores cohibet radix in uino elixa & pota. In Phæneo Arcadiæ, plurimo prouentu nascitur.

Asphaltus, bitumen secundi ordinis arefacientium & calfacientium est, qua de causa uulnera cruenta glutinat.

Asphodeli, hastulæ regiæ, radix cũ abstersione, discutiẽdi facultatẽ obtinet. Deustæ aũt cinis calidior, siccior, et tenuioris substãtiæ redditur. Qua de re capillorũ defluuijs medetur.

Atractylis, colus rustica, uel cnicus syluestris, ex spinarũ existit genere, persiccatoriæ et mediocriter calorificæ potẽtiæ.

Atriplex humida quidem in secundo excessu, gelida uerò in primo, ideoq; uentrem ocyßimè permeat. Semen huius abstergit, quamobrem contra morbũ regium ex iocinoris præfarctu, utilis est.

Aphace, modo lentis astringit: comesta concoctioni quàm lenticula contumacius renititur. Potentius cum moderato calore desiccat.

Aphronitrũ, tantæ digerentis et abstergẽtis est potẽtiæ, ut non sordida quæq; tantum detergere, sed prurigini etiam occipitulari poßit. Lædit autem, si potetur, stomachum.

Spuma nitri eiusdem cum nitro facultatis est, nisi quòd subtilioris est essentiæ, ac proinde contritum triticeæ farinæ speciem exhibet.

Achras, pirum syluestre, æqualis cum piro potentiæ est, sed magis quàm reliqua pirorum genera intensæ: cuius rei gratia ampliora committit hulcera.

Absinthium, ex prima calfacientiũ classe, exiccantiũ uerò tertia astringente, amarulẽta, & acri simul qualitate pollet, qua biliosos uentris humores cùm per aluum, tum per lotium exhaurit. Quibus uerò pituita in uẽtre retẽta redundat, his ob uim adstrictoriam nihil opis præstiterit. Succo eius lõge in calfaciendo præstantior uirtus est.

BAlani myrepsicæ, hoc est glandis unguentariæ internum seu carnosum, abstergentis & incidentis cum astrictione facultatis est. Ob hæc sanè non uomitiones modò cõcitat, sed per egestionem alui excrementa largiter deijcit, cum mulsa drachmæ unius pondere sumptum. Cæterũ cũ posca contra uiscerum obstructionem remedium est. Quin & foris cutis etiam uitia cum aceto illitum exterit. Cortex eius uehementem adstringendi facultatem possidet.

Bacharis, fragrantior est herba, cinnamomum referens, coronaria, acrimoniam gustu relinquens. Cuius radix elixa, obstructiones recludit, lotia ducit, & menstruas purgationes promouet. Folia eius quoniam adstringendi facultate pollent, cohibendis fluxionibus accommodata sunt.

Balaustium, syluestris mali punici flos est, ualenter adstringens, siccæ & gelidæ facultatis. Hulcera igitur quæ summã occupant cutem, cicatrice obducit, & fluxiones cohibet.

Balsamũ, quod instar ligni existit, calfaciẽdi et arefaciendi uim habet, secũda à medijs distãtia, & attenuantis est substantiæ. Opobalsamũ, hoc est liquor balsami, longè subtiliorũ est partium. Carpobalsamum, quod est fructus balsami, eiusdem quidem facultatis, sed partium subtilitate inferior est.

Baloten

Baloten alij marrubium nigrum uocant, acrem & detergentem habet potentiam. Cataplasmatis modo cum sale impactum, ictibus rabidi canis opitulatur.

Bati rubi fruticosum, potentē adstringendi siccandiq; uirtutē obtinet, quo nomine uulnera conglutinat, et destillationes fluoresq; cōpescit. Radix eius prœterquā quod constipat impensius, non exiguam habet consistentiæ subtilitatem, qua lapides renum confringit. Fructus, siquidem maturus sit, cū moderata quadā astrictione calidior, et ob hoc etiā uescus est: immaturus uerò cōstringit, & potenter exiccat, præsertim desiccatus. Congeneres etiam facultates flos obtinet.

Batrachi, ranunculi quatuor sunt speciatim discrimina, omniū iusto calidior et siccior est potentia, acris uidelicet & urens, adeò ut non sine dolore exhulceratione excitent. Quibus si intra modū utare, cutis tātū uitia abstergūt. Radix aūt eius arefacta medicamētum sternutationi ciendæ præstabit.

Batrachi, ranæ in iure esculento elixæ, à uirulentis morsibus percußis utiliter eduntur: combustarum uerò cinis quoniam deustione siccißimus euadit, sanguinis eruptiones sistit, admixtaq; liquida pice alopecias sanat.

Bdelliū tā Scythicū quàm Arabicū, ad indurata emolliendū quodāmodo natū est, præsertim uerò recētia. Arabicū urinā quoq; proritat, lapides cōminuit, & cruda concoquit.

Betonica persubtilibus admodum ramulis herba est, frondes pulegio similes sortita, sed graciliores, & tantum non qualitatis expers gustantibus. prouenit frequenter locis saxosis, qua et in renū medicaminibus utuntur. Est uerò apud Romanos adhuc alia quædā betonica cognominata, quæ à Dioscoride cestrō uocatur, ab alijs uerò psychrotrophon, eo quòd gelidißimis gaudeat locis, excepta efficacia, nihil poßidens affine superiori. ad prouocandum lotium, & alia bene multa egregie prodest. Porrò radix ipsius uomitiones irritat, si cum hydromelite bibatur: folia autem aluum deijciūt.

Bechiũ, tußilago, ſunt qui bechicō nũcupent, inde adeō quòd bichas, hoc eſt tuſſes, & non niſi recta ceruice ſpirandi anguſtias perſanandi prærogatiuā quādam habere uideatur ſuffitum. Conſtat uerò ex calida & aquea ſubſtantia.

Blitum eſui idonem olus, humidum & frigidum eſt in ſecundo à temperamento receſſu.

Bulbus, qui edendo eſt, leuem quandam amaritudinem, pariterq́; adſtrictionis puſillum continet: deſiccat, abſtergit, & conglutinat uulnera. Bulbus autem uomitorius eſculento longè calidioris eſt potentiæ.

Botrys, quam ambroſiam nonnulli, quidam artemiſiam nuncupant, planta eſt inſigniter odorata, quæ cum uino ſumpta, orthopnoicis opitulatur.

Buboniũ, aſter Atticus nũcupatũ, in aſteris hiſtoria traditũ.

Bugloſſum, lingua bubula, calefacit & humectat. quamobrem in uinum deiectum, animi uoluptates lætitiamq́; conciliare perhibent.

Bunium, quod aliqui arction dicunt, calidum eſt, urinam menſesq́; promouet. Falſò uerò bunium, quod pſeudobuneon nominant, illi eſt aßimile.

Bupreſtis, beſtiola eſt, canthari di non abſimilis, eamq́; ob cauſam haud aliter quàm illa reconditur.

Butyrum, maturat, & mediocriter diſtrahit, in tenellis corporibus. Bubonibus itaque & abſceßibus circa aurem præſenti eſt remedio, gingiuas extenuat, præſertim puerorũ dentientium. humores pectori impactos, linctum concoquit.

Buphthalmon, florem gerit chamæmelo ſimilimũ, uerùm multo grandiorem & acriorem, qua de re diſcutiendi etiam uim obtinet, ita ut duritias quoq; cerato mixtum curet.

Brathry, ſabina cupreſſo ſimilis eſt, calefacit & ſiccat in tertio à temperatis exceſſu, & tenuißimis eſſentiæ partibus conſtat. extenuat itaq; & digerit pota. Putredinibus cupreßi more accommodatur.

Bretanica

Bretanica astringit pariter & conglutinat, syluestri rumici facie & figura similis. Expressus ex bretanica succus, oris putredinibus subsidio est.

Bromus, auena legumen uirib. hordeo respondet. Arefacit aũt, & moderata citra uellicationem distrahit, stipticitatisq; nonnihil obtinet, ac proinde uentris fluoribus remedio est.

Bryon thalaßion, muscus marinus refrigerantis & astrictoriæ est potentiæ, feruentibus itaque inflammationibus illitum subuenit.

Bryon, quod splanchnon à quibusdam nuncupatur, in quercubus albisq; populis pariter & piceis repertum, digerentis simul & emollientis mediocriter potentiæ est, præsertim quod in cedris inuenitur.

Bryonia, in uitis candidæ historia explicata est.

GAla, lac omne è trib. conflatum est essentijs, caseosa, serosa ac pingui, qua comprimis abũdat bubulũ, unde & butyrus efficitur. Serum ipsius absterſoria præditum est potentia, qua de causa aluum quoque subducit, si ipsum decoctione secernas: caseosum uerò lac, crassum'que magis obstruit, atque ob id quidem acredinem retundit. Lac cum litoralibus lapillis candentibus, alias'ue decoctum, inculpatius fit, & præstantißimum intestinorum torminibus, & acribus uentris fluxionibus remedium. In totum uerò lac, contra acria oculorum rheumata, & alias quascunq; acrimonias competit. Temperatißimum autem omnium lac est humanum, mox caprillum, deinde asininum pariter & ouinum, postremò bubulum.

Gales, mustelæ crematæ cinis abũde distrabit: cũ aceto itaq; illitus, misera pedũ ualetudine arthritideq; oppressos medicatur: torrefacta aũt et inueterata magno etiã morbo opitulatur.

Galium, appellationem ab eo quod lac coagulet, obtinuit: aparinæ non absimile, uires desiccandi cum acrimonia quadã leni sortitum est. Flos eius contra sanguinis eruptiones & combusta est præsidio.

Galipsis, alij galibidolon nuncupant, urticæ neutiquam absimilis est herbula, leuorem tamē maiorem, uirosumq́; & graueolentum emittit odorem, discutit, & scirrhosos tumores emollit. opem hulceribus quæ depascendo serpunt, cataplasmatis modo illita confert.

Garum excellenter calefacit & exiccat, qua de causa medendis putrescentibus hulceribus foris quidam adhibent. Infunditur item utiliter his, qui intestinorum torminibus, & dolore coxendicis tentantur.

Gentiana radix, magna satis efficacia expurgare, attenuare, detergere, & ab infarctu deniq; uindicare potest.

Geranij una quidem species, folijs est anemonæ similibus prædita, radice esculenta, quæ in uino drachmæ unius pondere sumpta, inflationes uteri discutit. Altera uerò huius herbæ species, ad medicinas inutilis est.

Ge, terra quælibet exiccandi uim habet: quæ uerò nulli alteri mixta essentiæ est, id etiam sine corrosione præstat. Quòd si ignea quædam illi qualitas admisceatur, hanc etiam lotione exuit. Terræ cultæ quælibet pinguitudo, ad cuiusuis membri exiccatione opus habentis medelam, utilis est. Luti Aegyptij ad aquaticeas & lienosas afflictiones in medicina usus est, tum ad laxos quoq; tumores haud obscurè proficit. Ex terra medicaminosa, Lemnia rubrica, quæ sphragis, hoc est sigillum appellatur, desiccat, & astringit moderatè, uirulentis medicaminibus præsentaneum amuletum existit. Medetur itidē maleficis hulceribus, admixto aceto, seu uino. Sanguinis eruptiones quascunq; sistit, & intestinorum tormina, depascentium quoq; hulcerum naturam imitantia, intestino mulsa prius, mox salsilagine etiam eloto sedat. Minium, rubrica Sinopica, maiorem habet uim quàm Lemnia: emplasticis inseritur remedijs, tæniasq́; uentris in potu sumpta interficit. Samia terra mitior quàm Lemnia est, ceu glutinans & uiscosa. Vtendum itaq; ea est, quotiens mitigationem

tionem res ipsa postulat: quibusuis sanguinis, quacunq; parte erumpat, reiectionibus auxiliatur. Selusina terra, Chiaq; uim abstersoriam multo potentiorem obtinent: qua de causa mulierculæ quædam ea ad lenocinium faciei inducendum, cutim læuigandam & erugandam utuntur. hulcera carnibus explent, & ad cicatricē perducūt, præsertim ambusta. Creta cimolia mixtam facultatem obtinet, frigorificam & diaphoreticam illota. Abluta uerò refrigerat uehementius, & ambustis ex posca subuenit. Ampelitis à uineis nomen sortita est, quòd illita innascentes uitibus uoluoces uermiculos enecet. Habet insuper arefaciendi & discutiendi strenuas nō sine erosione uires. Cretica terra aerosa est, et citra mordicationem abstersoria. Eretria terra euidentem adstringendi uim poßidet. Cremata uerò arefacit sine morsu. Probatur magis cinerulenta. Pnigitis terra, eadem potest quæ cimolia, sed est non paulò nigrior. Armenia, quam bolum dicunt, summè persiccat: proinde intestinorum torminibus, alui profluuijs, reiectionibus sanguinis, tabi, difficultati anhelitus ex humiditate, humētibus hulceribus, & pestiferis deniq; affectionibus egregiè subuenit. Interdum cum uino tenui diluto: si febris infestat, cum aqua potatur. Alana uerò gleba æqualem habet Armeniæ effectum. Ochra, distrahentis & exedentis est potentiæ. Quapropter carnes lasciuientes, & hulceri supercrescentes compescit, & uacua explet, si cum cerato mixta adhibeatur.

Geras, senecta, exuuiæ anguis summè desiccāt: quare cū aceto decoctæ, dentiū cruciatus adiuuāt. Aspidis senectus oculorū aciē plus alijs exacuit, si trita cū melle oculis illiniatur.

Ges entera, intestina terræ (uermes terrenos quidam uocant) læuigata, & neruis saucijs impacta, maturrimè ad miraculum usq; succurrent.

Gigarta, nuclei acinorum uuæ exiccant ordine secundo, refrigerant uerò primo, gustuq; abundè acerbi sunt: affatim

fluxibus idcirco quibusq; conueniunt.

Gingidium non admodum euidentis calfactoriæ facultatis est. Exiccat autem in tertio à temperatis excessu, atq; astringit: proinde gratum est stomacho.

Glaucium astringit cum insuauitate quadam, refrigerat non obscurè, sacrosq; ignes non adeò ualidos sanat.

Glaux herba, temperaturæ calidæ est atq; humidæ, & proinde nutricibus lactis ubertatem generat.

Glechon, pulegium excalfacit & attenuat potēter, quapropter emplastri modo impositum, rubrificationem inducit: ex pectore & pulmone, humidos, crassos, atq; tenaces humores, excreatu faciles & ductiles reddit.

Glœos, hoc est, strigmentum sordesq; balneorum modicè calfaciendi, emolliendi, discutiendiq; uim habet, rhagadibus & condylomatis confert.

Glycyrrhiza tepida & humida est temperamento, cum leuiuscula quadam ui adstrictoria. Qua de causa asperitates lenire solet, neque tantùm in arteria, sed etiam in uesica scabra. Siti extinguendæ habilis.

Glycysiden quidam pentomoron, nonnulli pæoniam uocant, cuius radix acrimoniam habet, & leuem amaritatem cum ariditate coniunctam, nonnihil astrictionis quoque obtinens. Mouet itaque menses, renes, iecurq; emundat, amygdali quantitate è uino sumpta. Si uerò uinum, in quo potatur pæonia, fuerit austerum, alui profluuia sistit. Alligata, pusionum comitialibus medetur.

Gnaphalium, centuncularis herba, inde à Græcis nomen sortita est gnaphalion, quòd folijs eius subtilibus, & ob mollitiem sequacibus, tomenti loco utantur. Sunt autem candida, & leuiter astringentia. Qua ratione cum uino astringente contra intestinorum tormina bibuntur.

Gongilidis, rapi non tam radix, quàm semē inflandi uim retinent, semen genitale procreant, ueneremq; excitant.

Gorgy-

Gorgylum, sunt qui seseli appellant, calidum est, urinam & menstrua ciens: radix eius cum melle lincta, uitiosos pectoris humores educit.

Gyris pollen farinaceus, uires habet amylo congeneres, sed calidior quadantenus.

Gypsum præterquàm quod exiccat, opplendi facultatem obtinet. Quo fit, ut sanguinis eruptionibus opituletur, diluum cum polline & oui albore. Crematum non tantam opplendi uim obtinet, sed exiccandi maiorem, retunditq;, potissimè cum posca.

DAdes, tedæ nonnihil acredinis habēt, & uim concoquendi, & detergendi. Proinde in aceto elixæ, iureq; eius, ore dentibusq; collutis, cruciatus dentium placant. Quòd si cum melle sumantur, caput pituita per palatū exonerant. Linctibus permixtæ, quæ in pectore hærent, ductilia, excreatuq; facilia efficiunt.

Damascenorum uberior fiet in Prunis mentio.

Damassonium abstergentis est potentiæ, ac proinde calculos cōfringit, & quæ per aluū diffluūt, ad urinas deriuat.

Dauci (quem & staphylinum nuncupant) duæ sunt species. Satiui radix flatuosa est, eoq; ad uenerem excitat. Syluestris uerò dauci semē, nihil flatuosi habet, sed lotij & mensium proritandi uim continet. Eiusdem facultatis ipsa existit etiam herba.

Daphnes, lauri arboris folia siccant, & excellenter calfaciunt, sed baccæ magis quàm folia. At radicis cortici amaritudinis & acerbitatis nōnihil inest, lapillosq; comminuit. Si potetur ex uino fragrante, triobolari pondere, iocinorosis est præsidio.

Daphnes herbæ, quæ & Alexandria uocatur, temperamentum est calidum, gustus acris pariter & subamarus. Quamobrem menses & lotia proritat. Cæterum daphnoides, hoc est, laureola, potentiæ persimilis Alexandriæ est,

quem-

quemadmodum sanè & quæ Chamædaphne nomẽclaturam obtinuit, quæ utiq; etiam ipsa esculenta est.

Derma, pellicula ouis recens detracta, & etiamdum calida, his qui quocunq; modo uapulauerunt circumposita, mirificè succurrit.

Hippopotami, hoc est, fluuiatilis equi pellis combusta, atq; cum aqua trita, & superinducta, panos discutit. Pellis uiperina læuigata, & impacta, in alopeciæ glabretis, pilos cum admiratione reuocat.

Solearum ueterum coria, igne cremata, cinerem ualde exiccatorium reddunt. Quamobrem ex calciamentis, pedum attritibus nõdum inflammatis et ambustis, intertriginibus, carniumq; excrescentijs medetur.

Dictamnus subtiliore potentia constat quàm pulegiũ, cætera similis. Verùm quæ pseudodictamnos, id est falsa dictamnus appellatur, imbecillior est.

Dionysias, in dictione Androsæmon explicata est.

Diphryges mixtam sortita potestatem est. Complectitur enim in se acerbi nonnihil, & acremẽti aliquantulum. Quo nomine hulceribus malignis præsens est remedium.

Dipsaci spinæ radix exiccatoria est, in secundo abscessu: cæterum abstergentis nonnihil potentiæ habet.

Dorycnium frutex papaueri & mandragoræ, æquipollentem habet temperaturam, extremæ frigiditatis. Cuius sanè si modicum sumatur, stuporem conciliat: si paulo largius, interficit.

Dracunculus aro æquale quiddã poßidet, sed illo acrior, amarior, calidior, subtiliorisq; substãtiæ est, & leuiusculam quandam adstrictionem permixtam habet. Radix ipsius uiscera, si in potu fuerit hausta, expurgat. Saluberrimũ peruicacibus & maleficis hulceribus est præsidium. Folia similem facultatem sortita sunt. Fructus efficacior est.

Dryopteris, querna filix, gustantib. mixtam exhibet qualitatem,

litatem, dulcem & subamarulentam. Radix acerba est, & uim habet exedendi, quæ glabreta inducit.

Drys, quercus non tam folia quàm glandes exiccatoria et tepida facultate participant. Ob hoc uulnera nō uetusta ceu glutino compingunt, inflammationes iam primùm inchoantes sanant. Porrò mēbranosum quod sub corio glandis latet, & carnem fructus conuestit, quoniam astrictionis multo plus continet, supprimendis fœminarum fluxibus, & alijs quibuscunq; profluuiosis ægritudinibus exhibetur.

Ebenus lignum, uim habet excalfaciendi & extergendi, tenuioribusq; partibus cōstat. Quo nomine quæ tenebras pupillis offundunt, extergere æstimatur. Inseritur item alijs medicamentis ocularibus.

Encephalos, cerebrum leporis elixum & læuigatum, si ... stur, pueris dentientibus prodesse dicitur. Nec desunt, qui id comesum tremoribus succurrere memoriæ tradiderunt. Cerebrum gallinacei in uino bibendum, contra serpentiū ictus exhibetur, autore Dioscoride. Sanguinis eruptiones à cerebri membrana profluentes compescit. Cerebrum cameli, ut tradit Galenus, aridum cum aceto potum, comitialibus medetur. Idem præstat mustelæ cerebrum. Hirundinis cerebellum melle temperatū, oculorum suffusionibus suffragatur. Ouinum cerebrum similiter præparatum, infantium dentitionibus exquisitißimè subuenit.

Elea, germinationes oleæ tantum refrigerant, quantum astringunt. Oliuitas uerò siquidem exactè maturuit, temperatè calfacit. Immatura acerbior & frigidior est. Lachryma oliuæ Aethiopicæ, subtile ammoniacum præferens, naturam habet abstersoriam. Hinc cicatricibus medendis, albuginibus, obtusæ item oculorum aciei succurrēdæ adhibetur. Quin & dentium cruciatus arcet, si cauis ipsorū inseratur. Nonnulli uerò hanc oleastrū, id est oleā syluestrē autumant.

Eleon, oleum quod ex oliuis drupis conficitur, dulce, calidumq;

dumq; moderatè, magis uerò humectans. Oleum, quod e crudis & nondum inchoatæ maturitatis oliuis expressu est, à Græcis omotribes & omphacinum nuncupatum, qua tum in se habet adstrictionis, tantæ etiam frigiditatis parti ceps est. Oleum uerò elotum, rosionis exors minimè mordi cat. Oleo ueteri quantum diuturnitatis, tantum etiam calidi tatis accedit, & potentiores ad discutiendum uires acqui rit, potißimè si initiò ex tenuioribus partibus constiterit: ex eo autem censu habetur purum atq; pellucidum, & cuius ue momentum, magnam corporis partem inungit, promptißi meq; penetrando à cute imbibitur. Huiusmodi autem præci puè Sabinum existit. Quod ex oleastro funditur, astringit si mul & abstergit. In omni oleorum genere id omnium plan squalidißimum est. Veteri oleo uiribus omnino æquipolle rhicininum. Reliqua olea, sesaminum uidelicet & raphani num, & quæ id genus sunt alia, pro cuiusque unde constan essentia, uaria etiam uirium discrimina sortiuntur.

Elæomeli in Syria, oleomel ex quodam arboris caudice sua spōte manat, melle craßius, sopore dulci, quod crudos hu mores & biliosos per aluū detrahit, duorū cyathorū mēsura cum aquæ hemina potū. Veruntamen qui hauserunt, in ueter num torporē deficientibus uiribus incidunt: quod tamen ex pauescendū non est, uerùm à sopore excitandi sunt crebrius.

Elaterium, succus syluestris cucumeris fructus appella tur, quòd è secundo calfacientiū ordine existens, menses pro licit, & fœtus in utero apposit, extrema qua pollet amari tudine necat. Expurgat præterea nares cum lacte illitum. Deducit ipsam quoq; pituitam per inferna factus ex eo cly ster, non rarò etiam sanguinem.

Elate, abies arbor, ut nigra populus, calfacit & exiccat. Resinæ ipsius inter cæteras resinas fiet mentio. Elatine her ba est helxinæ similis, mediocriter refrigerās et astringens.

Elaphaboscos, ceruiocellus, calfacientis & siccificæ fa

cultatis

cultatis est, in secundo à temperie excessu, & tenui substantia subastringit.

Eleliphacus, saluia insigniter calfacit, & leuiter adstringit. Helenium, inula campana calfaciendi arefaciendiq; potestatem cum humiditate recrementitia obtinet, eam ob causam linctib. permixta lētos humores, qui in pectore hærent, educit. Membra quoq; rubrificat, cuteq; incisa exasperat.

Eleoselinum, hoc est, apium palustre, nascitur locis humidis & aquosis, satiuo grandius, atq; ad eadem efficax.

Elephantis unguiū scobes cataplasmatis modo impactæ, reduuijs remedio sunt. Ossium uerò ac dentium ramēta, exiccandi & extergendi facultate donata, in id genus medicamentis frequenter usurpantur.

Helcysmata, argenti recrementa appellantur, ea plumbagini consimiles habēt uires. emplastris fuscis, quæ phæas nuncupant, & ijs quæ cicatricem conciliant, inseritur, quoniam astringunt & euellunt.

Helleborus, ueratrum tam candidum quàm atrum, iuxtà calfaciendi siccandiq; uim in tertio excessuum ordine possidet. Est præterea acri & abstersoria ui præditum. Quo fit, ut ad leprosa cutis uitia emendanda conueniat. Nigrum per triduum fistulis infusum, callum detrahit.

Helichryson à quibusdam chrysanthō, à nonnullis etiam amaranton nūcupatur, planta coronaria est, comam aureæ lucis præferens: quæ in uino pota, angustijs urinæ, cōtra serpentium morsus, coxendicum dolores, ruptaq; remedio est. Ciet eadē menses, grumosq; sanguinis hausta ex mulso dissoluit, & à capite in subiectas partes destillationib. opitulatur.

Helxine, parietaria, sunt qui perdiciū, sunt itē qui parthenio, nec desunt qui sideritim, et qui heracleā uocēt. uirtus eius est abstergere, & cum humore subgelido leniter astringere.

Helxine alia est, quæ cissampelos appellatur, ea discutiendi uim possidet.

Blymus

Elymus, panicum, sunt qui melinen nūcupent, milio simile legumentum est, siccatorium & frigorificum, foris impositum etiam uentris fluores exiccat.

Empetrum etiam prassoides uocatur, medicamentum ad purgationes pituitæ pariter ac bilis est, gustantibus salsum, eapropter abstergendi quoque uim habere creditur.

Epithymum, thymo efficacius, ex tertio arefacientium & calfacientium ordine atros purgat humores.

Epimedio cum aqueo humore facultas est mediocriter frigorifica: quod illitum, mammas rectas turgentes conseruat. fertur etiam sumentibus potu sterilitatem inducere.

Epimelis, quæ unedon etiam à colonis Italicis nominatur, syluestris pomus est, cuius fructus acerbitate linguam tentat, stomacho officit, capitisq; dolores infert.

Epipactis, ab alijs helleborina uocatur, quæ in potu sumpta, iocinoris affectibus & contra uenena utilis est.

Erebinthus, cicer, legumentum familiare & flatuosi spiritus est, copiosi alimenti, aluo utile, lotio mouendo idoneum, ad genituræ lactisq; creaturam habile, muliebriaq; promouens. Porrò quod crium appellatur, hoc est arietinum, cæteris efficacius urinam prolicit. Decoctum eius lapillos in renibus comminuit, præcipuè nigri. Reliqua uerò cicerum species, quæ orobea uocatur, his calidior est, & amaritatis particeps. Syluestria omnibus numeris satiuis sunt efficaciora.

Eria, fomentis accommodatæ sunt lanæ recens ab ouibus detonsæ, necdum à sordibus repurgatæ. pinguetudo nanque earum, quæ œsypon dicitur, in coquendo butyro similis est. Mundata uera lana, nihil præterquam materia, excipiendis uidelicet liquoribus, idonea est. Cremata uerò acris est, calorifica, exiccatoria, cum partium subtilitate. Ex uligine itaque flaccescentes hulcerum carnes maturrimè eliquat.

Erice, disijciendi uiribus sine erosione pollet, in quem usum florem eius potißimum ac folia usurpant.

Erinos

Erinos, aquatica herba est, cuius seminis drachmæ duæ, cum mellis drachmis quatuor illitæ, oculorum destillationes sistunt. Finit aurium dolores instillatus eius liquor.

Hermodactyli radix facta ad purgationes per se, & deco ctum ipsius est. Priuatim aũt articulorum doloribus in ipso fluxus tẽpore dedicata, uerùm stomacho nimium incõmoda.

Serpillum, usq; adeò calfactorium est, ut cùm menstrua, tum lotia proritet.

Erythrodanum tinctorum rubia, radix est acerba & gu stui amara, cùm lienem, tum iecur, tum renes ita expurgans, ut interdum urinas etiam sanguinolentas proliciat, mensesq; cieat, cutis rugas sordesq; exterat.

Erysimi, irionis semen, nasturtio similiter facultate igneũ & flagrans est, qua de re in fermento tostum, pectus in ecle gmatis expurgat, duritias emollit, & latentibus denique can cris illitu auxiliatur.

Eusomon, eruca quoq; eiusdem temperamenti, inflationes facit, quamobrem in uenerem stimulat. Semen lotium proli cit, syluestris tamen multò quàm satiua efficacior est.

Eupatorium cum partium tenuitate incidentis est poten tiæ, citra feruorem manifestum: proinde iocinoris infarctus expurgat, & adstrictoriæ uirtutis particeps est.

Euphorbium exurendi & attenuandi cæteris liquoribus similem uim obtinet.

Ephemerum non letiferum illud, sed cui iris syluestris no men est, compositum temperaturæ facultatem habet repellen tem, & halitu euaporantem.

Echidnæ, uiperinæ carnes temperamento sunt calido & sicco conspicuè, per cutem uniuersam corporis molem repur gãtes: quapropter aliquot multi elephantiasi correpti, cùm in cibo, tum in potu sumentes, sanitati restituti sũt. At quæ circa mare, aliisq; locis aridis degunt, sitim magis inducunt.

Echinus, herba est acerba, repercutiendi atque exiccandi

uim obtinẽs. Erinacei terrestris fel, defluentes capillos g
tinat. Caro eius exiccata, uehemẽter discutit, et exiccat. Qu
nomine elephantiasi correptis, maloq; habitu præditis, cæ
risq; pluribus malis succurrit. cutis eius deusta, multo ualen
tius arefacit, acriusq; discutit. Alopecijs cum pice liquida il
ta auxiliatur. Quicquid in marino echino edendo est, urinar
trahit, & bonum aluum efficit. Testa cremata, æqualem te
restri facultatem induit.

Echion alij doriada, alij alcibiadion appellant: ea spino
sa est herba, quæ non tantum serpentium morsus epota cum
uino curat, sed præpota etiam ab eorum morsibus tuetur.

Hepsema, mustum decoctum, quod à quibusdam siræon
nuncupatur, moderatam calfaciendi & concoquendi uirtu
tem, atq; emplasticum absq; erosione obtinet.

ZEa eiusdem est cum tritico potentiæ, medium quodammo
do inter calfaciendum & refrigerandum locum possi
dens, leuiter exiccat, & opplendi uim obtinet.

Zingiberis radix potenter quidem excalfacit, neq; primo
tamen statim occursu, ineuictæ cuiuspiam humiditatis, et cras
sioris essentiæ particeps est, ideoq; teredinibus facilè tenta
tur, sed constantem seruat caliditatem.

Zythus, mixtæ consistentiæ est, acrimoniam quandam gu
stu præferens, utpote ex putredine constans, & frigidus ra
tione acidæ qualitatis: proinde succi etiam praui.

Zyme, fermentum etiam ipsum ex contrarijs facultatibus
est. aciditatis nanque gelidæ, calorisq; ex putredine profici
scentis, præterea eius quæ salis atque farinæ natura constat.
Est igitur haud mediocriter calidum, discutiendiq; potestate
præditum.

Zomos, piscium recẽtium ius uentrem subducit, cùm per
se, tum uino admixto epotum: peculiariter uerò ex phycidib.
scorpionibus, iulidibus, percis, alijsq; saxatilibus molliusculis
simpliciter cum aqua, oleo, & anetho, & sale elixis. Eorum
itidem

itidem quibus testa pro cute est, tellinarum, hiatularum, conchularum, & gallinacei antiqui cum sale diutißimè elixi, iusculum, uentrem subducit. E diuerso, gallinæ ius cohibet.

HEdiosmum, menta, calidum, subtile, acre, ex tertia diuaricantium à temperie classe, cum humiditate semicoctum, qua in Venerem stimulat. Præditum item amaritudine quadam, ideoq; lumbricos interimit. Acerbitatis uerò ratione, nõ inueteratas sanguinis reiectiones sistit.

Hedysarum, quæ & pelecynus uocatur, gustu amarum, et subacerbum: unde si potetur, accommodatum est stomacho, et uiscerum infarctus expurgat.

Heliotropium maius, quod & scorpiuron appellant, calidæ, siccæ, & detergentis facultatis existit. Cuius decoctum pituitam expellit, atq; bilem, semen eius instar emplastri superinductum, formicas, & id genus alias uerrucas exiccat. Minus & hæc abolet, & lumbricos latos interficit, cum semine suo nitro, hyssopo, & cardamomo potum.

Electrum, succinũ populi albæ lachrymã perhibent, quæ prope flumẽ Eridanum destillans congelascit, aurum colore præferens: cuius uis est, si potetur tritum, stomachi, uentrisq; fluores & sanguinem coercere.

Hemerocalles, radicem habet lilio æmulam, & uiribus æqualem: neque aliter quàm id, ambustis succurrit.

Hemionitis cum stipticitate amaritatem obtinet: quo nomine cum aceto pota, lienosis subuenit.

Hepar, canis rabie agitati, tostum, & in cibo sumptum, morsibus quos idem rabiens canis intulit, opitulari creditur. Capræ, assati iocinoris deciduus aquosus sanguis, lusciosos, si oculis instilletur, iuuare. Prodest præterea, dum id coquitur & torretur, lusciosorum oculos eius fumo uaporari. Confert idem iecur assum. Quod comestum, comitiales arguit. Iecur hircinum eadem præstare dicitur.

Tradunt lacertæ iecur exesorum dentium cauis inditum,

dolorem sedare. Lupinum hepar medicamento iocinoroso quod eupatorio constat, admiscetur. Prodest comitialibus iecur asininum tostum, à ieiuno sumptum. Aprugnum, aut si mauis dicere cluninum, recens exiccatum, si tritum cum uino bibatur, serpentium morsibus succurrit. Calculos postremo mergi iecur aridum, potumq; expellit.

Erigeron, senecio mixtis constat uiribus, frigorifica nempe, & mediocriter discutiente.

Eryngium calfacit quidem, non euidenter: siccitatis autē neq; clandestinæ, neq; exiguæ particeps est.

THalattion hydor, aqua marina, acre, calidum moderatè, exiccatorium: stomacho, potum, infestum. Aluum turbat, & pituitam trahit. Quo calido quæ extrahenda distrahendaq; sunt, consperguntur.

Thalietrum herba, uires siccandi absq; erosione habet, diutina igitur hulcera ad cicatricem perducit.

Thapsia, acris est, & uehementer cum humore calfacit. quare è profundo uiolenter euellit: quodq; extraxit, discutit.

Theio, sulphuri quoq; euellendi uis est, cum essentia tenui usqueadeò, ut aduersus non pauca animalia uirus eiaculantia resistat, præsertim turturem marinum, atq; draconem, siue aridum ictui inspergatur, siue cum saliua mixtum, seu pueri urina maceratum, uel cum oleo, uel melle. Quin & psoris portentosæ succurrit.

Thermus, lupinus qui edendo est, opplendi uim habet. Inest illi amaritas, cum extergendi, disijciendi, & exiccandi uiribus absq; erosione. Lumbricos tum illitu, tum potu interficit. Viscera cum ruta & pipere potus expurgat: quinetiam cutis uitia extergit, tumores ac tubera cum aceto mulso emplastri more impositus, dißipat. Lupinus syluestris amarior est, atq; ad omnia efficacior hortensi.

Thelypteron, quam aliqui nymphæam, aut pterin cognominant, filici non tam forma quàm uiribus æqualis est: quæ cum

cum uino ſumpta, latos & teretes lumbricos interficit. Conceptum uiuum necat, mortuum eijcit, folia ipſius eſa aluum molliunt.

Thlapſi ſemē tam acrem facultatem obtinet, ut internos abſceſſus potum confringat, menſesq́; pellat. Per anum infuſum, coxendicis doloribus auxilio eſt, & ſanguinolenta exhaurit: atq; alioqui non tam per ſuperna, quàm per inferna, bilioſos humores acetabuli menſura epota euacuat.

Thridax, lactuca, holus eſt non extremè frigidum & humidū, ſed pro aquæ fontanæ temperatura: quare inflāmationibus calidis confert. Sitim reſtinguit, genituræ profluuium compeſcit, & ueneреas in ſomno imaginationes coercet. Agreſtis lactuca minorem habet quàm ſatiua cùm refrigerandi, tum humectandi potentiam, uerùm ſucculentior eſt.

Thymus, calefacit & exiccat, in tertio à temperatis exceſſu, tenaces ac uiſcidos humores incîdit.

Thymbra, ſatureia ſylueſtris, æmula uiribus thymi eſt: contubernalis uerò, ad omnia quidem infirmior, ſed ad edendum potior.

Ex thymelæa granum cnidium, quod ſemen eius eſt, colligitur, cui uiribus reſpondet.

IDæa radix guſtu & uiribus acerba, ad ſanguinis eruptiones, & quaſcunque rheumaticas affectiones idonea eſt, ſiue potetur, ſiue extrinſecus applicetur.

Hidron, ſudorem per ſe quidem colligere arduum eſt, miſcetur autem in palæſtris exercitatorum ſordibus cæromati confuſis, acquiritq́; multum facultatis digerentis. Proinde inflammationibus uberum conflictatis, efficaciori ſunt auxilio, & ad extinguendum quod flagrat in ipſis conducit. Facit etiā medendis bubonibus. Quod ſi aridior uidebitur, ſubigendus eſt cum cyprino aut roſaceo.

Ixos, uiſcum ex eorū claſſe eſt, quæ cū acrimonia quadā calfaciūt, eā ob cauſam uiolēter ex alto euellit, eosq́; diſsipat

ad instar thapsiæ, præterquam quod illa inefficacius est

Ion, uiola: uiolæ folia aquea & subgelida substantia plu culum pollent:

Ios, ærugo gustu acredinem præfert, discutientis, repu gantis, et secantis naturæ: non teneræ tantũ carnis, uerùm d riusculæ etiã. Quod si quis copiosiori cerato pusillum ærug nis cõfundat, medicamentũ absq; erosiõe abstersoriũ efficiet

Hippocampus, animal marinum, perpusillum est, cuiu combusti cinis cũ liquida pice, capillorũ defluuia instaurat

Hippolapathon, grandis rumex, in palustribus nascitu locis, rumici uiribus proxima.

Hippomarathrum, grande fœniculũ canchryi nõ absimile ualentius quàm fœniculũ desiccat. Quo quidem fit, ut aluũ lu bricã sistat, lapillos comminuat, & menses proliciat. Semen coriandro simile, sed illo imbecillius existit.

Hippopotami, hoc est fluuiatilis equi testiculus, aridus po tus, serpentium morsibus subuenit.

Hipposelinum, apio satiuo facultate respondet, nisi quod illo est ignauius.

Hippuridi, equiseto cum amaritate qualitas est stiptica, ualenter simul & absq; erosione exiccans, ac proinde gran dia quoq; uulnera committit, intestinorum ramices iuuat: & affectibus fluidis, uino pota, medetur.

Hippophaes, lappago, uel ut alij appellant hippophæos, frutex surculosus est, quo uestimẽta expoliunt: è cuius radice thapsiæ modo liquor colligitur, qui per se, et cũ eruacea fari na oboli instar exhibitus, tũ bilẽ, tũ pituitã expurgat. Quin uniuersa quanta est planta exiccata, purgandi uim obtinet.

Iris, abunde calefacit, attenuat, abstergit, & concoquit. Quamobrem tussi subuenit. Cõtumaces pectoris humores du ctiles reddit, torminibus circa umbilicum medetur: hulcera sordida expurgat, aluum cum uino sumpta euacuat.

Isatis satiua, qua infectores utuntur, desiccat pariter, & astringit.

astringit. Spaciosa itaq; solidorũ corporum uulnera cõglutinat, & sanguinis eruptionib. prodest, tumores aquosos disjicit. Contumacibus ex uitiosa cõsuetudine hulceribus omnibus obsistit. Agrestis uerò, gustu plus euidentis acrimoniæ præfert, ideoq; quo magis exiccet, humidis putredinibus efficaciter resistit, ad cætera deterior. Sed et splenetticis propter uehementem potentiam utilis est.

Isopyron, uel ut alij uocant, phasiolon, semen gerit amarum atque subacerbum. Crassos igitur & glutinosos humores abstergit & incîdit, sic ut corpus contrahat & constringat: quo nomine etiam quæ altius hærent, repurgat. Neque hæmoptoicis noxium est.

Itea, arefaciendi citra morsum potestatẽ salicis folia floresq; obtinent: leuem adhæc constrictionẽ. Verùm his siccior paulo cortex est, cuius cremati cinis ex eorum censu est, quæ potenter exiccant. Clauos & formicas cum aceto extirpat.

Ichthyocolla, glutinum piscosum opplendi & exiccandi uim obtinet. Inditur magna commoditate emplastris conglutinatorijs, & his quæ lepræ curandæ, & quæ ad faciei erugationem lenociniumq; faciunt.

CAncani radix moderatam exiccandi uim obtinet, intestorium meatus infarciendi citra mordicationem natũ. Eoq; arteriæ asperitates lincta cum uino sanat, pariter si quis eam modo tragacanthæ atq; glycyrrhizæ mandet.

Cancamum, Arabici ligni lachryma est, myrrhæ similis fragrans, quam ad odorem incendunt & uaporant. Virtutem habet obesos extenuandi, detergendi, & ab infarctu meatuumq; obstructione uindicandi.

Cadmiæ utræq; species siccant, sed crassioribus constat partibus, quæ botryitis, quasi acinosa, racemosa' ue appellatur. Subtilioribus uerò, quæ placitis, quasi glebosa, est nuncupata. Cremata exiccandi facultatem, mordacitatis expertẽ, non sine abstersione retinet. Hulcera caua carne replet, tã ea

quæ oculos, quàm quæ reliquum corpus occupant, uerùm præcipuè humidiora in corporibus tenerioribus. nam in duriusculis efficacium magis opus est.

Cacalia eandem habet cum căcano potestatem, æmulamq; in omnibus utilitatem.

Calamagrostis, gramē arundinaceū persiccat, quamobrē succus decoctūq; radicū ipsius, ocularib. medicamentis inferitur. Semen lotium prolicit, & stomacho accommodatum est.

Calamintha, nepita calida & sicca tēperie est, in tertia distantia, subtiliū non sine acredine partiū, uirib. lōge præstantioribus quàm mentha: nam instar syluestris mēthæ censetur. Facilè itaq; in alto hærentia, in summam cutē euellit. Qua de causa sudores mouet, totum corpus digerit. In febriū accessionibus, quæ circuitu fiunt, cū tremore algores sedat. foris cum oleo strenuè infricata, coxendicis doloribus subsidio in clystere est, & prauos cutis humores exterit.

Calamus odoratus ex secundo calfacientium & arefacientium à temperatis excessu, subtilioris nonnihil & astringentis est potentiæ, urinam ergo proritat. Medicaminibus stomachicis, & quæ iocinori muliebrib.q; locellis dedicata sunt, miscetur. Calamus autem phragmites, abstergit: folia eius uiridia moderatè infrigidant. Cortex combustus, calfacit & exiccat, in tertio propemodum ordine. Sunt qui affirment radicem eius adiectis bulbis illitā, spicula et aculeos euellere.

Campæ, bruchi, hoc est oleribus innascentes erucæ cum oleo illitæ, à morsu animalium, quæ ictu morsu' ue uirus relinquunt, tueri dicuntur.

Cantharides quæ in tritico deprehenduntur, luteis obliquè zonis insignes, aceti feruentis uapore suffocatæ, multiplicem usum habent. Nam ungues scabiosos cum cerato eijciunt, clauos & uitia leprosa curant. Exedunt item & deurunt: nonnulli autem in medicamenta diuretica momentum ex ipsis adiectum exhibuerunt.

Cannabis

Cannabis semen flatuoso caret spiritu, & exiccatorius est usqueadeò, ut semen genitale arefaciat: succus eius uirescens, ad aurium dolores ex infarctu & obstructione natos conducit.

Canopum sambuci flos est, de quo in Acte memoratum est.

Capnion, siue capnos, fumaria, hinc sortita nomen est, quòd eius herbæ succus non parum lachrymas cit, speciem oculorum exacuit, acris & amara est. Vrinã quoq; biliosam strenuè promouet. Iocinoris obstructiones & infirmitates medicatur. Stomachoq́; robur inducit, & aluum emollit.

Capparis radix, detergendi, repurgandi, incidendi, dißipãdiq́; facultatem cum quadam amaritate & acredine poßidet. Contrahit uerò, stringit, & densat acerbitate: ac proinde lienes induratos sanat cùm pota, tum foris imposita. Menses ducit, & noxios capitis humores per os detrahit. Hulceribus malignis plurimum prodest, & dentium cruciatibus succurrit. Tubera dißipat, & uitiligines. Vermes qui in auribus enascuntur, interimit. Cæterum folia fructusq́; similem quidem, sed infirmiorem obtinent potentiam.

Cardami, nasturtij semen, deurentis facultatis particeps est, modo sinapi, quo nomine cataplasmatis instar impositum cum rubificatione exhulcerat, crassos humores admixtis quibusdam alijs incîdit. Herba arida semini uiribus similis est, sed humida moderatior, eoq́; cruda nonnunquam editur.

Cardamomum acris quoq; naturæ est, nasturtio tamen non parum imbecillius: neq; illi deest amaritas, qua sanè uermes interficit. Et scabiem cum aceto exterit.

Caris cõtrita, cum bryoniæ radice epota, uermes enecat.

Cancrorum fluuiatilium crematorum cinis, pari erinaceorum echinorum, & cochlearum modo exiccat. Proprietate uerò totius substantiæ, admirando remedio rabidi canis morsibus potu succurrit. Marinorũ uerò cinis uehementiore arefaciendi ui pollens, nihil his quidem conducit, sed magis

ſiccari contendentibus prodeſt. Cæterum qui in perennib uitam agunt fluminibus cancri, læuigati & cataplaſmat impacti, ſpicula & aculeos euellunt.

Cari ſemen calidum eſt & ſiccum, ſecundũ tertium quo dammodo à temperatis exceſſum. Flatus diſcutit, & urina prolicit: neq; id ſemen modò, uerùm tota etiam planta.

Carpeſium cum tenuitate partium odoratum eſt. Hinc uiſcerum obturationes aperit, lotia promouet, renes purga tione à lapillis uindicat.

Carya, nux arbor, in germinibus quidem acerbitatis ali quid continet, plurimũ uerò in nucum putamine. Quare ſuc cus eorum in melle elixus, medicamentum fit, quod ori inſer uit. Cortex eius interior crematus, tenuis redditur eſſentiæ, & exiccatorius abſq; mordicatione. Eſculentũ porrò ipſius oleaginum promptiſsimè in bilem cõuertitur. Quod inde fit oleum, ſubtilibus conſtat partibus, & tumores putredinesq; diſsipandi uirtutẽ obtinet. Quæ liquore aliquo condita, pro pter antiquitatem, flacceſcunt, extergẽdi habent ea quæ in cute oriuntur uitia, potentiam. Nux uerò Pontica, leptoca ryon Græcè, Latinè auellana nuncupata, frigidior eſt atq; auſtera, cætera magnæ nucis æmula.

Caryophyllon, quaſi dicas nucifolium, neq; re, neq; eſſen tia nomini reſpõdet, uerùm ex India arboris cuiuſpiã flores ſtipulæ faciem præferẽtes, nigri coloris, longitudine fermè digitali ſunt, fragrãtes, acres, ſubamari, calorifici et exicca torij in tertio quadãtenus exceſſuũ ordine: quorũ multiplex uſus eſt cũ in obſonijs, tũ in cæteris quibuſcũq; medicamẽtis.

Caſſamon quidam fructũ eſſe balſami autumant, de quo ſuperius egimus.

Caſsia calefacit et ſiccat, in tertio fermè ordine partium impenſe ſubtilium, acrimoniæ & aſtrictionis modicæ par ticeps. Quapropter ſimul & incidit & diſcutit, et robur in ſtrumentis indit: ducit ſuppreſſos deniq; menſes.

Caſto•

Castorium, testiculus castoris, cum præpollente & eximia partiũ tenuitate calfacit et exiccat. Qua de causa præter alias operationes etiam neruorum ex plenitudine humorum prognatis affectionibus cõgruit, perfrigerata facillimè recalfacit. Foris adhibitum atq; epotum, sic, ut nullam parti cuipiam noxam inferat, etiamsi tepidam homo perpetiatur febrim, qualis accidit in ueterno maximè, & alijs inexpugnabilis somni soporibus. Mouet præterea menses, & secũdas à partu morãtes expellit. In cerebri & pulmonis affectib. si quis suffitum eius inspiratu hauriat, magnificè iuuat.

Caucalis, sunt qui daucum syluestrem dicunt: calfacit etiam modo daucis, & exiccat, urinam trahit, saleq; ad repositionem conditur.

Cenchros, miliũ, refrigerat in distantia prima, siccat in secũda, & subtilitatis poßidet perexiguũ. extrinsecus in sacculis excalfactũ & cataplasmatis modo impositũ, exiccat.

Cedrus alia quidẽ fruticosa, iunipero similis: alia arbor est. Vtræq; calfaciunt & siccant in tertio ordine. Quæ inde emanat cedria (quo nomine cedri gaudet oleum) quartum quoq; ordinẽ uidetur attingere, subtilium abunde partium, quo nomine mollem utiq; carnem promptè et absq; omni dolore liquat, et putrefacit: durã uerò, atq; cadauerũ arefacit, et à corruptionib. asserit. Pediculos, lẽdes, tineas, ascarades, & in aurib. natos uermes interficit, aliaq; infinita designat.

Centaurij grandioris radix, gustantibus acris, calida, et astrictionis terreæ particeps est: hinc menstruas mulierum purgationes prouocat, fœtum uiuum corrumpit, mortuum extrudit, uulnera glutinat, sanguinẽ excreãtibus et alijs thoracis affectib. opitulatur. Cẽtaurij minoris radix inutilis est, surculi citra mordacitatẽ potẽter desiccant: quapropter ad singula quæ maius cẽtauriũ iuuat, accõmodatæ sunt. Decoctũ insuper eius in coxẽdicũ uitijs infusum, biliosum humorẽ expurgat. Nonnunquã et sanguinolenta, quũ felicius iuuat.

Cornu

Cornu capræ & cornu cerui crematum, dentibus ni-rem adfert, gingiuas humore flaccidas contrahit. Cerui c-nu uino læuigatum, deinde illitum, dentes uacillantes sta-lit. Post uerò ustionem ablutum, dysenteriam, uentrales sa-guinis sputationes, & morbo regio oppressos curat, si c-chliariorum duorum pondere sumatur. Ocularibus indit collyrijs. Taurinum cornu cum aqua haustū, sanguinis er-ptiones cohibet.

Cerasia dulcia quidem citius secedunt, austera stomac-magis conferunt. Acida, quoniam incîdunt, excremento-et pituitosis stomachis cōferūt. Gūmi cerasi arboris arteri-exasperatas lenit, calculis uexatos cum uino pota adiuuat.

Ceratonia, & fructus eius, ceratia appellata, siccandi & refrigerandi uiribus pollēt, et dulcedinis nonnihil obtinen-

Capita menidum sale conditarum cremata, siccificæ fa-cultatis, neq; ualentis acrimoniæ sunt. Rhagadibus itaq; se-dis, & columellæ longo tempore scyrrho induratæ succur-runt. Smaridis totum caput combustum, capillorū defluuij cum adipe ursina adhibitum bene facit. Eadem caput muri-crematum cum melle præstat. Caput milui aridū, deplume-quantum tribus digitis cōprehendi potest, cum aqua potum, dolore pedum uexatis subuenit. Tradunt caput lacertæ, pa-xillos & spicula euellere, formicas sesiles, & uerrucas an-gustiore basi pensiles clauosq; profligere.

Cecis, galla adhuc immatura, omphacitis adpellata, me-dicamentum est excellenter astringens, eoq; exiccat, fluxio-nes repellit & contrahit, laxas & imbecillas partes con-stringit, omnibusq; fluxionum affectibus resistit. Ponitur in tertio siccantium, secundo refrigerantium ordine. Altera ue-rò, flaua illa, & laxa, grandisq;, siccat quidem & ipsa, sed tanto minus, quantū & adstrictione cedit. Cocta sedis inflam-mationibus & procidētijs subuenit. Crematæ autem utræq; & aceto restinctæ, sistendo sanguini accommodatæ sunt.

Cepæa,

Cepœa, portulacæ similis est. Sumpta in uino folia eius, abiei uesicæ succurrunt. Radix uerò eius cum asparago, tem myacanthinum, id est corrudam appellant, pota, stilli dijs uesicæ, quæ ex obstructione eueniunt, remedio est.

Cera temperata existit, eoq; ad reliqua medicamenta ue ti subiacens materies adhibetur: ipsa uerò per se ex eorum nsu est, quæ imbecilliter detergunt. Habet insuper discu ntis paululum, & calidæ potentiæ.

Buccinorum testa cremata, potenter admodum desiccat tra morsum, ideoq; hulceribus contumacibus & malignis ngruit: contra putrescentia uerò hulcera, cum aceto, uel no, uel oxymelite, eisdem utendum. Oleum in quo carnes sorum etiamdum uiuentium elixatæ sunt, aurium dolori s instillatum opitulatur.

Vt ricini fructus expurgandi, abstergendi, ac distrahen facultatem obtinet, sic etiam ipsius folium: uerùm imbecil us. cæterum de oleo ipsius expositum iam est.

Cinnabaris acres moderatè uires, & astrictionis nonni l obtinet.

Cinnamomũ perquàm subtilissimis constat essentiæ par bus, non extremi caloris, sed ex tertio ordine: neq; sanè quic iam omnium quæ in calfaciendo eiusdem classis sunt, tanto re desiccat, ob extremam partium tenuitatem. Est prætc a in cinnamomorum genere quodpiã ueluti debilius, quod seudocinnamomum uocant aliqui.

Circeæ radix calidæ temperaturæ est, & fragrantis o oris: quæ si cum uino potetur, fœminarum locos expurgat. men in sorbitione sumptum, lac procreat.

Cisseris, pumex, non solùm potentia, sed scabricie etiam tergentis facultatis existit, atq; in primis dentiũ. Inijcitur rò medicaminib. quæ carne hulcera implẽt, & cutis uitia stergũt. Quod si cremetur, essentiæ quidem subtilioris, sed ordax magis efficitur. Si abluatur, mordicationẽ exuit.

Cisthos

Cisthos, uel cissaros, fruticulus est stipticus, & leuiuscu
frigiditatis. Folia eius fruticis & germina adeò desiccãt,
& uulnera conglutinent. Flores, utpote in secundo quodam
modo gradu, sicciores, intestinorum tormina & alias flu
ones humidas compescunt. Extrinsecus impacti, putridis h
ceribus auxiliantur.

Cissos, hedera, ex contrarijs facultatibus constat: adstr
gentis enim, refrigerantis item, & acris naturæ cũ calo
est. Aqueæ substantiæ, & tepidæ, cum uiridis est compo
cuius folia uino elixata, uulnera conglutinant, ambustis &
lienosis cõducũt. Liquor eius narib. infusus caput pituita eu
cuat, diuturnis auriũ destillationib. resistit. Acrimoniæ pl
habet ipsius lachryma, pediculos interficit atq; deglabrat.

Citrij mali, quod & Medicum appellant, medulla acid
sapore, uel sine qualitate est, cuius semẽ in tertio abscessu re
frigerat & desiccat. Cortex in exiccando secundum ordin
attingit, non tamen ita refrigerat, acrimonia præditus. Ca
ro ipsius crassum humorem generat, & pituitam adauget
refrigerat. Semen discutit & exiccat ordine secundo, foli
arboris siccam & discutientem præferunt potentiam.

Cichorium, uel picris, ueluti syluestris seris est, ex prim
refrigerantium & exiccantium ordine. Habet præterea sti
pticitatem quandam, qua de causa iocinorosis confert dyse
terijs.

Clematitis, quæ ab aliquibus daphnoides, à quibusdam
myrsinoides, ab alijs polygonoides, palmites habet prolixo
ad olochœni craßitudinem, folium lauro figura & colore s
mile, arefacientis potentiæ. Fluores alui, quos diarrhœas uo
cant, & intestinorũ tormina, & dentium cruciatus mitigat.
Contra uenenatorũ morsus magna cum utilitate imponitur.

Clematitis altera, arboribus, quemadmodum smilax he
dera circumfunditur, acrem atq; adurentem habens faculta
tem. Fructus huius cũ aqua potus, per inferiorẽ aluũ pituitã
bilis

ilioſumq; humorē deducit. Folia eius illita, lepras diſcutiūt.
Clinopodium excalfaciendi & areſaciendi uim obtinet, ıd nondum adurendi, uerùm in tertio fermè ordine.
Cnici ſeminis non niſi ad purgationes uſus eſt: ſi quis ex- inſecus adhibere uolet, tertij fuerit excalfacientiū ordinis.
Conchilia, buccinis conſimilem facultatem obtinent.
Cœlia, uentrem mergi recens coctū, ſiue inueteratum & refactum iuxtà prodeſſe ſtomacho, ſi eſtur, aſſerunt: quem- lmodum etiam de interiore uentris gallinarū tunicula ſic- ıta & pota perhibent. utrunq; tamen hoc mendacium eſſe, alenus facto periculo deprehendit. Tradit uerò Dioſcori- s, uentrem palumbi alitis modicè potum, per urinam calcu s expellere. Muſtelæ uenter in potu ſumptus, adiuuās amu tum contra beſtias uenenatas eſſe putatur.
Coccos, granum gnidium ſemen eſt, non chamelææ, ut ıidam autumauerunt. ſed thymelææ, acris adurentisq; fa- ltatis. Purgat aquam per inferna, ſi potetur. Granum in- ctorium, quoniā citra eroſionem deſiccat, amplis & neruo uulnerib. cōpetit, cū aceto et oxymelite in leuorē cōtritū.
Coccymelea, pruni fructus, aluum recens quidē uehemen- s, minus uerò arefactus ſubducit. Prunorū decocto inflam- ıtiones gutturis & tonſillarum utiliter colluuntur. Gum- ı arboris incidendi & extenuandi potentia conſtat: quod m uino potum, nonnulli calculos confringere, cum aceto rò puerorū impetigines exterere perhibent. Syluestria ue pruna acerbiora, et ad cohibēdā aluū aptiora ſunt. Appel ur aūt hæc plāta in Aſia prumnū. Pruna uerò ſatiua aſſi ılatur his, quæ nūc damaſcena dicūtur, ut Galenus aſſerit.
Colla, gluten ſimilagineum, ſiue ex polline factum mea- opplet, & maturandi uim poſſidet.
Colocyntha, cucurbita, humidi & frigidi in ſecundo à nperatis abſceſſu, temperamenti eſt. Eoq; tota ritu cata- ıſmatis illita, feruidas refrigerat inflammationes.

Colo-

Colocynthis purgatoriam facultatem oppidoquàm ua dam poßidet. Viridis ipsius liquor infricatus, coxendicum d lores adiuuat.

Comaro, arbutus, arbor pariter & fructus, qualitaten acerbam obtinet. Memycœlum autē hunc ipsum nominan Non solùm stomacho nocet, sed capitis etiā dolores inducit

Gummi exiccatoriam habet naturam, & emplasticam atq; nimirum asperitates medicatur.

Conia, lixiuium, ueluti cineris ablutio nominatur, abste gendo & exiccando reliquis omnibus antecellit, quod ex fi culneorum lignorum, & quod ex tithymalli cinere confici tur, ut tantùm non iam exedentis sit potentiæ. Quòd si cal etiam cineri adijciatur, deurens reddetur lixiuiū, quod pro tostacton nuncupant. Eluentibus id frequenter commiscetu pharmacis. Omnium uerò maximè uehementißimum est quod ex sola calce constituitur.

Conyza & grandior & exilior, siccificæ & excalfacto riæ sunt tēperaturæ in tertio ordine. Proinde oleum in qu elixæ fuerint, febrium rigores per circuitum remeantes se dant. Flores similem effectum poßident, quorum decoctun menses prouocat, & fœtum eijcit. Quæ uerò in locis humi dioribus nascitur, tetriorem de se emittit odoris fluxum, & uires continet debiliores.

Copros, stercus omne, calidæ & siccißimæ, atq; summè discutientis est potentiæ. Variat autem unumquodq; pro ex cernentis animalis cùm temperatura, tum uictus quoque ra tione. Canum, qui oßibus pasti fuerint stercus, desiccatum, & cum lacte fißili potum, dysenteria laborantibus succur rit. Salubriter medicaminibus contra hulcera inueterata effi cacibus miscetur. Idem melle exceptum, anginæ, tonsillarum & glandularum inflammationibus illinitur. Eisdem malis præsentiore remedio succurrit pusionum oletulum, qui non excrementosa uictus ratione utuntur. Lupinum albidius, &

quod

& quod non humi, sed in quibusdam uepribus fruticibusq; re
peritur, colicis præsentaneo est remedio: non solum epotum,
sed etiam pro amuleto alligatum. Alligetur autem uinculo
e lana ouis à lupo laniatæ confecto, uel pelle ceruina. Capri
nus fimus maiorem acrimoniam, uehementioremq; dissipan-
di facultatem continet, adeò ut tumores scirrhi instar indu-
ratos, illitu discutiat, potissimum in duriore carne. Baccæ ca
prinæ combustæ uehementius abstergunt, et extenuant. Ster-
cori bubulo uis quædam attrahendi inest. Morsibus igitur ue
sparum ac apium medetur. Hydropicorum corpus uniuer-
sum stercore bubulo sub sole delibutum, præsentaneã opem
sentiet. Ouillum uerò cum aceto, uerrucis, quas formicas di-
cunt, & acrochordonibus, furunculis, & clauis medetur.
Stercus palumbinum plus acredinis quàm reliqua habens
excrementa, cum nasturtij semine corpori applicatũ, cutem
exhulceratione rubificat. Fimus gallinarum, cum oxymeli-
te, uel aceto, uel œnomelite potum, suffocantes fungos uomi-
tu eijcit, primumq; auxilij remediũ existit, nonnulli colicis po-
tandum ministrabant. Sunt qui ciconiarum excrementum
non nisi recta ceruice spirantibus opitulari potu asseuerant.
Muscerda abstergendi maiorem uim obtinens, alopecijs sub-
uenit: & puerorum ano applicatum, ad excretionem prori-
tat. Sturnorum, qui orizam comederint, abstersoriæ faculta
tis tantæ efficitur, ut contractas uelut ex sole maculas, quas
ephelcis nominant, exterat. Fimus crocodilorum terrestrium
impetigines, quos alphos Græci cognominãt, exterit. Quem
admodum niliacorum, albugines oculorum extenuare credi-
tur. Coraliũ ueluti arborea planta est, quæ in lapidis duri-
tiem duratur: crescit non in continẽte, sed in alto maris, colo
re rufo, lapidi simile, ualenter siccandi, & mediocriter con-
stipandi uim obtinens. Quo nomine sanguinem eiectantibus,
& intestinorum torminibus pulchrè conuenit.

Cimices animalcula acris sunt potentiæ. Sunt qui hæc bi-

rudines eiycere, si cum aceto potentur, literis prodiderunt.

Coris herba, quam aly hypericon uocāt, acris est, boni odoris. Semē eius potus, mēses urinasq; prolicit, phalangiorum morsibus opitulatur. Opisthotonicis, cum oleo illinitur.

Corianum, siue corion, coriandrū, ex contrariys constituitur facultatibus, subtilioris essentiæ cum terrestri quadā amaritate existit, et aquei humoris tepidi, habet etiā astrictionis pauculum. Quamobrem inflammationibus, et ignitis cum phlegmone ruboribus non admodum feruentibus succurrit. Teneriusculos quoq; tumores disycit, adiecto quopiam huic muneri accommodato. Seminis coriandri uel momentū cum passo arcēdis lumbricis, præsenti cum remedio bibitur. Largius tamen sumptum, mentem commouet.

Corydon, uel corydalon, alauda auis, elixa cum simplici iure, colicis cruciatibus subuenit. Profuerit autem identidem ipso cum iure uesci.

Coronopidis quoq; radix coli dolores comesta sanare creditur.

Costus pauculæ quidē amaritudinis, plurimæ uerò acrimoniæ, et calidæ qualitatis particeps est. Quapropter in quibus aliquā corporis partē calfacere, uel ex profundo in summā cutē humorē extrahere instituimus, ad costū cōfugiendū est. Vrinā itaq; ciet, et mēstrua ducit, et lūbricos perimit. Habet uerò et flatuosi spiritus nonnihil, qua de causa uenerem cum œnomelite potus stimulat. Coxendicū dolorib. et resolutis, et circularib. cū tremore algoribus ex oleo infricatus cōgruit.

Cotyledon, umbilicus ueneris refrigerat, repellit, abstergit, & discutit. Folia eius cum radice comesta, lapillos atterere, & lotium mouere creduntur.

Cochliæ crematæ strenuam arefaciendi uim, calfaciendi mediocrē obtinent. Contra dysenteriā in qua ulcera nondum putrescūt, plusculū opis cōferunt, si ad quatuor cochlearum partes miscueris, piperis albi partē unam, et gallarū partes duas.

tas. Sed quæ exustionis expertes sunt, totæ in puluisculum uigatæ, et uētri impactæ, in aqua subter cutē, et articulorū uciatibus, donec ultro deciderint, plurimum expediunt. Et nditus, uno uerbo, humorem quēcunq; ualenter exiccant.

Corni arboris fructus acerbus & uesculentus, aluum po- nter compescit. Folia & surculi sua acerbitate impensius rsiccant, ita quidem, ut grandia etiam uulnera duriorum rporum conglutinent.

Crambe, braßica quæ edēdo est, exiccat, non solum come ,sed etiam extrinsecus imposita, non tamen acris manife .Vulnera ob id et hulcera extremè malefica conglutinat, mores ad digerendum contumaces curat. Habet uerò ab- rsionis nonnihil, qua lepræ medetur. Semen eius in potu nptum, lumbricos interficit, & potißimū Aegyptiæ. Cau m crematorum cinis deurentis est potentiæ, cum adipe diu rnis laterum doloribus remedio est. Braßica autem sylue- is ad omnia quàm hortēsis potentior est. Hinc intro in cor s impune nō sumitur. Marina, subsalsa, & leuiter amara, ntri laxando efficax est.

Cratæogoni herbæ fructus gustantibus acrimoniam præ rt, estq; temperatura frigidus, milio consimilis.

Chrethmon, cū exiguo amarore salsum quodāmodo est, eoq; uires abstergendi & desiccandi poßidet.

Crithe, hordeum calidum et siccū habetur in ordine pri- .Habet etiā quiddam abstersionis: lomento fabuli ad exic ndū aliquantulū efficacius, flatuosum uerò minus existit. olenta aūt multo quàm hordeū impensius exiccat. Ptisana æter quòd liberalius humectat, magis etiā abstersoria est. Quod in tritici et zeæ farina craßū & craßiorū partium ,crimnon appellari cōsueuit. Nutrit ualidius quàm polen renititur uerò concoctioni magis crimnon pulticula.

Crini, lilij flos tēperamentū habet cōpositū ex subtili par m terreaq; essentia, & aquosa tēperata. Quocirca oleum

quod ex eo conficitur, discutiente & emolliente ui pollet, muliebriumq; locorum inflammationibus est idoneum. Radix et folia siccant, et detergunt, atq; discutiunt mediocriter, ideoq; ambustis proficiunt. Vulnerationi neruorum opitulatur cum oxymelite sumptus eorundem succus.

Crocodilij semen et liquor facultatem calorificã, exiccatoriam, & digerentem possidet. Lotium itaq; pariter et menses proritant. Radix thoracis excreationibus egregie subuenit. Et per nares sanguinem trahit.

Crocus in calfaciẽdo secundum, in exiccando aũt primũ sortitus ordinem, astringendi & concoquendi uirtute pollet.

Crõmyon, cæpa ad quartũ calfacientiũ ordinẽ refertur, craßioris eßẽtiæ. Quapropter hæmorrhoidas applicata aperit. Habet aũt etiam uim abstersoriã: uitiligines quos alphos nominant, cũ aceto emẽdat, et extergit, ex alopecijs glabreta pilis alcyonio citius instaurat. Succus suffusione laborantes, uel ob humorũ craßitudinẽ oculorũ speciẽ hebetatã adiuuat.

Cyamus, faba in refrigerando et exiccãdo nõ procul à media tẽperie recedit: caro eius abstersionis modicæ particeps est. Idcirco excreationes pectoris et pulmonis adiuuat. Quoniam autem fabuli cortex astrictionis quippiam habet, integrum ipsum in posca elixum cœliacis et dysentericis peridoneum est, inflammationibus præterea & tumoribus illitũ auxiliatur. Lac quoq; in uberibus ab eo linimento extinguitur.

Cyano, uis et natura acrior est, detrahẽdi et disijciendi ualentior quàm cinnabari. Astrictionis quoq; particeps est.

Cyclaminus, rapum terræ uariã potestatẽ obtinet: abstergẽdi nimirũ, incidendi, aperiendi, attrahẽdi, et discutiẽdi. Ac proinde succus ipsius hæmorrhoidas interrũpit, si oris ipsarũ adglutinetur, duritias cũ alijs quæ ad eandẽ rẽ faciũt, appositus disijcit. Suffusis, cũ melle illitus succurrit, et per nares caput expurgat: tãtæq; est potẽtiæ, ut eo abdomine uncto aluũ subducat, et conceptũ interficiat. Virib. aũt radix q̃ succus inferior

inferior est. tametsi ipsa quoq; adeò uehemẽs sit, ut cum aqua mulsa triũ drachmarũ põdere sumpta, corporis uiscera expurget, cutisq; uitia detergat. Est et alterũ terræ rapũ, quod cißãthemõ uocãt, cuius utiq; radix admodũ inutilis est. Semẽ uerò efficax, ut in potu sumptum, superiori similia designet.

Cyminum calfacit secundum tertium quadantenus à temperatis excessum. Lotium prouocat, & flatum discutit.

Cynos batus, rubi canini fructus haud segniter astringit, folia uerò moderatè astrictoria sunt. Atqui uitandum est illud, quod in meditullio fructus eius lanæ præfert faciem, tanquam malo arteriam afficiens.

Cupreßi, arboris pilulæ & turiones exiccatoriam uim obtinent, citra euidentem tamen calorem. Ac proinde grandia admodũ conglutinãt in durioribus corporibus uulnera, & putrescentiũ hulcerũ humiditates, in profundo latentes, sine noxa depascuntur, intestinalibusq; ramicibus succurrunt.

Cyperus, iũcus odoratus angulosus, calidus pariter et siccus tẽperamẽto est, absq; erosiõe. Qua de re hulceribus quæ præ nimia humiditate ægrè coalescũt, cicatricẽ mirabiliter inducit. Ad oris hulcera, prodest. Inest præterea cypero secandi quædã facultas, qua lapillos atterit, et lotia mẽsesq; prolicit.

Cypri folia atq; uirgulta mixtam facultatem poßident, discutientem & stipticam, innoxiè & citra erosionem exiccatoriam. Quapropter decocto ipsorum ambusta conspersa fotaq; sanãtur. aduersus igneas etiã inflãmationes, et oris hulcera cõmansa prodest. Lienosis ad hæc remedijs cõmiscetur.

Cytisi folia leuiusculam discutiendi & tepidam facultatem obtinent, sicuti etiam maluæ.

Cicutam extremè refrigerantem habere potentiam, omnibus perspicuum est.

Coni quidem cùm cortex tùm folia uiribus pino sunt simillima, acrimoniæ uerò plus efficaciæq; poßident. Fructus aũt quem strobilon quidam nominant, si uiridis quidem sit, ha-

bet cum humiditate amarorē quempiā & acredinem, ideoq; affectionibus pectoris purulentis, ad screatus pulmonis facilè euocandos congruit. Esculentus in aqua maceratus tantisper dum omnem acrimoniā exuerit, temperatus minus mordax, & emplasticus magis efficitur, & medicamentum denique asperitati leniendæ accommodatissimum.

Lagopus desiccātis est potētiæ, qua alui fluxiōes exiccat.

Ladanū ex cistho ladano appellata, prouenit. Capræ nāq; ipsū depascētes, pinguetudinē atq; succulētū ipsius herbæ, barbis et femorib. suis auferūt. Collectū uerè ladanū medicamētū est calidū, secūdū à tēperatis excessū attingēs, essētia subtili, moderatè emolliēs, pariterq; discutiēs et maturās. Proinde locellorū afflictionib. peculiariter dedicatur. Præter hæc stipticitatis paululū continet, quocirca fluētes capillos retinet.

Lathyris tithymalli species est. sunt qui succum eius pariter cum tithymalli lacte purgare affirment. Semen uerò summa facultate purgatoria pollet.

Lapsana comesta uitiosum humorem generat, illita abstergit aliquantulum, ac disijcit.

Lapathon, rumex moderatè discutit. Rumex acidus, qui oxylapathū uocatur, præter id repercussoriā quādā facultatē sortitus est. Semē rumicis, sed potissimū acidi, astringēs, diarrheis et dysenterijs medetur. Contrario aūt modo, diuersisq; uiribus quadantenus folia et semē inter se constāt. Folia nāq; manducata aluum commouent, semen potū lubricā cohibet.

Limonij fructum utpote austerum, cœliacis & dysentericis, & sanguinem sputo eiectantibus, hæmoptoicisq; cum uino exhibent, ad fluxum item muliebrem acetabuli mensura.

Lichen herba ueluti muscus est, petris adnascēs, quæ abstergit, moderatè refrigerat et exiccat. Impetigines curat, et inflammationes arcet, &, ut Dioscorides tradit, sanguinis eruptiones comprimit.

Lichenes equorū læuigatos cum aceto, comitialē morbū

&

& omnium uenenatarũ bestiarũ morsum sanare perhibent.

Leontopetali radix ordine tertio desiccat, & calfacit, ha ituq; digerit.

Lepidium, quam & hiberida nuncupant, ex quarta calfa ientium à temperatis distantia est, nasturtio uiribus, præter quam quod minus eo desiccat, proximum.

Lepis, squama omnis potenter exiccat, astringit, et strenue mordet. Sed æris squama non paulò maiorẽ arefaciendi uim obtinet, et subtiliorũ magis est partium, habens nonnihil etiã rubiginis, præsertim ea quæ ex Cypriorum decutitur clauis, quã propter hoc Heletim tanquam clauarem uocitant. Squa na aũt ferri largius astringit, et hac etiã magis stomomatis: qua de causa ad extremè maligna hulcera præstantior est. Carnem quoque ualidius purgat, & liquefacit.

Leucacanthum, nonnulli polygonaton, neque desunt qui ichiada nuncupant. Eius radix incidendi & arefaciendi fa cultatem habet in tertio ordine, excalfaciẽdi uerò in primo.

Leucas, ex tertia quidem excalfacientium et exiccantium classe censetur, sed acriore qualitate præcellit.

Leucoion, uiolæ albæ frutex uniuersus extergit, et tenui es sentia cõstat, plus tamẽ flores, atq; inter hos sicciores. Idcir co mẽses proritãt, fœtũ perimũt, et eijciũt. Verùm si quis eius uehementiã aquæ admixtione hebetauerit, ad inflãmationes etiã cõferet, præcipuè uteri. Radices æqualis facultatis sunt, nisi quatenus craßiore, & magis terrestri substantia. Cum aceto inflammationibus scirrho induratis illitæ succurrunt.

Leuce, populus alba, ex aquosa, tepida, & terrestri sub stantia constans, abstersoriæ facultatis particeps est.

Libanotides tres sunt, sterilis una, ferentes fructum duæ: omnes extergendi, incidendi, distrahẽdi, emolliẽdiq; uires ob tinent. Quarum succus melle mixtus, hebetibus ex humorũ craßitudine oculis auxiliatur]. Coronamentariæ uerò libano tidis decoctum suffusos felle, potu adiuuat.

Libanotus, thus ordine secundo calfacit, primo desiccat, Habet aũt minimũ quiddã astrictiõis. Cortex eius euidentius astringit, siccatq́; in secũdo à tẽperatis excessu exactè, crassioris substãtiæ q̃ thus, & minimè acrimoniæ cõpos. Vnde hæmoptoicis, dysentericis, cœliacis, et stomachicis non modò foris applicatus, sed intra corpus etiã sumptus, remedio est. Surculus eius calfacit & exiccat tertia distantia. Extergit item aliquid, proinde oculorum bulcera expurgat & implet.

Lignys, fuligo combustarum quarundã specierũ, puta thuris, myrrhæ, terebinthi, styracis, picis liquidæ, et cedri, ueluti cinis est ac puluisculus cũ fumo ascendens. Siccifica, terrenæ ac tenuis essentiæ. Cæterum quæ speciatim ipsius sunt differentiæ, pro cremata fiunt materia. Vsus uerò eius cum primis cõmendatur in remedijs ocularibus, & honestandis palpebris inseruientibus. Fuligo autem thuris cõmoditate cæteris omnibus præstat, utpote mitior. Vehementior contrà pini, coni, & piceæ. Quapropter ad palpebras glabras, humentes & erosos oculorũ hirquos, lachrymantesq́; salutaris est.

Ligustici cùm radix tum semen adeò calfaciunt, ut menstrua prouocent, flatusq́; strenuè dissipent.

Argenti spuma medium inter metallica tenet ordinem, hinc eo ceu materia alijs remedijs mixta subinde utimur. Obtinet autem facultatem siccantem leniter, detergentem et cõstipantem, ideoq́; femorum intertriginibus expedit.

Lithi, lapides omnes, perinde atq; terræ, exiccãdi uim obtinent. Cæterũ hæmatites astringit, & potenter exiccat. Cuius gratia asperitatibus quoq; oculorũ competit, his qui nullã inflammationẽ sentiũt, admixta aqua: qui inflammatione infestantur, cũ ouo. Prodest sanguinẽ sputo reijcientib. potatus, bulcerum immodicas excrescẽtias reprimit. Schistus uerò lapis consimilem huic habet potentiam, cæterum ad omnia imbecilliorem. Hunc Galactites, id est lactarius comitatur. Melitites cuiusdam etiam caliditatis particeps est.

Mycro-

Myeroxus, seu morochthus, à quibusdã leucographis appellatus, quanto superioribus omnibus mollior est (expers enim omnium qualitatum est efficacium) tanto temperatior, magisq; indolorius est. Quocirca in corporibus teneris cum cerato ad hulcerum sanationem utuntur. Iaspis subuiridis, quum potentiorem habeat facultatem, cicatrices & pterygia attenuat. Virens autem iaspis stomacho prodest, non solum pro amuleto suspensus, uel in annulo gestatus. Iudaicus appellatur, renum calculos comminuit, qua de re tecolithon recentiores nuncupant. Pyrites ex eorum censu est, qui strenuè tumores, & sanguinem in minimos globulos concretum discijciunt. Qui si fortè in procinctu non sit, molarem eius loco usurpant. Phrygius cum ualida qua præditus est siccandi facultate, stipticitatis quippiã et mordicationis obtinet: quo quidem nomine repellit ac discutit, eoq; ocularijs miscetur medicaminibus. Ageratus astringentem & diaphoreticam sortitus potentiam, gutturis inflammationibus opitulatur. Asiæ petræ flos adeò subtilium est partium, ut flaccescentes madore carnes citra erosionem eliquet. Gagates lapis admodum exiccatorius existens, inflationibus diuturnis cum primis accommodus est. Magnes, qui & Herculeus nũcupatur, lapis, consimilem hæmatiti potentiam obtinet. Arabius lapis ebori aßimilis, arefacientem uim & repurgantem poßidet. Alabastritæ cinerem nonnulli stomachicis, id est, cibum in stomacho non continentibus propinant. Smyris abstergentis est potentiæ, qua dentes exterit. Lapides qui in spongijs reperiuntur, renum lapillos confringunt. Viribus hisce respondent lapides, qui in Argæo Cappadociæ monte prouenunt. Pari modo etiam ophites nomen obtinẽs, adalligatus, contra uiperæ morsus utilis est. Ostracites, quod est, crusta eius: et geodes, à terrestri qua constat materia, nuncupatus, insignem admodum siccandi uirtutem habere feruntur, eoq; tumoribus inflammationem resipiscentibus mederi. Naxiæ

cotis scobem frigorifica ui pollere asserunt, quapropter uirginum mammas & puerorum testiculos ne crescant, contrahit. Oleareæ autem cotis detrimentum, abstersorium quum sit, capillorum defluuio ex alopecia confert. Lapis hieracites & Indicus alligati, sanguinem ex hæmorrhoidibus destillantem compescunt. Prodest contra scorpionum ictus saphyrus in potu sumptus. Aphroselinus comitialem morbum arcere creditur. Armeniacus per inferna quidē aluum expurgat, sed perinfestus est stomacho.

Lithospermon, alij liosporon, alij uerò heraclion, Latini milium solis nuncupant: herbæ Aëtonychi (ab aquilarum unguibus appellationem sortitæ) semen est lapideum & candidum, quod cum uino albi coloris epotum, renū & uesicæ lapides conterit, & lotium prolicit.

Lini semen, caliditatis primum sortitū est ordinem, humiditatis et siccitatis medium. Comestum flatus generat, etiam si frigatur in sartagine.

Sciendum est, quod experimēto comprobatum est semen mercurialis infricatum, corporis præter naturā excrescentias (quæ narphia uulgus ineruditū cognominat) demoliri. Semen autem uiride sit necessum est, quo persæpe tubercula confricentur. Mercuriali herbæ præcipua in deijciēda aluo uis est, sed illita discutit.

Litrum, nitrū, in medio aphronitri et salis uires obtinet. Crematum magis attenuat, ac discutit. Intro in corpus si fuerit sumptū, crassos & tenaces humores incīdit, & attenuat. Porrò acrimoniæ & siccitatis plus alijs habet chalastreon, à Chalestra uico Thessalonicæ, ubi prouenit, id appellationis sortitum. Quamobrem ad capitis destillationes, & ad articulorum cruciatus eo utuntur.

Lonchitidis, semen triquetrum, lanceæ cuspidi simile est, radix syluestri pastinacæ, quam daucum nominant, æqualis, urinam mouet. Eius uerò quæ scolopendrio respondet, ui

ridia

ridia folia, glutinãt uulnera. Sicca uerò cum aceto pota, induratis lienibus medentur.

Lycopsidis, lycapsi'ue radicẽ astringentis qualitatis esse, & illitam cum polẽta, sacris ignib. subuenire, tritamq; cum oleo inunctam, sudores prolicere, tradit Dioscorides.

Lycium ex oppositis genere substantijs consistit, alia quidem calida, tenui & discutiente: alia uerò terrestri, gelida, et mediocriter astringente, adeò ut in secundo excessu desiccet. In calore uerò & frigiditate medijs adscribitur. Ideoq; ratione abstergendi ad discutiendas quæ oculis offunduntur tenebras, utuntur. Ratione uerò astringentis potentiæ, cõtra malum cœliacum, dysenterias, hulcera maligna: ad inflammationes deniq; propter uim discutientem adhibent. Primas uerò tenet Indicum.

Lysimachium præpollentem habet astringẽdi uirtutem, cuius ratione hulcera conglutinat, & sanguinem, tum ipsa, tum succus ipsius reprimit. Pota subinde uel clystere immissa, dysenteria laborantibus succurrit.

Lychnidis, cuius usus corollis est accommodus, semen, secundum excalfacientium ordinem ad unguem absoluit.

Lotus, herba satiua, quam aliqui triphyllon, hoc est trifolium nuncupant, detergendi ui pollet, moderatè exiccat, caliditate temperata est. Loti agrestis semẽ calidũ est, ordine secundo: cæterum nonnihil interim habet abstersorium. Aegyptiæ semen præter hæc ad panificium assumitur.

Lotus arbor ex subtilibus cõstat partibus, exiccat, & modicè astringit. Quapropter cum uino uel aqua epota, seu etiam aluo iniecta, ad mulierum fluxiones, affectusq; cœliacos accommodatur, capillosq; defluentes corroborat.

MAcer cortex est, qui ex India importatur. Arefacit quidem secundũ siccãtiũ ordinẽ tertiũ, in caliditate uerò et frigiditate temperatus. Est insuper cum tenuitate partium astringens. Cœliacis itaq; ac dysentericis salutaris est.

Mala-

Malabathri folium, ſpicæ nardi uiribus eſt proximum.

Malua ſylueſtris quidem, paululum diſcutit, & emollit domeſtica uerò, ceu humidior, etiam uiribus inferior eſt. Semen eius in tantum habetur ualentius, in quantum fuerit etiam ſiccius.

Mamiras, ueluti cuiuſpiam herbæ radicula eſt, geniculis frequentibus nodoſis, quæ oculorum cicatrices & albugines attenuare creditur, detergendi nimirum donata uiribus.

Mandragora frigida eſt temperamento in tertio ordine. Pomis uerò eius caloris quiddam et humiditatis ineſt, qua ratione ſoporem poßunt accerſere. Cortex uerò radicis quum ſit ualentißimus, non tantùm refrigerat, ſed etiam deſiccat: medulla autem ipſa debilior eſt.

Manna thuris, æqualem thuri facultatem poßidet, inefficaciorem tamen, & paulatim aſtringentem.

Marathrum, fœniculum calfacit in tertio gradu, ſiccat uerò in primo. Ideoq; lac generat, & ſuffuſos adiuuat.

Maſtiche, Chia, calfacit & exiccat in prima à medijs diſtantia, ex partibus natura diuerſis conſtans, aſtringente inquam pariter & emolliente. Quocirca ſtomachi, uentris, inteſtinorum, & iocinoris inflammationibus opitulatur. Aegyptia nigrior quodammodo deſiccat, & diſcutit magis, ſed minus aſtringit. qua ratione furunculos diſcutit.

Melan, atramentum Indicum, autore Dioſcoride, ex clementer refrigerantium & aſtringentium cenſu eſt, et inflãmationes œdemataq; rumpentium, hulcera item ſordida expurgantium.

Melanteria, atramentum metallicum, creta ſutoria, cum tenuitate partium aſtrictionis plurimæ particeps eſt.

Atramentum quoq; ſcriptoriũ ualidè perſiccat, in poſca contritum, ambuſtis illitum ſuccurrit celerrimè.

Melanthium, nigella, calfacit & exiccat tertio à temperatis exceſſu, & eſt tenui eſſentia. Hac ratione deſtillationibus à

us à capite in subiectas partes succurrit. Intra corpus assum tum flatus alijs acrius discutit. Habet præterea amaritudinem quandam, qua lumbricos latos enecat, extergit, & incidit. Idcirco non nisi recta ceruice spiritum trahentibus competit, lepras extergit, formicas exterit, & menses cit.

Mel calfacit & siccat abscessu secundo, summaq; abstergendi ui pollet. Coctum non adeò acre, abstersoriumq; efficitur, aluum ad excernendum proritat, sed aliàs plurimum alimenti suggerit. Mel uerò amarum, quemadmodū Sardoum, mixtæ facultatis est, terreæ nēpe & calfactoriæ. Mel etiam achar, quod ex fœlici Arabia inuehitur, nō tam dulce quàm nostras est: sed æqualeis uireis poßidet, præter quod nec uentriculum lædit, nec sitim conciliat, ueluti nostrum.

Melia, fraxinus, nobilis arbor, cuius folia pota, uiperarum morsibus medentur. Cortex huius crematus, atq; cum aqua inunctus, lepras eximit. Ligni uerò ramenta potu sumpta, exitiosa feruntur.

Melilotum, sertula campana, mixtæ facultatis est. astringit enim, discutit, & maturat.

Melissophyllon, citrago, apiastrum, in omnibus marrubio consimilem facultatem obtinet.

Memæcylus arbuti fructus, supra in C expositus est.

Mespila, quæ & tricocca dicuntur, acerbus admodum fructus est, & uix esculentus, uentrem compescens. Germina & folia acerbißima sunt.

Medij radix diuersam à semine facultatem sortita est. Illa enimuerò austera est, & fluxus reprimit, ita ut fœminarum ex locorum destillatione fluxionem sistat. Semen menses concitat, subtili nimirum essentia, & incidendi facultate præditum.

Mecon, papauer multiplex est hortensis, cui etiam thylacitis nomen inditū, semē cibo idoneum: si cum panibus estur, moderatè somniferū est. Rheas uerò papauer, eo quod semē

ipsius

ipſius celeriter defluat, cognominatum, ualẽtius quàm dom
ſticum eſt: neutiquam igitur impunè priuatim manducatur
ſed momẽtum largiori melle temperatum. Quod uerò caly
ce ſuo ueluti depreſſo & concauo, atrum ſemẽ complectitur
admodum medicamentoſum & exquiſitè frigorificum eſt
Quod uerò proceriore & ſqualidiore calice præditum, om
nium facile medicatiſſimum eſt, uſq; adeò ut ſtuporem uſq; ad
mortificationem inducat. Nam & ipſum, et liquor eius, qui
per hyperbolen & nimiam excellentiam opium cognomi
nant, extremi infrigidantium ordinis eſt. Corniculatum, uim
habet abſterſoriam: qua de cauſa radicis eius decoctum, po
tu præſentaneo iocinoroſis eſt remedio. Folia itidem floresq;
ſordida hulcera expurgant, & cruſtas detrahunt.

Heracleum, cui & aphrodes, hoc eſt ſpumoſum nomẽ eſt
inditum, ſemen habet pituitæ purgandæ natum.

Malis omne genus humor excrementitius ac gelidus ineſt:
cæterum mollia & exoluta, & aquoſa, frigidiora & humi-
diora ſunt cæteris. Dulcia, aquoſa quidem, ſed obſcurius fri-
gida. Auſtera, dulcibus quidem frigidiora, ſed minus humi-
da. Acida & ipſa quidem naturæ frigorificæ, ſed impactos
uentri humores incidunt. Acerba, ueluti cydonia, & mala
ſtruthia, gelidam & terreſtrem temperiem ſortiti, aluum co
hibent, uulnera glutinãt. Pari quoq; modo folia, ſucci, corti-
ticesq; arborum inter ſe diſcrepant.

Mali Perſicæ ramuli, germina & folia uincentem ha-
bent qualitatem amaram: lumbricos idcirco læuigata, umbi
licoq; impacta, perimunt. Fructus porrò ipſius, nempe hoc
quod edendo eſt Perſicum, humidius & frigidius ſecundo
gradu exiſtit.

Mali Armeniacæ fructus, quem hac ætate prococcia in-
digitant, eandẽ cum pomis Perſicis facultatẽ repræſentat.

Mei radices calidæ ſunt tertio ordine, ſiccæ uerò ſecun-
do. Quocirca lotium menſes que proritant. At ſi pluſculum
ſumpſe-

umpseris, caput tentant.

Milax non modò leuis, uerumetiam aspera, arboribus sus que deque circumuoluta, calidæ et acrioris est potentiæ.

Misy ex eorum medicaminum censu est, quæ cum ualida strictione crustā inducunt, atq; deurunt: minus tamen quàm chalcitis, subtilitatis beneficio erodit. Porrò chalcitim & so y Galenus tradit uetustate in misy permutari, à superficie atim incohoante mutatione.

Molybdena, plumbago, spumæ argēti uiribus respondet, media temperie ad frigidius pauxillum declinans.

Molybdos, plumbum algentis est potentiæ, multam uerò habet substantiam humidam à frigore congelatam. Quocirca si triueris in pila plumbum uel cum uino, uel cum oleo ex immaturis oleis expresso, aut quopiam alio succo frigorifico, ad hulceratas pudēdorum sedisq; inflammationes, præstantißimum erit remediū. Lamina adhæc plumbacea lumbis gestata, ueneris insomnia arcet. Quin & glandulas neruorum, quas ganglia appellant, tenuis plumbi bractea imposita dißipat. Plumbum crematum siccius est, & habet nonnihil acrimoniæ. Vbi lotū fuerit, citra morsum exiccatorium & hulcerib. extremè malignis, præsentaneū est remedium.

Mori fructus maturus quidem, alui deiectionem molitur. Ad medicamenta quæ ab ore stomatica dicuntur, & ad alia quæ mediocri astrictione egent, accommodus est. Immaturus uerò quum aruerit, medicamentum præstat admodum astrictorium. Radicis arboris cortex, quadantenus amarescens, purgandi uiribus exuperat, ac proinde latos etiam lumbricos enecat. Folia ac germina mediam quodammodo subducentium & retinentium facultatem obtinent.

Myagri semen pingue est: quod uerò in se complectitur oleaginum, opplendi præfert potentiam.

Myaces, mituli cremati, buccinis præstant eadem. Peculiariter uerò eloti, scabriciem palpebrarum, oculorumq; albugines

bugines cum melle exterunt.. Caro ipsorum canum morsib impoſita, auxiliaris eſt.

Myaron, quam aliqui melampycnon uocitant, herba ſu culacea eſt, & pinguis, cuius pinguetudine ſcabricies corpo ris læuigari creduntur.

Myelos, medulla, indurata & ſcirrhoſa corpora emollit Primæ bonitatis prærogatiuam habet ceruina, proximam uitulina: taurorum nanq; atq; hircorum plus acrimoniæ & ariditatis ineſt. Quæ ex artuum oßibus elicitur, pinguior & mollior eſt: ſpinalis autem durior, ac ſqualidior.

Mycetes, fungi, frigidi admodum ac udi tẽperatura ſunt & ſanè inter eos ſunt, qui comeſti enecant, potißimum qui ex natura putredinis compote conſiſtunt.

Myoſote, auricula muris, explicata in Alſine.

Myza arboris fructus eſt, exilior quidem prunis, uiribu uerò proximus.

Myrice, tamarix, ſecantem & detergentem poteſtatem, citra perſpicuam deſiccationem ſortitur, accedit illi nonnul la quoq; ſtipticitas. Eamq; ſanè ob cauſam, decoctum ipſius lienoſis ſubuenit potum, medeturq; dentium doloribus. Fru ctus eius & cortex, gallæ uiribus reſpondent. Cinis arboris multo exuccior eſt.

Millefolium tanta pollet ſiccandi potentia, ut uulnera conglutinet.

Myrrha, quæ myrrhis quoq; dicitur, ſecundi eſt calfacien tium ordinis, partium quadã ſubtilitate annexa. Radix eius iucundo naribus odore, guſtui dulcore blanditur, menſes pro licit, pectus atq; pulmonem expurgat.

Myrtus ex contrarijs conſtat ſubſtantiæ partibus, exupe rat tamen in ea frigidũ terreſtre: cuius ergò arefacit impen ſius. Cæterum myrtula adnaſcens ramis ac trunco turgida (quam myrtida appellãt) magis exiccat & aſtringit. Folia item arida ualidius quàm uiridia deſiccant. Fructus atq; ſuc

cus

us eandem habent facultatem, quum exterius illitus, tum in rò assumptus.

Moly, quod rutam agrestem uocant aliqui, nonnulli uerò armalam, Syri besasan, calfaciendo in tertio censetur abscessu, cum subtilitate essentiæ. Quare crassos, uiscidosq; humores incidit ac discutit, lotiaq; prolicit.

NAscaphthon, alij nacaphthon uocant, odoramentũ est Indicum, aduersus constrictiones muliebrium locorum, ad suffitus uaporatur.

Napy, sinapi calfaciendo & arefaciendo in quartum usque recessum peruenit.

Nardi spicæ radix calfacit excessu primo, desiccat secũdo. habet aũt et astringentis quiddã substantiæ, cum acrimonia et amaritudine leuiuscula. Eamq; ob causam iocinori & stomacho conuenit. Foris adhibita, uel intra corpus sumpta, lotium proritat, uentris & intestinorũ fluxiones compescit. Efficacior aũt est Indica, quàm Syriaca, et nigrior. Nardus Gallica, uires prædictæ cõgeneres sortita est: ad cũcta tamen, præterquam ad ciendum lotiũ, debiliores. Calore enim potentiore, inualida uerò astrictione donata est. Nardus, quæ in montibus prouenit, thylacitis & pyritis nuncupata, uiribus commemoratis est inferior.

Narthex, ferulæ semẽ, attenuandi calfaciendiq; uim obtinet. Medulla ipsius uiridis adhuc, astrictoriæ qualitatis particeps est. Ideoq; sanguinẽ excreantib. et cœliacis remedio est.

Narce, torpedo marina uiuẽs, dolentib. capite adhibita, dolorẽ ipsius sopit, eodẽ illo uidelicet torpore, quo membra hominis solo contactu torpescunt. Oleũ in quo uiua elixata est, acriores articulorum cruciatus illitum lenit. Sedem prætcrea procidentẽ coercere hanc torpedinem appositu asserũt.

Narcißi radix tantum exiccat, ut uulnera etiam grandia conglutinet, uel ad præcisiones usq; tendinum utilis. Habet et abstergendi & euocandi uim quampiam.

Neuras, aliqui poteriũ nuncupant, citra erosionem desic cat, ut præcisis neruis glutinãdis sufficiat. Radices eadẽ po tißimũ efficacia regnãt, cùm impositæ, tum in potu sumptæ

Nerium, uel rhododaphne foris illitum, dißipat, intra rò corpus sumi letale est.

Nymphæa, desiccantis est potentiæ absq; morsu. Ventre reprimit, semenq; desiccat. Verùm candida radice prædita ualentior est, adeò ut muliebri quoq; medeatur profluuio, c uino nigro et austero potata. Cui uerò atri coloris radix est ea quiddam abstersorium habet: ac proinde uitiligines, quo alphos Græci uocant, aqua admixta exterit. Capillorum d fluuia, illita cum pice liquida, resarcit.

XAnthion, uel phasganion, semen gerit dißipandi faculta te præditum.

Xiris, siue xyris, cũ tenuitate partiũ dißipãdi euellẽdiq; e nimirũ exiccãdi facultatẽ obtinet, præsertim semen: quod e lotiũ ciere, & liene in scyrrhum induratum sanare potis est.

Xiphij, gladioli radix, attrahendi, disijciendi, & exic candi uiribus donata est.

Oe, sorbus arbor, cuius fructus oa, à quibusdam ua, hoc est sorba nuncupantur, astrictoria quidem facultate, sed im becilliore mespilo est prædita.

Othonnam, alij herbæ cuiuspiam succum esse affirmant, nasciq; in Arabia ad Aegyptum: alij lapidem Aegyptium es se credunt. Habet uirtutem abstergendi & erodendi: cuncta quæ oculis tenebras offundunt, & aciei officiunt, exterens.

Oenanthes, labruscæ floris multiplex usus est, siquidem potenter astringit, uentri comprimis robur indit. Cæterùm Dioscorides aliam huic potestate contrariam describit œnan then, eoq; secundas eijcere, & urinæ stillicidio, morboq; re gio mederi asserit.

Oenos, uinum calidum est & siccum, in secundo ordine, sed ualde antiquum in tertio, mustum uerò in primo.

Oesypus,

Oesypus: de lana succida in sermone de lanis explicatũ est.

Olynthi, grossi acrem habent & discutientem potentiã, ratione succi quem in se continent. Qua de re elixi, duros tumores dissipant, crudi uerò formicas & thymos expungũt.

Olostium cum astrictione exiccat, quo nomine medendis ruptis eo utuntur.

Omphacion, succus est ex immaturis uuis expressus, insigniter astringens, & in tertio excessu desiccans. Quamobrem affectibus cum fluxione coniunctis, præsertim stomacho cibum non continenti, succurrit.

Onagrã, sunt qui onotherã, et onothurin appellãt, frutex est arborosus, cuius radix illita immania bulcera mitigat.

Onoma, uel onomis, uel phlomitis, uel ononis, acris & amara est. Quare folia eius è uino pota, fœtus in utero interficiunt & expellunt.

Onobrychis, opaca rarificæ et discussoriæ facultatis est. panos itaq; disijcit, stillicidijs urinæ medetur, et sudores elicit.

Oni, millipedæ q̃ in humetis et sub aquarijs uasis degũt, et in gyrũ se cõuoluunt, dissipãt et exiccãt. Quocirca cũ uino potæ, mictionis angustiæ et morbo regio opitulantur. Angina uexatis cum melle illinuntur. Cum rosaceo tritæ, et calfactæ in cortice mali punici, contra aurium dolores instillantur.

Onyches, testæ sunt conchularũ Indicarũ, quæ suffitu adhibitæ, præfocatione uteri concidentes fœminas excitãt, pariter et morbo comitiali oppressos. Potæ uerò uentrẽ turbãt.

Ononis, radix in calfaciendo tertij quodammodo ordinis est. Cortex eius extergit & desiccat: quo nomine calculos comminuit.

Oxos, acetum mixta refrigerandi pariter et calfaciendi potestate præditum, utrinq; tenuibus constat partibus. Vincit autem caliditatem frigiditas, tanta arefaciendi facultate, ut tertium ordinem absoluat.

Oxycanthus arbor, agresti piro figura & facultate re-

ſpondet, cuiuſdam etiam tenuitatis particeps. Fructus uer ipſius baccis myrti æqualis eſt.

Opos, ſuccus, tum Cyrenaicus, tum medicus, tum Syriacus per excellentiam uocantur, naturæ calidioris, & per halitum digerentis haud ignauiter. Reliquos calore et partium ſubtilitate exuperat Cyrenaicus.

Origani omnes ſpecies incidendi, extenuandi, deſiccandi, calfaciendiq; potentiam ad tertium uſq; gradũ referunt.

Oreoſelinum, apium montanum, conſimile ſatiuo eſt, ſed ualentius interim.

Orobanche, ſiccam & gelidam habet temperiem, in ordine primo.

Orobus, eruum in calfaciendo ordinẽ ſortitur primum in deſiccando uerò ſecundum: & eſt guſtãtibus amarum. atq; ob id quidem diſſecat & abſtergit, & ab obſtructione liberat. Vberius uerò aſſumptum, ſanguinem per lotium agit.

Orminõ, geminalis, forma et colore marrubio æquale eſt, modicè deſiccat atq; detergit: in Venerẽ igitur incitat: oculorum craßitudines cum melle illitũ expurgat, œdemata diſijcit, aculeosq; euellit. Syluestre ſatiuo non parum eſt ad omnia potentius.

Oryza, aſtrictionis alicuius eſt particeps, qua uentrem leniter aſtringit.

Orchis herba (appellatur etiam cynos orchis, hoc eſt teſticulus canis) bulboſam & geminam radicem obtinet. Maioris quidem facultas, humida & calida, ideoq; in uenerem ſtimulat: minoris uerò, calida eſt & ſicca. è diuerſo igitur uenerem extinguit.

Orchis (quẽ et ſerapiada cognominãt, aliqui uerò triorchim) uehemẽtius quàm ſuperior deſiccat. Quapropter laxos humores diſcutit, hulceraq; ſordida et putreſcẽtia expurgat, herpetib. medetur. Torrefacta multo impẽſius deſiccat. Quia uerò læuiter aſtringit, uentrem quoq; cũ uino pota cõpeſcit.

Oſyris

Osyris herba, ex qua scopæ nectuntur, quæ coremata dicuntur, amara, obstructiones iocinoris expediens.

Ossa cremata uehementiorē habēt dißipādi exiccādiq; potentiā: in primis uerò quorundā sententia, humana. Talū quippe suillū combustū, inflationibus & strophis mederi asserūt. Si quis ossa deusta propinat, comitiali morbo & articulorū dolorib. medetur. Sunt qui talū bubulū crematū labefactatos dētes cōstabilire affirmēt. Cū melle uerò sumptus, rotundos lūbricos profligit. Adiecto oxymelite, lienē induratū liquat, in uenerem excitat. Femora bouis cremata, inq; potu aßumpta, sanguinis eruptiones, et alui profluuia reprimunt.

Testæ ex fornacibus læuigatæ, siccificam & abstersoriam uim obtinent. Quocirca dentes exterunt: illitæ cum aceto, pruriginibus, & pustulis, quæ Græcè exanthemata dicuntur, & misera pedum ualetudine laborantibus opitulatur. Cum cerato, strumas abolet.

Ostreorū testa cremata cōgenerē habet cū buccinorū testis effectū, subtilioris tamē est essentiæ. fœdas itaq; faciei lituras exterit, dētes dealbat. Eadē si lauetur, mordacitatē amittit: humida hulcera carne implet, atq; ad cicatricē perducit.

Vrina quælibet temperamēto calida est, et acris. Atqui humana omniū cæterorū animaliū, præterquā maialiū, imbecillior existit, ualētius uerò abstergit: cuius potu in peste quidā usi mortē euaserūt. Lepris præterea et putredini obnoxijs fœtidisq; capitis hulcerib. q̄ achoras dicūt, furfuribusq; medetur. Pedū attritib. nōdū inflāmatis opitulatur. Cæterū urina uenerē non experti puelli, omniū primas efficacia tenet, ex qua etiā chrysocolla cōficitur. Vrina mulorū morbo articulari cōuenit. Lotiū caprinū, atq; chamelorū uentrē subducit. Qua ratione aqua inter cutē laborantib. potui præbetur.

PAncratium, scyllæ imaginem refert ac uires, sed imbecillioris est affectus.

Paliuri cùm folia tū radix astringūt, proinde alui fluores

sistunt, & panos non admodum calentes discutiunt. Fructus insuper tantam habet dissecandi uim, ut lapillos atterat, & pectoris excreationibus subueniat.

Panax Herculeus, unde liquor opopanax appellatus cōficitur, tertij calfacientiū excessus, exiccantiū secundi, emolliendi dißipandiq; facultatē obtinet. Radicis uerò cortex succo uiribus inferior est: habet abstersorium quiddam, & carnem procreat. Fructus mensibus proritandis idoneus est.

Panaces Asclepium, atq; Chironium, prædicto calidiora sunt: quapropter floribus eius & semine medendis hulceribus malignis, & ad panos utuntur.

Papyrus non combusta materia quædam est, cremata are faciendi uim habet, quemadmodum et charta deusta: sed papyri cinis uiribus inferior est.

Paronychia, ab effectu nomē sortita est, quod reduuijs quæ ad unguis radices coeūt, et paronychiæ dicūtur, remedio sit. Extenuat, exiccat, & mordere nescit.

Quinquefolium in tertio excessu desiccat, minimè acre, eoq; multiplicis est usus.

Peplon, alij papauer spumosum appellant, & hic fruticulus succum obtinet, & tithymallorum modo expurgat.

Peplion quoq; succum poßidet, prouenitq; magna ex parte maritimis locis. Cætera quidem superuacua, semen uerò eius feruens, haud aliter atq; peplum expurgat.

Piperis radix uiribus costo aßimilatur: cæterum fructus nuper germinantis, piper longum dicitur, quod humidum est & calidum. Qui uerò acerbus adhuc est, piper dicitur album, quod atro acrius. nam illud iam quasi superassatum uires quodammodo nimia torrefactione exhaustas habet, ambo autem excalfaciendi uim obtinent.

Pepō abstergendi ui pollet, quāobrē eius ueluti caro discolores ceu à sole contractas maculas, atq; cōsimiles cutis labes exterit, semen renes obturatos obstructione uindicat.

Periclyo-

Periclymeni, syluæ matris semen et folia, incidẽtis pariter et calfacientis sunt potentiæ, tãtæ quidẽ, ut senis diebus pota, lotium cruentum proliciãt, semen desiccent, lienosis et ægrè spirantibus quadragenis diebus pota salutaris est.

Verbenaca, hactenus desiccat et astringit, ut uulnera conglutinet, & sanguinis eruptiones sistat.

Persæa, arbor est Aegyptia, cuius folia desiccandi & constipandi uim obtinent, ideo'que sanguinis eruptiones compescunt.

Petasites tertij in arefaciendo ordinis est, quo fit ut aduersus cacoëthe, et hulcera phagedænica usus eius commẽdetur.

Petroselini semen calfaciendo & exiccando in tertio censetur ordine, unà cum incidendi effectu: inde mẽstrua & lotia copiose promouet, & flatus discutit.

Peucedani succum & liquorẽ impendio calorificum, disijcientẽ at attenuantẽ usurpamus. Odorata nanq;, & in potione interius sumpta, iuxtà affectibus pulmonũ ac pectoris, ex craßitudine & tenacitate humorũ prouenientibus, prodesse creduntur: Lienes induratos soluunt: dentiũ perforatorũ cruciatus, cauitati exesæ impositus liquor extemplò sopit, affectibus neruorũ cõgruit. Radix cùm ad hæc, tum ad squamulas oßium abscindendas utilis est. Hulceribus dolosis et malignis opitulatur, excalfaciens & desiccans gradu tertio.

Picea, cum pino similem quidem, sed moderatiorem facultatem sortitur.

Peganũ, ruta syluestris quarto ordine calfacit & exiccat, hortẽsis tertio. Crassos tenacesq; humores dissecat et discutit, lotia ducit, & flatus extrudit: hinc ueneris impetum cohibet.

Pix arida distãtia à tẽperatis secũda desiccat, minus calfacit. In liquida ecõtrario calor siccitati præstat. habet & nonnullã abstergendi, maturandi, dißipandi potentiam, et in gustu acrimoniam: quibus scabros ungues, impetigines exterit, tumoresq; maturat duriores. Ad hæc omnia liquida po

tentior est: ut suspiriosos etiam, et pectoris suppurationes, sta adiuuet. sicca uerò, ad uulnera conglutinanda efficaci

Pisselæon, liquidæ picis proles est, quæ natura subtili rum est partium.

Pistaciorum fructus manducatus, stomacho moderatè u lis est, iocinoris obstructiones expedit, atq; in primis summ rum, beneq; fragrantiū eorundē operimentorum in uino d coctum: ad serpentium etiam morsus accommodatus est.

Pityides, fructus sunt picearum mixtæ uirtutis, ueluti ac monie & acerbitatis participes. Quare promanantibus e pectore spuitionibus conferunt.

Pityocampe, picearum erucæ, ijsdem sanè uiribus, quibu cantharides & buprestes præditæ sunt.

Piceæ cortex ita astringendi facultate præpollet, ut in tertriginibus & ambustis illitus, efficacissimè succurrat, & alui fluorem bibitus cohibeat. Folijs inest uis quædam hulce rum conglutinatoria.

Pityusan, nonnulli tithymalli speciem esse autumant, e quod lac perinde atq; ille habeat, & similiter illi repurget.

Platanus non multo humidiorem & frigidiorem faculta tem possidet, hinc & folia eius uiridia inflammationibus na scentibus auxilio sunt. Cortex aūt & galbuli siccioris sunt potentiæ, ut in aceto elixi, dentium cruciatus leniant, adustio nes uerò ignis cum adipe persanent. Cortex porrò crema tus, desiccatorius magis & abstergētior euadit, hactenus qui dem, ut lepras exterat, hulceribusq; perhumidis medeatur.

Pulmo agninus & porcinus, in pedibus calciamentorum attritus sanare creditur. Vulpinus sale inueteratus si potu su matur, anhelos restituit. Marinus recens in leuorem contri tus, podagris & pernionibus proficit.

Polemoniū, quidā philetærion nominăt, tenuis est essentiæ & exiccatoriæ. potui igitur nonnulli in coxendicū dolorib. dysenterijs et indurato lieni radicem eius cū uino exhibent.

Polium

Poliū minus, quo utimur ad antidota, in tertio est calfacien
[t]i et arefacientiū cēsu. Laxat igitur obstructa intestina om
[ni]a, lotiū et menstrua trahit, grandia conglutinat uulnera ui
[ridi]s. aridum uerò rebellibus inspersum hulcerib. subuenit.
Polygalō modicè austera habet folia: potū, lac procreare
[cre]ditur. Tēperamentū itaq; in eo imperat calidū et humidū.
Polygonatum, fraxinella, multiplici facultate à natura
[do]natum est, astrictione, acrimento, amaritudine, & insuaui
[qu]e gustus fastidiosa, explicatu difficili. unde non admodum
multa est usui, præterquàm quòd radicem eius nonnulli
[hu]lneribus inducunt, & faciei næuos eadem detergunt.
Polygonon, sanguinalis, habet quiddam astringens, sed
[ui]ncit in eo aquea frigiditas, in excessu secūdo. Quamobrem
[fla]grantes effreni æstu stomachos, gelida foris inspersa ad-
[iu]uat, quemadmodum & sacros ignes & feruentes inflam-
[m]ationes lenit. quumq; eiusmodi existat, profluuia retundit,
[id]eoq; siccifica esse uidetur. Antecellit autem in omnibus fœ-
[m]inam mas efficacia.
Polycnemum calfacit & desiccat secundo gradu, proin
[d]e ipsum quoq; uulnera conglutinat.
Polypodium, filicula, citra mordacitatem impensius de-
[si]ccat, potu haustum purgat per inferna.
Pompholix arefacit absq; erosione, itaq; carnosis atque
[al]ijs omnibus malignis hulceribus succurrit. Inditur etiam
[c]ollyrijs ocularibus.
Purpuræ crematæ æqualem habent ostracis potentiam:
[ca]eterum testæ ipsarū in oleo decoctæ, capillos fluentes con-
[se]ruant: cum aceto sumptæ, lienes turgentes sanant. Eædem
[su]ffitæ, mulieres ex uteri strangulatione concidentes exci-
[ta]nt, secundasq; expellunt.
Potamogiton, fontinalis herba refrigerat & adstringit
[p]roximè sanguinali, cui uiribus respondet.
Poterij, quod phrœnion quidam uocant, fruticis radices

concisæ, neruorum præcisiones & uulnera conglutinan. Quinetiam potum herbæ eius decoctum, neruorum affectiones adiuuat.

Prasion, marrubium, calefacit ordine secundo, sed exiccat amplius, iocinoris & lienis obstructiones aperit, thoracem & pulmonem expurgat, mensesq́; prouocat. Illitum abstergit ac digerit. Alioqui primaria detergendi & dissecandi facultate præditum.

Porrum, prauum succum generat, et acrimoniam possidet, ut autor est Dioscorides: grauia parit insomnia, aluo accommodatur, urinam ciet, & attenuat. Habet præterea non nihil abstersorium, quo pectoris uitia per excreationes emendat. Semen eius ptisana decoctum, renum inditur remedijs. Folia quadam sunt astrictione donata. Qua ratione expressus eorum liquor, sanguinem erumpentem supprimit.

Prinus, ilex, congeneres quercui uires obtinet, multo tamen est ualentior.

Propolis efficaciter calfaciendo secundum sortita est excessus ordinem, abstergit leniter, & substantiam in se habet tenuem, & meatus obturatione afferentem.

Ptarmicæ folia sternutamenta proritant. Vniuersus uerò fruticulus uirens, sugillata, liuoresq́; alios disijcit. Est etenim calorificæ & exiccatoriæ facultatis. Viridis quidem in secunda, sicca in tertia distantia.

Ptelea, ulmus, exiccantem & abstersoriam uim obtinet, qua uulnera conglutinet. Multo uerò amplius cortex, si recens fasciolæ modo uulneribus circumligetur. Lepram cum aceto exterit. Radices eadem potestate regnant: quarum decocto fracturæ, quæ tophacia egent substãtia, fouendæ sunt.

Pteris, filix, exiccatoriam uim & amarã præfert. Propterea fœtus in utero interficit, & latos lumbricos enecat, quatuor drachmarũ pondere in mulsa sumpta. quoniam autẽ paululũ habet astrictionis, hulcera sine erosione exiccat.

Pycno-

Pycnocomum discutientis & acris est potentiæ, proinde
lia ipsius panos & furunculos discutiunt. Semen ad hæc
rpori infixa extrahit, radix flauam bilem exhaurit.

Pyrethri radix deurentem uim sortita est, qua dentium
rfrigeratorum cruciatus lenit, & in febrium cum tremo-
algoribus sub accessionis circuitum cum oleo infricatur,
pidos etiam ac resolutos iuuat.

Pyros, triticum, primi est excalfacientium ordinis, nulla
iccandi aut humectandi insigni potestate, glutinosi etiam
toris & obstructionis nonnihil sortitum est.

Pytia, coagulum quoduis, acrem, attenuantem, disycien-
n & exiccatoriam facultatem habet. Leporinum uerò,
nitialibus succurrere, si cum aceto potetur, traditum est
moriæ, & fœminarum fluxioni medetur. Lac in uentre
umosum soluit, consimiliter & sanguinolëtas pectore ex-
ationes compescere affirmant. Equinum uerò tradunt,
liacis, intestinorumq; torminibus succurrere: Phocæ pa-
castorio uires obtinere.

Eiycula quælibet (aut attritarum uestium fragmenta)
cõbusta, pares lanæ crematæ, ex qua texitur, uires possi
. Linteum uerò dum crematur, tenuem ex se fumum ex-
lat, ut destillationes à capite in subiectas partes dissipet, et
liebrium locorũ recursui ad superna auxilietur. iam pan
ulus combustus proximam lanæ facultatem obtinet.

Rhamnus arefacit distantia secunda, refrigerat in pri-
. Qua ratione herpetes cum ignibus sacris non admodum
uentes curat. Cæterum tenerorum eius foliorum usus com
ndatur.

Rhaphanus tertio gradu calefacit, secundo exiccat: syl-
tris autem in utroq; efficacior est. Amborum semen ualen
s est: sugillata igitur, & cæteros liuores discutit.

Rheum nonnulli rha nuncupant, constat terrena, frigi-
subtiliumq; partiũ essentia, aerea item calida, & leuiter
acri.

acri. Quamobrem conuulſionibus, fracturis, & orthopn
auxiliatur, liuores, quòd diſijciēdi uim habet, exterit. Q
aſtringendi, ſanguinem expuentibus, cœliacis, inteſtinor
torminibus prodeſt. V triuſq; ratione iocinoroſos adiuuat

Reſinæ omnes calorificam habent & exiccatoriam f
cultatem. Cæterū primas tenet terebinthina. non enim di
cit modò, ſed emollit etiam, & tenuem habens inſuper eſ
tiam, eatenus abſtergit, quatenus ſcabiē exterit, & lanx
huiuſmodi. Acrior quodammodo eſt reſina tedacea, & h
quoq; magis ſtrobolina, neq; tamē quàm terebinthina ma
diſtrahunt aut extrahūt. Medium inter has locum tenent
cea & abietina.

Roſarum uis atq; natura conflata ex aquea ſubſtantia,
lida, adſtringente atq; amara. Flos adhuc ualidius aſtring
eamq; ob cauſam exiccando pollet.

Rhodia radix calfacit ordine ſecūdo, tenuium partiun
& diſsipantis naturæ.

Rhœa, mala granata, dulcia omnia, adſtringentem qu
litatem obtinent prædominantem, quapropter refrigeran
& deſiccant. Cæterum dulcia minus: auſtera autem mag
refrigerant, & ſicciora ſunt, & ſtomacho minus noxia. Ac
da refrigerant, & ampliorem quandam incidendi faculta
tem obtinent. Acini ipſius ſucco aſtringentiores & exiccan
tiores ſunt. Iam uerò & malicoria his multo amplius aſtrin
gunt & arefaciunt. Proximam his naturam habent Cytini,
qui mali punici flores ſunt.

Rhoos, qua coriarij utuntur, fructus & ſuccus medicis in
uſu potiſsimum ſunt, ualde aſtringentis quidem & ſiccifica
qualitatis in exceſſu tertio, abſtergentis autem ſecundo.

Rhypos, ſtrigmenta ſordesúe ex ære ſtatuarum & uaſo
rum in palæſtris. in quibus largum oleum inhæret, continēs
aliquid æruginis, diſijciendi & moderatè arefaciendi, emol
liendiq; uim obtinent, atq; ob id immaturos panos diſijciunt.

Cæterùm

...erum de strigmentis ex palæstra cum puluère & deci...ceromate collectis, quæ pati à quibusdam uocãtur, iam...lem de sudore traditum est. Sordeculas uerò aurium re...ijs, optimum remedium esse perhibent.

...gapenum ceu liquor est ferulæ, calidus & subtilis. Ha...et aliquid abstersorium, quo oculorum cicatrices exterit, ...ustionibusq; eorum accommodatur.

Salamandræ combustæ cinerem nõnulli medicaminibus ...dentib. & quibus lepræ ac scabiei succurritur, admiscẽt.

Samsychon, maiorana, calfaciendi & arefaciendi uim ...et in tertio excessu. Constat ex tenuitate partiũ, & dissi...te potentia.

Sandaracha deurentem, perinde atq; auripigmentum, fa...tatem obtinet.

Sandix, uel Siricum tenuium est partium, & temperatu...exiccatoriæ, nondum tamen excalfacientis.

Saprotes, caries lignorum, potissimè ulmi, humida expur...hulcera, & carne implet,

Sapon abstersoria facultate prædita est.

Sarcocolla, arboris in Perside nascentis lachryma est, ...uim & naturam habet opplendi, et citra erosionem de...andi, eoq; uulnera conglutinare potis est.

Saxifraga urinam prolicit, & calculos comminuit.

Satyrium, uel ut alij nuncupant, trifoliũ, temperaturam ...et humidam & calidã, & spirituosum est. Quamobrem ...uenerem incitat. Tradunt aliqui, id ipsum cum uino astrin...te haustum, non nisi recta ceruice spirãtibus succurrere. ...lenus libro de Theriaca: Triphyllũ, inquit, hyacintho si...e est, aere intumescens, semẽ habet syluestri cnico simile. ...xæ huius decoctum, phalangij aut uiperæ morsui, si eo fo...tur, opitulari. Sano autem eadem potio exhibita, consimi...affectum his qui ab aliquo horum demorsi sunt, inducit.

Sauræ, lacertæ iocinoris ac capitis, suo loco mentio fa...cta est.

cta est. uniuersa autem dispalata & imposita, scorpionis ict
bus remedio est.

Apium tanto calore præditum est, ut lotia mensesq́; pro
ritet, flatulẽtos spiritus extinguat, & semen eius potißimum

Seris, intybum, holus subamarum est, frigidi admodum
ac humidi temperamenti, sed astrictoriæ quoq; qualitatis est
particeps.

Seriphum calfaciendi in secundo excessu, siccandi in pri-
mo, facultate præditum est, absinthio respondens, præter
quàm quòd non æquè ut illud astringit, impensius calfacit,
& lumbricos interficit. Stomacho nonnihil infesta.

Seselis radix, magisq́; semen, tanta cum partium, quibus
cõstata est, subtilitate, ui calfactoria pollet, ut urinam cieat,
aduersum comitialem morbum & orthopnœam opem con-
fert.

Sepiæ testa consimili quidẽ ostreo prædita est potentia,
sed tenuioribus constans partibus, abstergens. Qua de re si
cremetur, cum sale foßili, oculorum ungues extenuat. Insita
uerò & infricata, ficosim exterit, & cutis uitia detergit.

Sesamoidis candidi semen calfacit, abstergit, & rumpit.

Sesamum pinguetudinis plusculum, uiscosiq́; lentoris non
parum continet. Eam ob rem opplendi, emolliendi, & calfa
ciendi non in summo uirtutem obtinet.

Seps, quam aliqui lacertam Chalcidicam appellauerunt,
in uino bibita, à se illatis mordicibus succurrit.

Saliua hominis ieiuni potenter dißipat & abstergit. Quo-
circa infantium impetigines illita exterit, furunculos conco
quit, cum tritico nimirum ore præmanso imposita, sugillata
abolet: homicidisq́; feris omnium aduersißimum est.

Sideritis Heraclea, quæ & helxine dicitur, explicata
est. Sed Achillea sideritis superiori uiribus est non dißimili-
bus, nisi quòd astrictione exuperat. Idcirco fluidis adfectio-
nibus competit.

Sideros,

Sideros, ferrum aqua sæpenumerò extinctum, insignem
am uim siccificam in ea deponit, pota idcirco lienosis ex-
edit. Vinum uerò in quo candens ferrum extinctum est, cœ
acos, & intestinorum tormina, cholera laborantes, stoma-
ho dissolutos persanat.

Sicyos, cucumis qui edendo est, uiridẽ colorem præfert,
frigerandiq; & humectandi facultatẽ in secundo excessu.
aro eius feruidas mitigat inflammationes. Semini abster-
ẽdi & incidẽdi facultas inest. Quocirca urinas cit, & cor-
ori uenustatem & nitorem conciliat. Siccus arefacit in or-
ine primo, sed maior abstergendi uis cùm semini, tum radi-
i inest. Cucumeris syluestris liquor, Elaterium dictus est. Ra-
icis uerò foliorumq; succus, haud disparem quidem elaterio
acultatem, sed debiliorem sortitus est. Radix abstergit, discu
it, atq; emollit: succus exiccat.

Sillybum plantula spinosa est, chamæleonem candidum
eferens, esculenta interim. Radicis liquor drachmæ ponde-
e cum mulsa potus, uomitiones prolicit.

Silurus sale conditus, atq; deglutitus, fauces humidas ex-
urgat, ad modum cataplasmatis impositus, aculeos euellit.

Silphæ, blattæ, quæ circa molas & in pistrinis repe
itur, interanea elixa & contrita, aurium doloribus me-
lentur.

Silphium, laserpitiũ, insigniter calfacit, & flatus creat,
& concoctioni renititur. Exterius corpori applicatum, effi
cacius agit, præcipuè laser: attrahendi, expurgandi, & ex-
crescentias amoliendi uiribus pollens.

Sison calidum, lotia ciet, concoctionem iuuat, menstrua
concitat, & interaneorum oppilationes recludit.

Sium, lauer, excalfacientis est potentiæ, urinas mouet, di
scutit, calculos in renibus confringit, & menses propellit.

Sisari radix elixa, stomacho salutaris est, uires eliciendi
urinas, secundoq; excessu calfaciendi obtinet. Semẽ tenuium

partium

partium est, & discussorium, & præpotens. Quamobrem singultientibus, torsionibus circa umbilicum laborantibus, cum uino propinatur.

Sisymbrium, quod & cardaminen nuncupant, eo quòd cardamo præferat quippiam simile, aridum quidẽ calfacit & desiccat, ordine primo: rudum uerò secundo.

Scammonia calfacit, discutit, & biliosos humores abstergit, sed potißimũ eius liquor, qui & panos disijcit, conceptus appositu interficit, lepras abolet. Diuturno capitis dolori cũ oxyrhodino magna cũ utilitate inspergitur. Radix ipsa per se pota, tum eius etiam decoctum repurgat. Cum admixtione uerò aceti polentæq; hordeaceæ decocta, coxendicum doloribus cataplasmatis superinducitur.

Scandix è syluestrium holerum censu est, calidæ & siccæ facultatis secundo excessu. Vrinam ducit, & uiscerum obstructiones aperit.

Scingi carnes renibus proximæ, potu sumptæ, mẽtulam arrigere, & uenerem accendere creduntur. Contrariam affectionem lactucæ semen cum aqua potum inducit: hoc est, ueneris cupiditates extinguit. Idem præstat lentium elixatio cum melle.

Scilla incidit, calfacit, et desiccat ordine secundo. Satius autem fuerit eam assam aut elixam sumere.

Scolopendra, centipes marina, oleo elixa & illita, glabreta inducit. Combusta uerò pruriginem quoq; excitat.

Scolopendrion asplenon est.

Scolymon, carduus, calfacit & exiccat classe secunda. Radix in uino elixa, potaq;, graueolentẽ urinã copiose eijcit. hircumq; alarũ, uniuersiq; corporis uirosos odores emẽdat.

Scordium multiformes potentias sortita est, quoniam simul amarum, acerbum, & acre est. Expurgat itaq; pariter, & calfacit uiscera, urinam & mẽses promouet, omnia perfrigerata calore instaurat, uulnera conglutinat, sordidaq;

expur-

expurgat. Aridum ad cicatricem perducit inspersum.

Scorodon, allium calfacit & siccat quarta distantia. Syluestre quod ophioscordon, tanquam anguinum alliū nuncupant, efficacius quàm satiuum est.

Scorodoprasum porri & allij gustu mixtas refert qualitates, pariter atq; uires.

Scorpioides calfaciendo tertium, desiccãdo secundum ordinem sortitur.

Scorpius terrenus, crudus impositus uel tostus in cibo sumptus, contra proprios ictus præsenti est remedio. Marini uerò fel, suffusionibus oculorum subuenit.

Scoria (hoc est, metalli cuiusuis recrementum) quælibet impense desiccat, cum primis ferri, quod excoctum atq; cum aceto læuigatum, auribus suppurantibus prodigiosum est remedium: ijs etiam qui aconitum hauserunt, cum aceto mulso potum, succurrit. Stercus plumbariū plumbi uiribus respondet, uehementius tamen astringit.

Smilax, uel cactus, taxus, uenenosæ facultatis arbor est.

Smyrna, myrrha, calfaciendo & desiccando, in secundo censetur excessu. Capitis igitur uulnera, inspersa glutinat. Inest etiam quidam amaror, quo lumbricos, fœtus q; occidit, abstergit præterea: quo nomine ocularibus collyrijs inseritur, et humores pectori impactos expurgat sic, ut fauces non exasperet. Bœotica uires calfaciendi, emolliendi & dissoluendi obtinet.

Smyrnium, sunt qui hipposelinum, quasi equapium, quiq; apium syluestre nuncupant, calfacit & exiccat, tertio ordine. Apio duntaxat ualentius, petroselino debilius: urinas igitur mensesq; agitat.

Sonchus, astringit pariter et manifestò refrigerat, quum uel estur, uel corpori inducitur. Arefactus, mediocrem calfaciendi uim induit.

Sparganio quoq; uis & natura desiccandi est.

Sparti genistæ quo uites uinciunt, seminis cũ floribus obo li quinq; in aqua mulsa epoti, purgant per superna, ueratri candidi modò sine periculo. Semen seorsim deiectionem moli tur, uirgultula eius coxendicis doloribus opitulantur.

Speclarium (lapis specularis) aliqui per ph, sphéclarion scribunt, quod eo uitri uice in fenestris nonnulli utantur: qua de causa diaphanes quoq;, id est pellucidum à claritate appel latur, substantia gypsosum: habet crematis testis, siue ostreis similem potentiam.

Spongia noua, maris etiamdum odorem spirans, cum a-qua uel uino uel posca superinducta, uulnera cõglutinat. Cre mata acris est, ac discußipat. Cum bitumine liquidáue pice com busta & applicata, exiguè sanguinis eruptiones cohibet.

Spodium, cinerula congenerem habet cum pompholy-ge potentiam.

Staphilinus, pastinaca urinam agit, menses sollicitat, præ cipuè radix & semen. Folia autem abstergendi ui prædita, affectionibus phagedænicis uiridia cum melle salutaria sunt. Pastinaca autem syluestris, ad omnia satiua est potentior.

Stachys frutex spicatus, marrubio æqualis, calfacientium tertij ordinis est, eapropter menstrua ducit, fœtus occîdit, & secundas à partu morantes expellit.

Steata, adipes omnes hominis corpus humectant, & cal-faciunt: pro diuersa uerò animantium temperatura, earun-dem facultas uariat. Suillus igitur nulli est in humectando se cundus, uicinamq; oleo sortitur potestàtem: quare etiã rosio-nes obtundit. Caprillus siccior est, ocyusq; congelascit: qua ratione ad mitigandũ recti intestini morsum, ipsum per sedẽ inijcimus. Anserinus calidior, subtiliorumq; partium est: in medio horũ adeps gallinaceorũ atq; gallinarũ existit. Leo-nũ adeps omniũ facilè calidißimus est, tenuißimisq; essentiæ partib. cõstat, ac proinde præ cæteris discutit. Bubulus medi am inter suillũ et leoninũ tẽperaturã sortitus est. Vrsinus ca-pillorum

pillorũ ex alopecia defluuijs medetur. Vulpinus auriũ dolo ribus, quemadmodũ uiperarũ pilos abolere et oculorũ suffusiones prohibere proditũ est. Porrò in omnibus calidior semper ac siccior est mariũ, atq; horũ magis testiculatorũ & uigentiũ ætate, quàm reliquorum. Seuum quoruncunq; pecudum temporis diuturnitate, seipso redditur calidius.

Stimmi præterquam quod desiccat, astrictionis etiã particeps est, quapropter ocularibus confunditur collyrijs.

Stœbes semen, & folia astrictoria facultate donata, desiccant in tertio excessu. Qua ratione uulnera peringentia conglutinant, eorumq; decoctum intestinorum torminibus, sanguinis eruptionibus, & auribus purulentis auxiliatur. Oculos ex ictu sanguine suffusos illita iuuant.

Stœchas obstructiones recludit, crassa attenuat, extergit, & uiscera omnia, totumq; animalis habitum corroborat.

Stratiotes, qui in humidis nascitur locis, frigorificam uim obtinet. Terrestris uerò nonnihil astrictionis habet, qua hulcera conglutinat. Nonnulli eo ad sanguinis eruptiones compescendas, atq; ad fistulas utuntur.

Solanum hortense esculentum, astringit & refrigerat excessu secundo: cui nomen est Alicacabum, facultate hortensi simile, fructum gerit ciendæ urinæ idoneum, uuarum acinis neutiquam absimilem. Solani uerò soporiferi radicis cortex, in uino drachmæ instar sumptus, somnũ acersit. Semen uim proritandi urinam obtinet, ex tertio frigorificorum ordine. Proinde si plus duodecim corym bis hauriatur, furorem adsciscet. Quarta solani species (furiosi nomine gaudens) ad medicinas quæ intra corpus sumuntur, inutile est, exterius autem illitum, hulcera depascendo serpentia curat, excessu secundo desiccans & refrigerans.

Stypteria, alumẽ omne uehemẽter astringit, craßũ est, et attenuat, reliquis tamẽ subtilius existit, quod appellatur scißile: proximũ est rotundũ & stragalotes. Crassarũ alundè partium

tium est liquidum, placitis, & plinthitis nuncupatum.

Styrax, calfacit, emollit & maturat: quocirca tussibus destillationibus à capite in subiectas partes, & coryzis succurrit. Fœminarum purgationes ducit bibitus et applicatus.

Syca, ficus aridæ, caliditate sua secundū ordinē attingūt: pinguiores, duros tumores ualidè ad maturationē sollicitāt, acriores abstergunt, ac dissipant. Decoctum ipsarum melli æquale, quod sireon pleriq; nominant, uiribus melli respondet. Virides imbecillioris sunt potentiæ: utræq; tamē aluum subducunt. Ficus autem caprifici acri & discussoria potestate donati, perinde atq; ex satiuis grossuli sunt.

Syce, ficus arbor calidam & tenuem temperaturam sortita est, adeò ut liquor eius, & foliorum succus non mordicet modò, uel excellenter abstergat, sed exhulceret etiam, ora uasorum aperiat, & myrmecias dissipet. Quin & purgandi uis inest. Syluestris autem ficus, quam caprificum indigitāt, ad omnem usum efficacior est domestica.

Sycomori fructus nihil alimēti præstat, stomachoq; noxius est. Liquor uerò sycomori emollit, uulnera cōmittit, et tumores distrahit. Bibitur illiniturq; contra serpentium ictus, duritie infestatos lienes, stomachi dolores, febriumq; horrores.

Symphyton, petreū ex diuersis uiribus conflatum est. partim enim incîdit, ut pus in pectore & pulmonibus contentū, renesq; expurgat: partim contrahit, ut sanguinis excreationibus, conuulsis, ruptis, fluxionibus fœminarum rufis, intestinorum'que ramicibus medeatur. Obtinet ad hæc calidam humiditatem, qua sitim arcet, & arteriæ lenit asperitates. Symphytum alterum, nempe grandius, uiscidum quendam lentorem & mordicationem obtinet, scyllæ simile. Vtantur eo ut petræo.

Sphondilij uerticilli, fructus atq; radix, acrimoniā habēt, & incidendi facultatē. suspiriosis itaq; et comitialib. regioq; morbo succurrunt. Radix eius circumrasa, fistulis imposita, cala

callos illarum tollit. Floris succus in aures contra diuturniora hulcera instillatur.

Schinos, lentiscus secundũ omnes suas partes desiccat secundaria distantia completa, in caliditatis uerò frigiditatisque qualitate medium quadantenus locum obtinet, eò usque astringens, ut astrictione succo hypocystidis propè admodum accedat.

Iunci odorati flos calfaciendi mediocrẽ, astringendi minorem facultatẽ obtinet, tenuibus eſsẽtiæ partibus. Quibus urinam prolicit, menses proritat, et ab oppilationibus liberat, tum in suffitibus, tum potionibus, tum in cataplasmatis adhibitus. Flore magis astringit radix, hac uerò ille calidior est.

Rotũdi odorati iunci læuis geminæ sunt species. Sed oxyschœni appellatæ semẽ somnum cõciliat, minus uerò oligoschœno caput aggrauat. Ambo fricta si cum uino potentur, uentris fluores exiccant, & muliebre profluuium cohibent.

Sory, misyi efficacia respondet, multo craſsioribus tamen illo constat partibus.

THymorum sale maceratorum caro acris est, & exiccatoria, quam ob causam à prestere uipera demorsis perquã plurimum eius esui præbetur, uinumq; insuper largius ingurgitatur, & citatur uomitus. Ad drimyphagias, qui acrium esus est, congruit. In modum cataplasmatis aduersus canum & aliorum serpentium morsus utiliter illinitur. Taurocolla (quasi taurinũ glutinũ dicas) sunt qui xylocollã, id est ligni glutinũ uocãt, ex boũ coriјs cõfecta, impẽse abstergit. Quocirca aceto diluta, impetigines et summæ cutis lepras exterit: neq; sinit ambusta inflãmari, cum calida aqua eliquata. Est præterea medẽdis uulnerib. oxymelite macerata utilis.

Tellinæ, sale conditæ, crematæ, deurentem reddunt cinerem. Qui cum cedrio liquore confusus, euulsos radicitus palpebrarum pilos nasci iterum alios, si instilletur, prohibet.

Terebinthus, excalfacit in exceſsu secundo. Desiccat ue-

rò, si quidē uiridis sit, primo: sin aridus, secundo. Fructus porrò aridus tertiæ est arefacientium distantiæ, propter hæc utiq; urinam prouocat, & lienes adiuuat.

Tettigas, cicadas quidam crudas exiccant, colicisq; potui treis aut quatuor, aut quinq;, aut septem, cum paribus numero piperis granis exhibent: aliqui assas edendas offerunt, quibus affecta est uesica.

Teutlon, beta nitrosæ potestatis particeps est, per quam abstergit, discutit, caputq; per nares expurgat, potentius autem candida. Elixata ad leniendum feruores, & inflammationes arcendum, leniterq; discutiendum redditur efficax.

Teucrium calfacit ordine secundo, desiccat tertio, dissecandi & attenuandi facultate præsidio lienibus existit.

Tephra, cinis nō quilibet eandē ad amußim temperaturā obtinet, sed pro cōbustæ materiei diuersitate uariatur. Acerbarum nanq; arborum cinis, utpote quercuum & ilicis, astrictione non modica præditus est: qua sanguinis eruptiones supprimit, quum aliud ad manum non est. Acrium uerò, puta ficus et tithymalli cinis, acriore ui et abstersione magis pollet.

Telephium in primo calfacientium, secundo autem arefacientium ordine collocatur, & abstergit. Quare ad putrida exedentiaq; hulcera accommodatum est. Leucas & uitiligines cum aceto exterit.

Telis, fœnogræcum in calfaciendo ex secundi ordinis censu, in desiccando primi habetur. Quamobrem feruentes phlegmonas irritat, cæterum non adeò calidas, & scirrhum æmulantes, dißipando sanat.

Tithymalli omnes quarto ordine, cum acrimonia et amaritate intensa calfaciunt. Sed radix quum inefficacior quodammodo sit, aceto elixa, erosorum dentium cruciatus sopit. Liquores ualentiore potestate prædíti, cauis dentium inseruntur: uerùm ubi aliam corporis partem contigerint, eandē extemplò adurunt, ideoq; pilos paululum delibutos abolent, for

micas,

micas, acrochordonas item, & id genus uitia auferunt, lichenasq; & quæcunq; cutis uitia exterunt, hulcera uitiosa consuetudine et phagedænica sanant. Septenario autem numero comprehensi, uehementissimi sunt: characias, quasi uallaris: & myrsinites, à myrti foliorum figura: & dendrodes, quasi arborescens, à ramorum copia, qui prouenit inter saxa: deinde uerbasci imaginem præferens, mox à cupressi forma cyparissias. Ab hoc paralius, hoc est maritimus: postremò helioscopios, id est solisequus.

Titanos, calx aqua nõ restincta hactenus urit, ut crustas inducat. Extincta uerò crustã quidẽ protinus molitur, sed post diem non amplius, calfacit tamẽ, carnesq; liquat. Quod si lauetur aqua marina, summam dissipandi facultatem induit.

Tragacãtha similib. admodũ gummi uiribus prædita est.

Tragium planta est, quæ in Creta prouenit, lentisco conformis, tertij calfacientiũ ordinis, attractoriæ, discutientisq; facultatis, et tenuis essentiæ. surculos euellit, lapillos comminuit, menstrua trahit drachmæ instar bibitũ. Sed alterũ tragium, quod à Romanis cornulaca uocatur, proximo amarulentius, scolopẽdrio simile, gignitur multis in locis, tãta astrictoria uirtute donatũ, ut fluidis affectionib. accommodatũ sit.

Tragoriganus similes origano uires habet, & astrictionis plusculum.

Tribulus modicè refrigerat, sed terrestris siccando uehementior est, aquaticus etiam leuiter humectat. Vtriq; contra inflammationum generationes, cunctasq; fluxiones accommodati sunt. Terrestris fructus, quum ex subtilibus partibus constet, renum calculos confringit.

Tragopitodes, tragus frumentaceus zeæ similis est, concoctioni uerò magis resistit, & aluum emollit.

Trigle, mulorum piscium assiduus esus aciem oculorum hebetat. idem marini draconis, scorpionisq; & araneæ morsibus subuenit, si crudus concisusq; adhibeatur.

Tropoliũ, radicẽ habet calidã in tertio gradu, et acrem.

Triches, pili cremati consimilem sortiuntur lanis combustis facultatem.

Triga, pastinacæ marinæ radius, denti affecto impactus, confringit ipsum & excutit.

Tryx, fex uini nondum cremata, uarijs conflata est uirtutibus: uis enim illi ualidissimè desiccandi & dissipandi. Cæterum astrictionem, ex uini, cuius sedimentum est, specie adipiscitur. Vtendum igitur est ea in affectionibus humidioribus, & fluidis. Phygetla disijcit, rigentes lacte mammas extinguit. Cæterum quæ priuatim sphecle, hoc est fex cremata appellatur, deurendi uim induit, atque ob id deurentibus etiam medicaminibus inditur. Scabros ungues cum resina excutit, & ex oleo lentiscino totam noctem illita, capillos flauo colore inficit. Lota abstergentibus oculorum medicamentis commiscetur. Aceti fex per omnia ualẽtior & astringentior quàm uini est.

Troglodytes, passer est, omnium auium, dempto regulo, minima, degens frequenter in sepibus. Is quùm assus, tum crudus, sale conditus atq; comestus, calculos renum confringit. Cinis ipsius deusti potus, eadem designat.

Tyros, caseus recens & mollis, repercussoriam habet facultatem, refrigerans leniter: quocirca & uulnera committit impositus. Qui autem oxygalactinus nuncupatur, præter hæc discutiendi etiam lenem quandam uim sortitus est, uulneraq; ualidius conglutinat. Inueteratus autem, atq; in primis pinguis, distrahendi uim repræsentat: qua ad arthriticorum tophos salubre est remedium, potissimum cum decocto carnis suillæ cùm salsæ, tum pinguis.

HYacinthi radix bulbosa primo ordine exiccat, secũdo refrigerat. Atq; ob id quidẽ pueros diutissimè impubes custodire, cũ uino pubi illita, creditur. Semen eius leuiter extergit et astringit. Vnde aurugine laborãtibus offertur in uino,

arefaciens impensius, quàm refrigerans.

Hyalos, uitrum in pollinem friatum, cum uino tenui candidoq; sumptum, calculos uesicæ comminuere perhibetur.

Hydnon, tuber terræ, essentia terrestriore, cum exigua quadam subtilitate constat.

Hydrargyros, argentum uiuum, haud ita multum momenti in re medica præstat, quum sit letale uenenũ: sunt qui id comburentes ueluti in cinerem redigunt, quem alijs speciebus permixtum, colicis & ileosis potandum exhibuerunt.

Hydropiper herbula est calida, non adeò tamen ut piper uirens cum semine superinductum, non sugillata solum, sed induratos etiam tumores discutit.

Hydor, aqua saluberrima,& impermixtæ consistentiæ, propria sua natura frigida est & humida: quæ uerò acquisititiam caliditatem assumit, tantisper dum eam seruat, calefacit: simulatq; aduentitium calorem amiserit, refrigerat. Quæ porro commercium habet cum aliquo, quemadmodum quæ nitri uel bituminis particeps est, admixtæ sortitur essentiæ facultatem. Cœlestis uerò etiam astrictionis quippiam obtinet, ea propter collyrijs oculorũ temperatur. Cæterum huiusmodi aquam inculpatam esse oporteat, primo uolumine explicatum est.

Hyoscyamos, altercum, non modo cui atrum, sed & cui flauum inest semen, uenenosum est. Ad medicationes, quod flore ac semine candido præditũ est, expedit quammaximè, tertio refrigerantium ordine existens.

Hyperici duo sunt genera: Alterum, quod andrasæmon & astyrrhon appellatur, superius comprehensum est. Alterum uerò calfacit & siccat ob subtilitatem suæ consistentiæ: qua totus herbæ fructus urinas & menstrua prolicit. cum folijs uerò uirens illitum, uulnera ad cicatricem perducit. Arida uerò applicata, hulceribus medetur. Exhibentur insuper coxendice laborantibus in potu.

Hypecoon refrigerat in tertio gradu, proximũ papaueri.

Hypoglossum fruticulus est, cuius cùm radix tum liquor emolliendi facultatem obtinent.

Hypocisthis succus est eorum, quæ ad cisthi citharíq; uocati radices subnascuntur, puta cytinorum: admodum efficax contra omnes fluidas affectiones remedium, eximiè desiccando, roburq; particulis indendo, existit.

Hypophæstum, fulloniæ spinæ species est, quẽadmodum & hypophaes. Huius capitis, & foliorum, aridarumq; radicum trioboli pondus cum aqua mulsa sumptum, aquam & pituitam euacuat, orthopnœis, comitialibus, & neruorum affectionibus maximè proficit.

Hyssopum calfacit & exiccat ordine tertio, cum tenuitate substantiæ.

PHaci, lentes, desiccant ordine secundo, inter calorem ac frigus mediæ. Habent præterea nonnihil astrictionis: quo fit, ut corpus totum exiccet, & uentrem compescat. ius uerò irritat, proinde prior aqua defunditur, quando retentionis gratia adhibentur.

Lenticula lacustris, udi ac gelidi temperamenti est, excessu secundo.

Phalaridis succus folia & semen pota, uesicæ languoribus opitulantur, & in se tenuitatis & caloris quippiam continent.

Phalangites (id nominis sortita est, quòd à phalãgiorum ictu petitis opituletur) numeratur inter ea quæ tenuium sunt partium. Eoq; circa umbilicum torsionibus subuenire creditur.

Phelli, subera, præsertim quæ ex uasis uinarijs colliguntur cremata, siccificißimum cinerem efficiunt, qui dysentericis maximè permiscetur remedijs.

Philyræ, tiliæ arboris folia, facultate astrictionis agrestem oliuam referunt, præcipueq; oris hulceribus remedio

sunt,

unt, si commanducantur, & decocto eorũ colluuntur. Quod tiam potum, lotium ac menstrua prouocat.

Phlomi, uerbasci plura sunt genera, inter quæ numeratur & thryallis. Omnium uerò folia siccandi & mediocriter abstergendi ui prædita sunt, & potißimum eius quod au ei coloris est, & acerbi. Fluidis itaq; affectionibus compeunt. Colluunt quidam ijsdem quoq; in dolore dentes.

Phœnix, quam aliqui rhun appellãt, herba lolio non absimilis, potestatem habet astringendi. Quare cum uino hau a austero, omnes fluxionum affectus compescit.

Phœnix, palma arbor, cuius fructus si probè immaturuit, moderatè calefacit, robur indit, & stomacho confert, tam tra assumptus, quàm extrà adhibitus. Quod reliquũ est pal æ, astrictionis plurimum obtinet: qua de causa stomachicis hepaticis facultatib. cõfunditur. At quod fructus enascen s ueluti inuolucrum existit, impensius astringit.

Phormium cum partium tenuitate abstergendi & attra endi facultate pollet. Albugines igitur semẽ ipsius cum mel attenuat, & surculos euellit.

Valerianæ, phu, radix nardo similis est, sed tamen ad ple q; ignauior: uerùm urinas propellit quàm ea ualẽtius, per de atq; nardus Celtica.

Phycos refrigerandi & arefaciendi uim habet in secun o ordine, acerbitate item leuiuscula præditus est.

Phyllites, quum acerba quadam qualitate donata sit, non re alui profluuijs pota succurrit.

Galbano tantum non tertij excalfacientium ordinis est. In desiccando autem attingit secundum, cum facultate olliendi & discutiendi.

Chalcitis, cum acrimonia qua prædita est, astringendi, urendi, & crustas generandi facultatem obtinet. Partium tem subtilitate media inter misy & sory consistit. Combu a tenuioris redditur substantiæ.

Chalcan-

Chalcanthon, aqua est in metallis Cypri coalescens, cu calore quodam insigni, uehementißimam habens astringe di potētiam, quod omnium maximè humidas carnes cond seruat, atq; desiccat. Cæterùm longo temporis progressu chalcitidem transit.

Chalcos, æs crematum, habet acrimoniam quandam, astrictionis compos est. Inducendis itaq; cicatricib. optimu est, potißimum in aridiore corpore. Si abluatur, in mollio carne salubrius est.

Chalcanthus, flos æris, subtiliorum est partium, quàm ustum, uel squama eius. Temperatus in collyria, aspredin & ficosas palpebras exterit.

Chamædrys, trixago, in tertio gradu calfacientium & arefacientium est: qua ratione lienes absumit, lotium ac me ses trahit, uiscerumq; obstructiones expurgat.

Chamæcißi, hederæ terrestris flos, quum uehementer a marus sit, iocinoris obstructiones reserat. Exhibetur item e coxendice laborantibus.

Chamæleucæ uis est calfacere ordine tertio, exiccare se cundo.

Chamæleontis nigri radix calfacit & desiccat tertio fer mè abscessu. Abstersoriæ quoq; facultatis compos est, qua cu tis labes exterit, duros tumores discutit & emollit. Quin & phagedænica hulcera oblita medicatur. Intro in corpus sum pta, uirosa est. Chamæleonis candidi radix uiribus atro re spondet, sed amarior est: quæ cum uini austeri mensura ace tabuli pota, latos uētris lumbricos interficit. Conducit etiam aqua intercutem laborantibus.

Chamæmelū, uel anthemis, primo abscessuum limite ca lefacit & exiccat, tenuisq; particeps est substantiæ, ui discu tiendi, laxandi, & redolendi imperat.

Chamæpitys, aiuga, abscessu secūdo calfacit, tertio exic cat. Idcirco uiscera expurgat & abstergit, potißimum ie cur,

r. Vrinas præterea agit, ac menses, uulnera ampla com
ittit, hulcera putrescentia sanat, duritias discutit: decoctum
sius, coxendicum morbo conflictantibus auxiliare est.
Chamædrops, sunt qui chamædryn, qui teucrion appelli
nt, trixagini consimilis est potentia.
Chamæsyce, hoc est humilis ficus, detergente pariter &
ri donata est potentia. Proinde tumores ipsius & liquor,
rrucas quas myrmecias dicunt, & acrochordonas aufe-
nt. Crassas oculorum cicatrices cum melle exterunt, aciei
ulorum hebetudinem, suffusionumq́; principia adiuuant.
Chamælæa, oleago, abstersoria facultate prædita, hulce
sordida & crustas cum melle exterit.
Chelidonium, hirundinaria, ordine tertio calfacit, & effi
citer abstergit. Succus grandioris ad oculorum speciem ex
uendam accommodus est. Radix autẽ auruginosos obstru
one liberat, cum uino & aniso pota: commansa, dentium
uciatus mitigat. Chelidonium uerò minus ex quarta calfa
ntium classe, maiore acrius est, ut illitũ cutim exhulceret,
guesq́; scabros excutiat, succus eius per nares expurgat.
Chelidonum, hirundinum crematarum cinis cum melle
itus, anginarũ inflammationibus succurrit, & oculorum
ritatem adiuuat.
Chole, fel, in animalium humoribus omniũ calidissimum
, sed colore inter se dissident. Siquidem quod flauum, palli
calidius est: & flauo, quod colore præfert æruginẽ. Diffe
nt præterea, pro animaliũ quæ id continent ratione. qua
us suillum omnibus alijs imbecillimum est: quamobrem au
um hulcera absq; mordicatione curat. Ouium non paulò
iorem habet quàm suillum acrimoniam, & ouillo capril
n ad omnia efficacius est. Vrsinum pariter & bubulum
ibus caprino respondent. Taurinum his potentius, ab hie
rum tamen felle superatur: hoc rursum à felle piscis cal-
nymi appellati uincitur, & scorpionis pariter marini,
quod

quod suffusionibus oculorum, hebetudinibus, albuginibusq; di
congruit, & testudinis marinæ. Sed fel capreæ, his qui noct
acutius quàm interdiu prospiciunt, quos nuscitiosos uocan
conferre perhibetur. At omnium uolucrū fel acrius, & are
faciendo potentius, quàm quadrupedum est. Inter has uerò i
sas gallinaceorum atq; perdicum alijs est præstantius. Acci
pitrum & aquilarum maiore quodammodo acrimonia, &
exedendi uiribus pollet, uiridi quandoq; & atro colore.

Chondrilla, seris species quum sit, subamarum quiddan
in se complectitur, quocirca uiribus est quadantenus siccan
tioribus quàm illa prædita.

Chondrus non discrepat à tritico, præterquàm quòd ill
plus uiscosi lentoris quàm huic inest.

Chrysocolla in metallis reperitur, & in pila ex ære ru
bro præparatur, pistillo æreo è lotio pueruli uenerem non
experti, sub ardentissimo caniculæ æstu contrita. Hæc itaq
abstergit, discussoria & exiccatoria facultate alijs metalli
cis uehementiore donata hactenus, ut carnem citra morsum
colliquet: quamobrem malignis hulceribus commodissimum
est remediū. Cōbustione omnē planè mordicationē deponit.

Chrysocomæ, quæ & chrysites appellatur, radix, acrio
re pariter & astringente uirtute prædita est, quapropter
haud ita multiplicis in medicina usus est, nisi quòd in peri
pneumonijs & iocinorosis affectibus in mulsa elixata propi
natur, menses insuper promouet.

PSeudobunium bunio specie respondet, calfacit, discutit, et
detergit: idcirco à torminibus circa umbilicū, urinæ stilli
cidio, laterumq; dolorib. asserit: distrahit & scrophulas, cum
sale uinoq; superinducta.

Pseudodictamnum, debilis dictamni uiribus donatum est.

Psimythion, cerussa, refrigerandi opplendiq; illitu facul
tatem sortita est.

Pulicaris herbæ semen refrigerat ordine secundo, arefa
ciendo

endo & humectando medium obtinet.

Psoricum præparatur, calcitidis binis partibus, argen- spumæ uni permixtis, utrisq; tamē antea aceto dilutis, de- de in ollam recentem coniectis, quæ fimo quadraginta die is obruta tegatur. Ea quippe ratione confectura desiccato- a magis subtilior, minùsq; chalcite mordax efficietur.

Vi albumen ac tenue, mordere nescium, moderatè refri- gerat. Vtendum igitur eo ad oculos, ad pudendorum hul ra, aliaq; omnia cōtumacia, & uitiosæ cōsuetudinis. Tem ratur ad hæc medicamentis profluuium sanguinis suppri- entibus, emplasticisq;. Oui autem uitellus aßtmilis poiētiæ, medijs inflammationē extinguētibus commiscetur. Assum rò maiorem desiccandi uim, mitigandi minorem acquirit. tum porrò ouum aceto decoctum, si edatur, uentris fluxio desiccat. Quòd si acerbi quippiam adiunxeris, puta gal- n, aut rhun, uel syluestris punicæ florem, & sartagine fri- ris, redditur multo efficacius. Ignem autem nō expertum, ustionibus inductum opitulatur. Sorbile assumptum, len- pectoris humores concoquit atq; solatur, & asperitates icium læuigat. Præferendum autem recēs ueteri, & gal arum, reliquorum animalium ouis.

Ocimum calfacit ordine secundo: habet & recrēmenti- m quandam humiditatem. Quare non proficit interius as ptum. Exterius autem illitum discijcit & concoquit.

Ocimoides à plerisq; philetærion nūcupatū, nullius pla- frugis radix est. Semen tamen eius attenuat, & citra ero- nem desiccat.

De pharmacis simplicibus, flauam bilem pur- gantibus. Cap. 4.

Loes drachma cum mulsa manè exhibetur, qui uesperi eam propinant, uel à cibo, lædunt, quoniam alimētum in mbra distrahit. Flauam bilem minus extrahit, trium obo- um pondo, aluum ab excrementis duntaxat strenuè exo- nerat.

nerat. Quum uerò medicamina quæ corpus purgant, omnia stomacho noxia sint, sola uentriculo amica est aloe: qui amaritatem ipsius sustinere nequeunt, ijs conformata inde catapotia deglutienda præbeantur. Sciendum autem, quòd pharmaca purgādi facultate prædita, non simplici quadam temperatura, uerbi causa, caliditate euacuant (oporteret alioqui cuncta calidi temperamenti, ueluti pipere, euacuandi uim obtinere) sed insita quadam totius essentiæ proprietate, quemadmodum Magnes lapis ferrum ad se, ceu demonstratū est, trahit. Porrò expurgantium medicaminum albo, quæ emolliendi solum facultatem sortita sunt, primo uolumine commemorata habentur. Efficacioribus uerò, uel ad materiam transferendam, uel ad affectionē induratam mouendam, uel ad instaurandum corpus, temperamentumq; ipsius alterandum, aut humorem deniq; officium facientē educendum, utimur. Nonnulli uerò modi ex prædictis mixti inter sese inuicem implicati sunt. Iam uerò in uniuersum medicamētis expurgandi sunt, quibus ualidum robur, ac sumendi eas promptitudo expedita inest, & qui primas ætates egreßi, nōdum ad extremū ætatis peruenerūt, & qui stomacho minimè imbecilli sunt, quiq; multam in corpore inutilem accumularunt materiam, neq; adeò sanguinolenti existunt. Tēpus uerò purgationis est, nisi materia turgente res urgeat, uernum maximè, & autumnale.

De his quæ bilem proliciunt, & euacuant.

Cholagogis quouis anni tempore, excepta hyeme, utendum: ætate uerò uigente, & iam declinante, constitutionibus siccis, & musculosis, & atri coloris, uel rufi: maribus potius quàm mulierculis, quibus alimenta continuò corrumpuntur, uentrem habent astrictum, amara item bile præditis, iracundis, nec urinæ multum excernentibus, et ijs qui alimēta usurparūt arida & calida. In affectis morbo regio, iocinoris debilitate, laterū doloribus, phrenitide, angina, insania, cephalæa;

læa, ophthalmia, igne sacro, lepra, febrib. & ijs quibus bilio sus humor redundat. Porrigitur adhæc aloe his quib. caput grauedine perturbatur, lippientibus, singultibus, et qui imagina tionib. in somno uexantur absq; febri. His qui horroris in corpore discursum sentiunt, peditus acres excernunt, intestina mordicantur, & stomachi effreni æstu laborantibus, & quib. clyster ob excrementorum copiam nequit inijci: abunde nanque euacuat (nec uniuersum commouet corpus, nisi multo plus quàm par sit, offeratur) inhærentem intestinis uentre & stomacho bilem educit. Veratrum accommodatum est ægritudinibus acutis, & diutinis, quæ bilis euacuationem efflagitant: uerbi causa, insaniæ, & heterocraniæ, oculorum destillationibus, & thoracis quibuscunque affectionibus, cæterum uisceribus, locellis item fœminarum, uesicaq;, pharmaco bilem proliciente opus habentibus, appositissimũ est. Vtile item diutinis asperæ arteriæ affectibus felle suffusis, atque his pariter qui exanthematis, impetiginibus, aut herpetibus, uel igne sacro, uel lepra conflictantur. Veratrum nigrum bilem, maxime flauam, à corpore uniuerso absque difficultate elicit. Quapropter non grauiter febrientibus, & febre uacantibus magis, instar drachmæ, radicibus nempe in mulsa & aqua læuigatis, his qui antè ieiunarint: uel cum melle forma pilularum præbetur. Sunt qui ei pulegium admisceant, aut satureiam, aut eorum quippiam quæ ocyssimè transeunt, & stomachum adiuuant.

Scammonia ueratri instar purgat, & flauã bilem potissimè. Sed omniũ quæ purgatoriam uim habent, stomacho infestissima est. Quocirca febre carentib. stomacho nõ imbecillis exhibeatur instar obolorũ quatuor cum sale, aut pipere, aut zingibere, aut aliquo stomachum iuuante et celeriter transeunte, uel cum melle. Conficiunt etiam cũ gummi catapotia.

Colocynthidis meditullium, hoc est interius farctũ, bilem potissimũ euacuat, et muscosa non à sanguine dũtaxat ueratri

& scāmoniæ modò ducit, sed costas et neruosa purgat corpora, drach. unius pondere, in melicrati cyathis duobus, quibus ruta elixata sit. Teratur aūt, et subigatur exquisitißimè, quoniā asperitates ipsius, interaneorū anfractib. inhærescētes, intestina exhulcerāt, et neruales inducūt per cōsensum affectiones. Datur rectè dolentib. caput, ubi cerebri uidelicet tunica, aut per icranios menbrana affecta fuerit, ueluti uertiginosis, heterocranicis, cephalæa cōflictantib. sacro morbo et sideratione infestatis, cynice cōuulsis, diuturnis oculorū destillationibus, non nisi recta ceruice spirantib. anhelosis, longo tempore tußi uexatis: præterea arthriticis, renū item et uesicæ affectibus. Elateriū cōsimiliter scammonia euacuat: deligendum aūt, quod colore uirescit, & leuitatē habet, nec anno est antiquius. Modus est triobolaris tritus cum lactis hemina. Tithymallus, nō secus atq; elateriū & scāmonia bilem prolicit: exhibentur autē liquoris guttæ quatuor, aut quinq;, cum polenta maceratæ, quæ raptim deglutientur: quoniam in ore contentæ, linguā et loca uicina quāplurimū exhulcerāt. Lathyrides bilem purgant, nō aliter quàm ueratrum, aut scāmonia: dentur itaq; septem aut octo, & usq; ad quindecim. Quæ robustis & maiorem poscentib. euacuationē, manducandæ: imbecillioribus aūt & malo stomacho præditis, integræ deglutiendæ sunt. Peplij fruticis germina arida, octo obolorū pondere in mulsa exhibita, bilem hellebori instar expellunt, flatulentosq; spiritus dißipant. Agaricū in euacuando cōpares colocynthidi uires obtinet, lētè efficaciā suam exerens, neq; stomacho admodum hostile. Propinentur denarij duo triti in melicrato. Esto autem agaricum candidißimum, ualde friabile, non admodum lignosum, et teredinibus minimè corrosum.

Iris Illyrica similem purgandi facultatem habet, octo obolorum quantitate in aqua mulsa propinata: potior est minimè antiqua, & teredinibus expers. Centaurium minus quoniam bilem mucumq; expurgat, coxendice laborantibus pe-

culia-

culiariter succurrit. Bibetur autẽ iuris cẽtaurij sesquidrach. in aquæ cotyla usque ad medias decocti. Tragorigani flores cũ fructu duarũ drach. pondo in aqua mulsa potui dãtur, quibus & ueratrum nigrum: cæterùm utiliores sunt stomacho quàm helleborus, minus uerò expurgant. Chamæleæ drach. quatuor in melicrati heminis duabus ad quartam usq; partem elixæ, similẽ helleboro purgandi uim obtinent. Sunt qui chamæleæ & absinthij duplum in pilulas redigunt, et glutiẽdas exhibẽt. Aristolochiæ surculosæ fructus instar denarij in mulsa propinatus, modo colocynthidis repurgat. Polypodij arida radix læuigata, cũ melicrato illita, uel cũ eo infricata, eadem omnino quæ colocynthis perpetrare consueuit.

Quæ atram bilem proliciunt.

Medicamentis atrã bilẽ expellentibus potißimè utendũ in melancholicis, facilè indignantibus, iracundis, homines odio prosequentibus, receßũ quæritantib. et his qui inter cõualescẽdũ opus habẽt purgatione, autũno calidiore, cõstitutionib. siccis, parũq; musculosis. Epithymum præstantißimũ est remediũ, eorũ quæ atrã bilẽ prolicere solẽt. Dãdæ aũt sunt drach. quinq; cũ lactis hemina cõtritæ. Epithymbrum, quod supra thymbrã nascitur, haud secus quàm epithymum euacuat, nisi quod imbecillius est. Pulegiũ acetabuli mensura in melicrato epotũ, atram bilẽ educit. Tragorigani heracleotici tandundem, consimiliter pulegio euacuat, utraq; autem deficcant.

Alipi semen per inferna atram bilem purgare, pari epithymo pondere, cum sale & aceto, traditum est: cæterùm interanea leuiter (ut autor Dioscorides est) exulcerat. Est autem, ut ego quidem arbitror, hodie alypias appellata. Offerendum in mulsa. Parthenium consimiliter aridum in potu sumptum, eadem exhaurit. Alysson cum sale haustum, non aliter quàm superiora expurgat.

Quæ pituitam educunt.

Vtendum est pituitam ducentibus in complexionibus frigi

dis, senio confectis, hyeme, in resolutis, attonitis, inijs qui in• turgescunt, & inflata œdemata patiuntur, quiq; multa pituita in uentre, uel pectore, uel stomacho exuberant, & mulie bribus defluxionibus, his qui copiosa emungunt, & crassa excreant, cibumq; horrent, & coxendicibus ob mucum incumbentem laborant, uel elephantiasi infectis, & his qui aqua inter cutem, quam anasarca appellant, infestantur, maximè congruunt. Styracis candidi drach. cum æquali resinæ te rebinthinæ pōdere deuorata, pituitam euacuat. Oleæ radicis corticis drach. cum uino seu aqua. Pyrethri oboli nouem cum aqua. Lychnidis seminis drach. duæ. Cyclamini radicis drach. cum hydromelite. Scordij drach. duæ cum melle. Chamæpitys læuigata, & in globolis deuorādum exhibita. Squamæ Cypriæ drach. dimidia, cū resinæ tantundē in catapotijs deglutita, ualētius pituitam exhaurit. Lauri foliorū uiridiū drach. una cum dimidia. Corticis radicis syluestris cucumeris oboli duo. Ricini grana quadraginta. Crotones appellati putaminib. perpurgati eduntur, atq; pariformiter agūt. Apij dimidiū, quod circa radicē est, comestū, quod quidā chamæraphanō nuncupāt. Bdellij drach. duæ cū hydromelite. Gūmi aūt destillationibus oculorū peculiariter accommodatum est.

Quæ aquam proliciunt.

Eorum quæ aquam educunt usus est in aqua inter cutem, ascite scilicet, laborantibus, in mulieribus quæ albo uexātur profluuio, in his qui hulceribus infestantur fluidis. Squamæ Cypriæ drach. cum mulsa pota, aquam prolicit: aceti uerò momentū supersorbeatur, ne uomitu eijciatur. Granū cnidiū repurgatum & læuigatum, cū melle decocto epotum, ne ingluuiem adurat, aquā educit. Præbeantur aūt grana uiginti, uel uigintiquinq;, uel triginta, robustiorib. quadraginta. Euphorbij drach. cū melle decocto pota, pituitā quidē, impensius uerò aquā educit. Lōchitidis seminis oboli octo cū melicrato aquā emoliūtur. Cneorō similiter aquā expurgat, cū polenta potum.

potũ. Cnici ſeminis drach. quinq; ſimul læuigatæ, coquũtur cũ ptiſana et ſale modico, atq; ſorbentur. Guttæ ammoniacæ thymiamatis drach. ex melicrato epota, aquã trahit. Quidã uerò idẽ medicamentum cum poſca, lienoſis propinauerunt: quin & ſambuci radicis corticis ſuccus duarum unciarum menſura potus cum uino, aquam ducit.

De compoſitis medicaminibus, purgandi facultate præditis. Cap. 5.

Catapotia ex aloe.

INterioris colocynthidis farcti, ſucci abſinthij, aloes, ſingulorum partem unam, ſcammoniæ partes duas, redige cum aqua in pilulas quæ ciceris quantitatem æquent, quarum exhibendæ ſunt undecim.

Oxymel Iuliani.

Oxymel quod ad Iulianum refertur, accipit rutæ, origani, uniuſcuiuſq; uncias treis, comæ thymi uncias quatuor, anethi ſeſquiunciã, iridis unciã, mãdragoræ radicis ſeſcunciam, agarici uncias duas, tedarũ pinguium uncias duodecim, cocci cnidij uncias quatuor, lathyridum uncias treis, alypiadis tantundem, polypodij uncias duas, folij coſti, ſpicæ nardi, ſingulorum unciam: rheu pontici unciam & ſemiſſem, ſcillæ, turionũ ſambuci, canopi (qui eſt ſambuci cortex) cuiuſq; uncias treis, aſari unciã, pulegij uncias treis, epithymi, ueratri, acori, cuiuslibet uncias duas, ſij, ammonij, hyperici, cymini, uniuſcuiuſq; unciam, aniſi uncias duas, aceti ſextarios decem, mellis ſextarios quinq;. Herbas in aceto per triduum macerato: deinde amplius q̃ ad medias decoctis, mel inijce, & proiectis herbis, lathyridas, coſtũ, granũ cnidiũ, & ſpicã nardi in leuorẽ contritã adijcito: & ſi uidetur, poſt exactã concoctionẽ oxymel. Abſoluta datio uncia eſt, uel pro cuiuſq; uiribus. Cõfert aũt podagricis, et epilepticis, et ijs quos craſſos humores euacuare, & ab obturatione eorum liberare oportet.

Purgatorium aquagium ex caryophyllo.

Aloes, epithymi, caryophylli, grani cnidij, petroſelini, rheu pontici, ſingulorum uncia dimidia, euphorbij diobo-

li quatuor, mellis quantum satis est. Modus est cochliarium.

Purgatorium ex rhodomelite, Alexandrii.

Succi rosarum sextarij duo, mellis sextarius, scammoniæ triens. Datio summa, cochliaria quinque: minor, cochliaria duo: media, cochliaria tria. Aliter, mellis, rosarū succi, uniuscuiusq; libra, piperis drach. duæ, scammoniæ octo, masticbes quatuor, zingiberis drach. duæ. Aliud, quo ipse utor: Spicæ nardi, asari, epithymi, singulorū unciæ semissē, irrigato in aquæ hemina per triduū, et moderatè ubi decoxeris, aquæ, succi rosarū, mellis, utrobiq; sextariū dimidiatū cōfunde. ubi decoxerint ad craßitudinē, sesquiunciā scammoniæ admisceto.

Purgatorium e malis cotoneis.

Malorum cotoneorum decoctorū triens, piperis selibra, scammoniæ drach. mellis quincunx: quibus contritis, exhibe cochliario quantitatem unciæ, uel pro uirium ratione.

Medicamentum e malo citrio, salubre stomacho.

Corticis pomi medici, & carnis libram, in aquæ sextario uno & dimidio usq; ad tertias decoquito, deinde mellis sextarium dimidiatum immittito. postquam adusq; mellis craßitudinem incocta fuerint, læuigati longi piperis unciam, scammoniæ in fermento assatæ tantundem inspergito.

Buccellatus catharticus.

Scammoniæ tostæ unciam, piperis & apij seminis, singulorum diobolum, fœniculi, anisi, uniuscuiusq; unciam, mellis libram: quum moderatè assaueris, dato in condito unciam.

Oliuæ catharticæ.

Constant scammoniæ uncia, piperis uncia, epithymi, cymini fricti, petroselini, rutæ foliorum, mentæ uiridis, singulorum drachmis quatuor, laserpitij drach. palmularū, mellis, cuiuslibet quincunce, aceti heminis duabus, oliuarum salsarum sextario, fißilium uidelicet. quidam gari etiam symmetrum adijciunt. Exhibentur quinq;, aut septem, aut nouem.

Pastillus purgandi ui præditus.

Scammoniæ, euphorbij, singulorum drach. quatuor, folij duæ, piperis totidem, mellis libra. Modus est uncia.

Phusca

Phusca purgans, & stomacho grata.

Habet cumini, fœniculi, singulorum unciam: pulegij, apij, anisi, uniuscuiusque unciam dimidiam: epithymi, scammoniæ, cuiuslibet unciam, salis sextantem. Datio summa, sunt scrupuli duo in posca. Nonnulli etiam euphorbij scrupulos quatuor adijciunt.

Vinum purgans in laborantibus hydrope.

Scillæ quadrans, apij seminis selibra, piperis drach. radicis capparis drach. quatuor, grani cnidij cortice exuti drachma, folij malobathri pilulæ duæ, uini heminæ duodecim, mellis sextarij tres. Scillam contusam uino irrigato, reliqua læuigata admisceto.

Halatia ad purgandum, id est e sale purgatio.

Salis communis assati denarij sex, seminis apij, zingiberis, panis aridi, singulorum dioboli sex, anisi, piperis, uniuscuiusq; semuncia, scammoniæ, epithymi, cuiuslibet uncia. Datio cochliarium unum.

Podagrica ex hermodactylis.

Hermodactyli quadrans, anisi, cymini Aethiopici, ameos, thymi corymborum, piperis candidi, zingiberis, uniuscuiusq; dioboli tres, epithymi uncia dimidia. Dantur oboli octo manè cum condîto, siue melicrato, uel aqua feruidiore. Aliter idem purgatorium: Hermodactyli uncia, cymini Aethiopici, anisi, agarici, zingiberis, singulorum dioboli sex, mastiches duo, spicæ nardi tantũdem, moschi siliqua, cnici dioboli duo. Dosis, dioboli quatuor cum hydromelo. Scammoniam eo quòd stomacho noxia est, damnamus. Quod si copiosior euacuatio fuerit necessaria, admisce dationi scammoniæ siliquas tres. Exhibebis autem loto.

Catapotia ex Harmenico lapide, in morbo articulorum principaliter exhibenda.

Aloes triens, scammoniæ unciæ sex, agarici uncia, epithymi tantũdem, lapidis harmenici dioboli duodecim, casiæ uncia, spicæ nardi uncia, scillæ assatæ sextans, croci grammata duodecim, rhodomelite excipiantur. Datio dioboli duo.

Confectura ex coronopodio conducens ad eadẽ ad quæ ex hermodactylis præparata, & stomacho salubris.

Zingiberis dioboli duo, piperis diobolus, agarici decem, cnici interanei dioboli quatuor, coronopij radicis dioboli sex. Datio denarius, si difficilior est aluus, siliquæ uiginti tres, quæ faciunt omnino obolos septem, aut octo fermè, uentre euacuata lauabis, ouis & pane alito.

Medicamentum ex succo Cyrenaico ad quartanam.

Sumito succi cyrenaici, piperis, zinziberis, rutæ foliorum, cuiuslibet drach. exhibetur nucis ponticæ magnitudo.

Puls cathartica œdemate turgidis, elephantiasi laborantibus eximie conducens, & quibus crassum & uiscidum humorem extirpare animus est.

Colocynthidibus binis circumputatis, semen eximito, medulla uerò relicta ipsis oleo dulci impleto, & operculatas proprijs operculis, per diẽ ac noctem sinito. Deinde aũt oleo euacuato, colocynthidas in aqua tantisper dum liquescant elixato. Postea abiectis eisdem, oleo aquæ permixto ueratri nigri triobolũ adijce, scammoniæ drach. Vbi uerò cum his pulticulã ex similagine, uel panẽ aridum contritum elixaueris, post hæc laboranti frugali ac tenui antea uictus ratione uso, instar nucum auellanarũ octo aut decem, uel ad summũ quatuordecim propinato. Et potui aquam calidam præbeto.

De obseruatione eorum qui purgãtur, & quomodo adesse oporteat his qui sumpto pharmaco non purgantur. Cap 6.

IN omni summatim strenua & efficaci purgatione homini præscripta prius uictus ratione, ieiuno, cõcoctione probè obita pharmacũ præbeto, somnumq; usq; ad consummatã purgationem prohibeto: motionem uerò moderatam si fieri possit subire, & ab omni cibo potuq; abstinere, quoad purgatio suo munere in totum perfuncta fuerit mandato.

Ex monumentis Philagrii.

At si quis inediam eiusmodi non sustineat, uel quod os

uentriculi

uentriculi bilem facilè, ob longam quæ præcessit inediam, contrahat, uel propter aliam istiusmodi causam, dandus est ipsi ex aqueo uino panis, uel ptisanæ succus, seu chōdri, non solum inchoata purgatione, quo cibus minus corrūpatur, sed protinus à sumpto medicamenti potu: sic enim ad celeriorem interdum pharmaci motū sua grauitate auxiliatur. Si quispiam quacunq; sumpta ad aluum emolliendum potione non purgatur, neq; euacuetur, nulla ingruente molestia, satagendum non est. Sin autem æger morbi uehementia urgeatur, ut dilanietur, distendatur, & fissus crepat, clysterem confestim inijcere necesse est. Si ne sic quidē obtemperet aluus, corpore quidem uellicato, & tanquam euerso, lauare largiore oleo illito conuenit. Quòd si corpus infartum atq; grauatum fuerit, sanguinem detrahito, potissimum si homo sanguilentus existat, oculosq; rubeo colore infectos, & emissititios non secundum naturam, sed ex aduentitio propter epotum medicamentum habeat. Si horū nihil affligit, morsus autem & laniatio infestat, à balneo quamprimū nutrito, & uinum prolixius propinato: atq; inter hæc clysteribus utere, nisi dolores placati sint, denuoq; lauato. Esto autē oleum clysmatis rutaceū, uel ex alio quocunq; flatus discutiente præparatū.

De his qui plus æquo purgantur. Cap. 7.

SI purgatio modum excedat, cutis perfricanda est, lauandiq; calida, uinum ante balneum tenue, uermiculum, & flauum exhibendum. extemplò nanque huiusmodi in corpus digeritur, panē item eo maceratum, & mala Punica. Quòd si subductio perseueret, uincire mēbra fascijs à summo deorsum distributis expedit, quæ constringāt, & aliquid sanguinis ac spiritus recipiant. Propinato præterea ex carnibus uiperarum theriaces modicum. deducit enim in cutem, & celeriter reuellit in uentriculum humorū colluuiem, hebetatq; id quod in purgatorio tanquam uenenosum & medicamentosum existit. Si huius non sit copia, theriacis pastillis, præ-

terea confectione diaspermaton, & ea cui cognomentum est Philonium, quin & cucurbitulis supra stomachũ. Cataplasmatis item ex farina hordeacea & œnomelite utendũ. Post quæ astringentia adhibeantur epithemata. potißimum uerò totius corporis frictionibus, & pharmacorũ potionibus adiuuantur. Aer ad hæc frigidus, & impendiò calidus, in exuberanti purgatione uitandus est. Siquidem materiã ille ab exterioribus ad interna propellit, fluxumq; adauget: hic uerò distrahit, uires soluit & prosternit. Quod si ex intestinorum, quæ medicamento irritantur, uellicatione augeatur euacuatio, oblini prædictis debent. Immittantur per aluum quæ acrimoniam retundendi uim obtinent, adeps anserinus, uinum dulce, nardus, & id genus alia.

De sacris antidotis, quas Græce hieras dicunt. Cap. 8.

Hiera Antiochi.

TRixaginis, agarici, cucurbitæ syluestris interioris farti, stœchados, singulorum drach. decem, succi panacis, sagapeni, petroselini, aristolochiæ surculosæ, piperis candidi, uniuscuiusq; drach. quinq;. cinnamomi, spicæ nardi, myrrhæ troglodytidis, croci foliorum, cuiuslibet drach. quatuor, mellis quantum satis est. Alia: Medullæ cucurbitæ syluestris drach. uiginti, scillæ tostæ, agarici, guttæ ammoniaci thymiamatis, corticis ueratri nigri, scammoniæ, hyperici, singulorum drach. tres, epithymi, polypodij sicci, bdellij, aloes, trixaginis, marrubij, caßiæ, cuiuslibet drach. octo, myrrhæ troglodytidis, opopanacis, sagapeni, piperis cõmunis, & longi & candidi, petroselini, cinnamomi, croci, castorij, aristolochiæ longæ, uniuscuiusque drach. quatuor, mellis quantum res postulat.

Hiera Iusti.

Constat ex epithymi drach. duodecim, marrubij, stœchados, trixaginis, hellebori atri, scammoniæ, agarici, piperis longi, scillæ assatæ, singulorum drach. sedecim, euphorbij,

pulpæ

lpæ colocynthidis, aloes, croci, gentianæ, petroselini, am
oniaci thymiamatis, sagapeni, uniuscuiusque drach. octo,
opanacis, polij, cinnamomi, casiæ, myrrhæ, spicæ nardi,
oris odorati iunci, pulegij, cuiuslibet drach. quatuor, aristo
chiæ cùm longæ, tum rotūdæ, singulorum drach. duabus,
ellis quod satis est. Dantur grāmata duo, aut tria, aut qua
or, cum melicrato & sale.

Hiera Galeni.

Habet trixaginis, piperis longi, piperis albi, stœchadis,
ratri nigrioris, scammoniæ, spicæ nardi, scillæ assatæ, &
t quibusdā placet) epithymi, uniuscuiusq; drach. sex (aliàs
lecim) myrrhæ, croci, ammoniaci thymiamatis, euphorbij,
iuslibet drach. octo: quæ cuncta melle excipiuntur.

Hiera Ruphi.

Sicyoniæ, seu medullæ colocynthidos drach. octo, trixagi
s drachmas decem, sagapeni octo, petroselini quinq;, aristo
chiæ rotundæ, piperis albi, singulorum drach. quinq;, cin
mmomi quatuor: uel caßiæ octo, spicæ, croci, polij, myrrhæ,
niuscuiusq; drach. quatuor, mellis quantum satis est.

Archigenis Hiera.

Mar rubij, agarici, trixaginis, colocynthidis medullæ, stœ
hadis, singulorū drach. decem, opopanacis, sagapeni, petro
lini, aristolochiæ rotundæ, piperis albi, uniuscuiusq; drach.
uinq;, cinnamomi, spicæ nardi, myrrhæ, polij, croci, cuiusli
et drach. quatuor: arida simul cōtunde, & attamina. Succus
erò panacis, atq; sagapenum, myrrhaq; contusa melicrato
pila per noctem macerato, deinde læuigato, atq; inijce ari
a, et assumpto melle optimo, in uitreo aut plumbeo uase re
ondito. Hic sanè modus omnibus hieris communis est. Exhi
itio integra drach. quatuor: assumantur etiam salis drach.
nellis heminæ duæ, aquæ quantum satis est. Quod si ad pur
gandum efficaciores, quæ scammonia carēt, reddere animus
st, admiscentur & his singulis singuli ipsius oboli.

Illitiones

Illitiones sedis & umbilici purgantes. Cap. 9.

VNguētum, quod sedi illitum peditus proritat. Ruta melle exquisitißimè teritur, ita quidem, ut unus succus efficiatur, atq; in intimum ani illinitur: efficacißimum autem fuerit, si momentum cymini & nitri, uel cyclamini succi adijciatur, floccis exceptum sedi, ad laxandam aluum inseritur. Vel glans ex melle facta inditur. flatus enim erumpunt plurimi, leuanturq; affecti.

Illitio sedis aluum ciens, Chezanance.

Alumen cum melle læuigatum decoquitur, donec citrinum reddatur, atq; hoc inungitur sedes: promptè nanque multa quidem, non tamen citra laborem extorquet.

Epomphalion, hoc est umbilicale, aluum subducens.

Cyclamini drach. quatuor, nitri drach. tres, hellebori nigri & candidi, uniuscuiusq; duæ, colocynthidis tres, scammoniæ duæ, elaterij succi quatuor, grani cnidij totidem, caricarum pinguium unciæ duæ, fellis taurini uncia.

Aliud insigne, primi meriti.

Elaterij, lathyridum, galbani, cyclamini, hellebori nigri, singulorum drach. quatuor, colocynthidis carnis drachmæ octo, cucumeris syluestris recentis, scammoniæ, grani cnidij, tithymalli, uniuscuiusq; drachmæ duæ, resinæ terebinthinæ tres. Felle taurino excipe, & perinde atq; unguento utere. Quidam uerò adiectis insuper faui drach. septem, & sicyonij quantum sufficit, ad morem emplastri imposuerunt.

Medicamenta uomitoria, & ratio exhibendi ueratri. Cap. 10.

VOmitionib. non tam secunda ualetudine fruentes, alimenti humorumúe copia grauati, quàm morbis oppreßi acutis, utuntur, quum à pituita, uel id genus aliquo infestantur. Cæterum neq; in sanitate, neq; in acuto morbo uomitorijs medicaminibus uti consultū est, sed in ægritudinibus diuturnis, præsertim induratis, quæ ualidiore opus habent commotio-

ne

...uerbi causa, podagra, comitialibus à stomacho prouenientibus, elephante, aqua inter cutem, melancholia, atq; id genus alijs. Cauendum uomitu sanguinem eiectantibus, malo stomacho praeditis, & suffocationib. obnoxijs. Expeditissimum atq; ad uomitum ciendum cyprinum est, irrigatis in eo digitis, uel pinnis, & in gurgulionem insertis: radicum item nardi Gallicae drach. septem melicrato potae per superna ualenter purgant, & betonicae drach. quinq; aut sex in mulsa potae, & daphnoidis folia uiridia tria, trita, mãducata, necnon elaterij obolus in aqua bibitus, uomitu cùm pituitam, tum bilem exinanire consueuit: idem praestat uuarum passarum grana quindecim cum mulsa crassiore. Ex bulbis, esculenti quidem crudi deuorati, uomitorij uerò (narcissi adpellati) decocti superius euacuant. Idem apij radicis pars aëri exposita manducata, praestat: appellant autem eam nonnulli chamaeraphanum: (inferior eius portio deiectionem molitur) uniuersa uerò radix comesta, tam per superna, quàm per inferna agitat. Raphani insuper praedictis minus quidem uiolenter, sed maiore emolumento expurgant. oportet autem easdem acres admodum & recentes adhuc, in pertenuia ramenta dissectas, duabus prius uel tribus horis in oxymelite maceratas, quàm plurima fieri potest copia ingerere: ter aut quater à coena, semel uerò ieiuni euoment, oxymel interim iugiter sorbendo. Mox ubi horas circiter duas inambulauerint, tepida aqua epota, digitis uel pinnis gutturi immissis euoment.

Ratio exhibendi ueratrum.

Veratrum exhibendum est diutinis pariter & grauibus aegritudinibus correptis, ubiq; aliud omne praesidiorũ genus desperauerit, quum omnibus ipsis aegrimonia superior extiterit. Offerendum idcirco, siue incessanter uexauerit morbus, puta aqua inter cutem, elephãtiasis, cachexia, paralysis, & id genus alij: siue per circuitum temporis repetat, cuius

generis

generis est epilepsia, podagra. Quum autem complures sint ueratri porrigendi rationes, simplicior quidem, & præparatio potus ad helleborismũ idonea hæc est. Raphanis prius arundine perforatis, hellebori albi optimi radicum præsegmina infigantur, noctemq; integram dimittãtur: postridie proiectis præsegminibus, raphanos minutißime cõcisos cum oxymelite modo prædicto langueñti, procliuiori uidelicet ad uomitus, exhibeto: et interpositis memoratis horis, ad uomendum cogito. Sed helleborismi peculiaris modus is est: ueratri optimi uncias duas in aquæ hemina prius diebus quinq; maceratas, donec aquæ pars tertia relinquatur, decoquito: expresso deinde ueratro, aquæ tantundẽ mellis admisceto, rursumq; tantisper dum craßitudinem induat, elixatam, uomitu præexercitato laboranti, ieiuno, obita concoctione, ubi aluus ultro uel clystere solicitata respõderit, ad demonstratũ antea modum semel atq; iterum pro ratione uiriũ præbeto. Efficacißimus uerò omniũ modus eiusmodi est: Concisis ueratri radicibus ad instar sesami (nam in pollinẽ contusæ uirium efficacia suffocationes inferunt) imbecillioribus cum succo ptisanæ aut halicæ, aut id genus aliquo duas drach. ad summũ, ad minimum autem drach. ueratri, elixatum potui dato. Robustioribus uerò in aqua calida, siue mulsa. Incipit autẽ helleboro irritata purgatio, post treis aut quatuor horas. Qui lentius inchoant, melius purgãtur. Cunctantibus autem nimium uomitibus, melicrato exhibito ad uomendum impelle, pinnis oleo imbutis ori immißis. Quòd si ne tum quidem euomat, in balneũ abducendus est. Vbi iam uomere cœperint, si quidem minutatim fiat euacuatio, nihil moliẽdum negocij: sin autem angantur & conuellãtur, hydrelæum potui dato, pariterq; per inferiorem uentrem ipsis subducendi uis quædã inditur, quod alioquin in his qui helleboro utuntur, quandoq; euenit. unde medicamẽti aceruationem facilius ferunt. Qui animo deficiunt, eos odoramentis & similibus refocillato: atq; alijs

quæ

quæ, ut credibile est, superueniunt symptomatis, consimiliter succurrito. Facta autem exuberanti purgatione, non alere modò, uerùm somnum etiam conciliare expedit: et alia, quemadmodum de his qui nimium purgantur, explicatū est, agenda sunt. Persistente autem uacuatione, cucurbitula præter hæc stomacho applicanda, membraq; uincienda. Si secundum rationem fiat euacuatio, melicrati symmetrum propinato, quo relicta pharmaci excremēta abluantur, paulo pòst cibus coctu facilis offeretur. Cæterū quibus medicamenta per os suspecta sunt, omnino autē helleborismo indigēt, Antyllus eiuscemodi quopiam usus est lauamine: Veratri candidi drach. duas in aquæ sextario per diem ac noctem irrigatas, postero die ad dimidias usq; aqua decoquito, deinde per sedē immittito, ut uomitū proliciat: superius purgat paulò hellebori potione imbecillius. Iam uerò post exactam purgationē, glandem acrem supponentes, egestionem irritemus, quo infusum reddatur, & uomere desistant languidi. Post excretionem, mulsam semel aut bis abluendis intestinis immittemus. Idem uerò tradit, glandem ex helleboro candido cōtuso & cribellato, deinde melle despumato excepto concinnatum, pari modo superiorē uentriculū, quemadmodū & clyster ex ueratro confectus, purgare. Verùm præ omnibus hic modus cōmendatur, in quo nobis partiri in uices purgationē licet. Pondus igitur hellebori esto drach. duæ. circūformetur autē glans, uel circumligetur stuppa solidiore, cuius principiū foris per sedem recipiatur, ut post sufficientem purgationē liceat eximere. hic sanè modus purgat quidem exactißime, sed neque strangulatum, neq; aliquid aliud periculi infert.

De differentia antidotorum. Cap. II.

Præfatio Galeni de antidotis.

MEdicinas, quibus morbis succurritur, quæ nō extrinsecus imponuntur, sed quæ intro in corpus sumūtur, prisci antidotos appellabant: quarum treis enumerant differentias.

quædam

quædam enim letalium medicamētorum gratia offeruntur, quædam propter feras ictu morsu'ue uirus iaculantes, quædam affectionibus ex praua uictus ratione prouenientibus opitulantur: nonnullæ treis has commoditates pollicentur, è quorum albo antidotus, quæ theriaca uocatur, creditur.

Hedychroi theriacam ingredientis præparatio.

Aspalathi radicis corticis, calami odorati, costi, asari, xylobalsami, phu, amaraci, mastiches, singulorū drach. sex, fructus balsami duas, mari sedecim, floris rotundi iunci odorati duas, cinnamomi uigintiquatuor, amomi, casiæ, rhei, uniuscuiusq; octo, nardi Indicæ, phylli, cuiuslibet duodecim, myrrhæ uigintiquatuor, croci drach. duodecim, uino præstantissimo excipe, & in pastillos cum succo balsami subigēs dirige.

Pastillorum scilliticorum præparatio.

Scillam luto seu fermento, & opere pistorio delibutā moderatè torrefacito. Inde medullæ ipsius partes duas cum erui farinæ parte una conterito, & in pastillos concinnato.

Pastillorum theriacalium præparatio.

Sumito uiperas quatuor, aut quinq;, giluo colore, recēsq; captas: & amputatis à capite & cauda quaternis digitis, detractaq; senectute tota, & exēptis interaneis, reliqua in fictili noua cū salis & anethi momēto coquēda sunt, tantisper dum spinæ à carnib. separātur, deinde his exemptis, & carnibus exactè à spinis repurgatis, admixtoq; cōpari modo panis puri, omnia pariter conterito, & orbiculos formato, manu opobalsamo imbuta, & in umbra refrigerato.

Theriaces antidoti præparatio.

Pastillorum scilliticorū drachmas quadraginta octo, pastillorum theriacalium, trochiscorū hedychroi, cinnamomi, piperis cōmunis, succi papaueris, uniuscuiusq; drachmas uigintiquatuor, rosarū aridarū quindecim, scordij, napi seminis, iridis Illyricæ, agarici, glycyrrhizæ, succi balsami, singulorum drachmas duodecim, myrrhæ, croci, zingiberis,

rhei

rheu pontici, radicis quinq; folij, nepitæ, floris iunci rotundi odorati, marrubij, petroselini, stœchadis, costi, piperis candidi & longi, dictamni florũ, thuris masculi, terebinthinæ, mastiches, caßiæ nigræ, spicæ nardi, florũ polij, styracis, apij seminis, seseleos, thlaspis, ammeos, trixaginis, chamæpityos, succi hypocistidis, malobathri, nardi Gallicæ, nardi, mei, gentianæ, anisi, fœniculi seminis. Lemniæ sigillatæ, chalcitidis assæ, amomi, acori, fructus balsami, phu pontici, hyperici, acaciæ, gummi, cardamomi, singulorum drach. quatuor, seminis dauci, galbani, sagapeni, bituminis, opopanacis, castorij, centaurij, aristolochiæ sarmẽtariæ, cuius libet drach. duas, mellis Attici libras decẽ, uini phalerni sextarios duos. Mittito in pilã succũ hypocistidis, myrrhã, sagapenũ, glycyrrhizã, styracẽ, acaciã, opopanacẽ, mellis pusillũ, instillãs, cõtusaq; dissoluito: postea uini tantũ infunde, ut id cætera superet, per triduũ macerato, mox reliquas species contusas unito, mel despumetur. Reponitur aũt in uase argenteo aũt uitreo nõ admodũ referto, & identidẽ deoperculatur. Vsus ipsius, siquidẽ res urget, in ferarũ morsib. cõmendatur, uenenisq; sumptis, si post ætatis septenniũ ponticæ nucis quãtitas cũ uini cyathis trib. bis in die potetur. Pari modo facit his, qui citra manifestã occasionẽ periclitãtur corporis corruptiõe, letalis medicamẽti qualitatem imitante, ueluti in pestilentialib. plerũq; accidere cõsueuit, indies semel. In alijs uerò affectionib. usus eius, à decẽnio, ad annũ usq; uigesimũ celebratur. Cõtra tusses aũt, & pectoris dolores, seu lateris, febre quidẽ carẽtibus cum œnomelite, febricitantib. uerò cũ hydromelite sub noctẽ fabæ Aegyptiæ magnitudo cõducit. Sanguinẽ eiectantib. cũctis, si recens malũ, ex posca: si diuturnius, ex cõsolidæ decocto, fabuli Aegyptij quãtitas, quùm mane tũ uespere præbetur. Inflatis aũt, et his qui circa umbilicũ torminib. infestantur, aut cœliacis, mane in aqua calida eiusdẽ fabæ instar. Appetentiã præterea intẽsam excitat. Rigore, algore, et bilis uomitu, ante ac-

ceßiones pota, liberat. Menses cit, et fœtus mortuos expellit, fabæ Aegyptiæ magnitudo cũ melicrato, uel passo, in quo ruta atq; dictãnus elixa sit, pota. Aduersus aũt extremã raucedinẽ cùm seorsim, tũ addito dragacãthæ duplo, ex mulso aut passo sumpta, retẽtaq; sub lingua et colliquata, lienosis et iocinerosis ex posca, si scirrhus urgeat, cũ oxymelite uel aceti scillitici sesquicyatho. Datur nephreticis cũ œnomelite fabæ Aegyptiæ magnitudine, dysentericis tãtundẽ cũ decocto rhu, tã mane q̃ uesperi. Medẽdis hebetudinib. uisus summè cõfert, sic tẽperata: Antidoti et opobalsami sextans, mellis cyathus, mixta paulatim illinũtur, extergit porrò dẽteis. Pleriq; uerò præseruandæ ualetudinis gratia, fabæ Græcæ instar, noua luna sumunt, ubi coctrix facultas probè officiũ peregerit, cũ mellis cochliario, & aquæ cyathis duobus. Pari quoq; modo in peregrinationibus eadem utuntur, dum iter faciendo pestilentes quaspiam auras uel aquas suspicantur.

Sales Theriaci.

Sumito uiperas statim è uenatione quatuor, deinde salis ammoniaci uel cõmunis modium Italicum, quo cum in mortario obiter gentianæ libram & dimidiam, mali terræ rotũdi tantundẽ, comæ tenuis cẽtaurij libras duas, cardamomi, marrubij, singulorum uncias sex, scordij, apij, chamedryos Cretici, cuiusq; librã, seminis rutæ domesticæ sextarios duos, melle Attico non minutim contundito, mediũ ipsorũ in ollã nouã conijcito: deinde uiperas uiuẽtes quatuor, mox squillas tenellas recentes quinq; minutim concisas, illis adijcito, sic aliam mixturæ partem superinijcito: & ubi ollam accuratè operculaueris, tribus aut quatuor foraminibus eandem perforato, quo per ea uapor concoctionis modum significet. Principio nanque fumus ingens prosilire uidebitur caliginosus, & ualde turbidus, ignem iam feras contigisse significans. ubi summo studio animaduerte, ne huius fumi aerem ex serpentium exhalatione infectum attrahas; deinde ubi uapor euanuerit,

nuerit, & tenuem quandam flammã per foramina eÿci conspexeris, tum sanè ipsas quàm optimè assatas cōÿcito, ollaq; ita ab igne remota, perq; diem et noctē refrigerata, et aperta carbones eximito, et accuratè cōtundito, atq; cū hisce mixtionib. per cribrū traÿcito: seminis rutæ syluestris, hyssopi Cretici, cuiusq; unc. 9. seminis fœniculi, nardi Celticæ, stachyos Scythicæ, cuiuslibet uncÿs sex, petroselini Macedonici, foliorū malobathri, cuiusque unc. una, racemi amomi, ormini seminis torrefacti singulorum uncÿs tribus, summitatum origani, cacuminum thymi singulorum sextante, baccarum iuniperi, piperis albi, fœniculi, singulorum libris octo, laserpitÿ radicis dextante, seminis coriandri, zingiberis non corrosi, satyrÿ seminis uel radicis, pulegÿ, seseleos massaleotici, mentæ, cuiusq; sexunce, caßiæ fistulæ sextãte, cinnomomi uncia. Ipse quidem bestÿs non combustis præparaui, sed ipsarum pastillis, ueluti in theriaca docui, reliquis quæ cum feris deuruntur, admixtis, quo amaritudinem, qua prædita sunt, per adustionem abÿciant: tanta pastillorum mēsura adiecta, quantam uiperas quatuor numero habere coniectura assequi licebat, & hoc modo primi reuera meriti euaserunt.

Antidotus Mithridatica ex scinco.

Myrrhæ troglodytidis, zingiberis, cinnamomi, singulorum drach. decē, spicæ nardi, thuris, thlaspeos, opobalsami, floris iunci odorati, costi, stœchados, seseleos, galbani, resinæ terebinthinæ, piperis lōgi, castorÿ, succi hypocistidis, styracis, foliorū malobathri, uniuscuiusq; drach. 4. caßiæ nigræ, polÿ, piperis cādidi, scordÿ, seminis dauci, fructus balsami, cipheos, bdellÿ, nardi Celtici, gummi, petroselini, opÿ, cardamomi, seminis fœniculi, gētianæ, foliorū rosarū, cuiuslibet drach. octo, dictamni, anisi, acori, phu, singulorū drach. tres, mei athamãtici, acaciæ, uētris scingi, hyperici seminis, uniuscuiusq; drachma una cū dimidia, uini melli. q; quod satis est: præparato instar theriacæ, inquit Galenus. Ad quã cū q; illa

conducit, ad eadẽ hanc quoque prodesse idem asserit, præter quam ad uiperæ morsus: ad hos nanque theriaca efficaciores uires obtinet.

Antidotus ex sanguinibus, ad omnia uirulenta, & ad letalia medicamenta.

Capit piperis candidi, & longi, costi, acori, phu, anisi, di ctdni Cretici, singulorum drach. duas, amomi, liquoris balsa mi, seminis rutæ syluestris, fœniculi seminis, cymini Aethiopi ci, anethi, sanguinis masculi anatis aridi, sanguinis hœdi, san guinis anserini, fœminæ anatis sanguinis, napi syluestris se minis, uniuscuiusque drach. 3. gentianæ radicis, trifolij, floris iunci odorati, thuris, rosarum aridarũ, cuiuslibet drach. 4. cinnamomi, drach. duas, scordij drach. octo, petroselini, polij, myrrhæ, nardi, singulorum drachmas sex, caßiæ drach. treis, succi cyrenaici tantũdẽ, stœchadis drach. 5, asari duas, ammoniaci thymiamatis treis, mei Athamantini duas, agarici tantundem, carpobalsami grana uiginti, mellis despumati quantum sufficit.

Oxymel simplex.

Constat ex acerrimi aceti candidi sextario, aquæ sextarijs duobus, mellis sextario: quæ ad mellis usque liquidioris consistentiam decoquuntur, despumando subinde mel.

Scillæ candidæ tessellatim concisæ, in umbraq; dieb. quadraginta exiccatæ, & rursum purgatæ libras sex, in aceti boni sextarijs duodecim, dies sexaginta, operculato uase insolato: quib. transactis, scillã manibus expressam abijce, acetũ uerò excolatũ diffundito. Quidam uerò scillæ libram miscent aceti sextarijs sex, alij aũt uiridis scillæ idem pondus in acetũ conijciunt, sinuntq; usq; ad menses sex. Et est hoc maiore incidendi ui præditum. Prodest autem acetum illud ad oris fluxiones, collutum, & ad multa interaneorum mala, quæ exhulceratione uacant, potum. Cæteris itidem compluribus subuenit.

Oxymel

Oxymel scilliticum.

Accipit scillæ tenerioris medullæ libras duas, aceti acrioris albi sextarios quindecim, piperis, petroselini Macedonici, singulorum sextantem, dauci Cretici, ammeos, anisi, nardi Gallicæ, lybistici, asari, cardamomi, spicæ nardi, amomi, rheu pontici, uniuscuiusq; semunciā, fœniculi, seminis cymini, laserpitij, zingiberis, pyrethri, hyssopi Cretici, costi, pulegij, cuiuslibet unc. mentæ uiridis fasciculum, rutæ uiridis teneriores caules quinq;, mellis Attici sextarium, sapæ sextarios duos, apij uiridis fasciculum. interanea scillæ candida contusa in acetum conijce, & per dies septem sub ardentissimo canis æstu macerari finito: deinde scilla sublata, arida quidem iam contusa, uiridia uerò integra aceto insere, et post septem dies rursum omnib. exemptis, mel cum sapa, aceto immitte, quibus decoctis usque ad crassitudinē in uasculo uitreo reconde. Vtere autem eius præsidio ieiunus propinationis loco, & cum cibo, more intinctus: nam multo utilissimum est.

Medicamentum Galene scilla, comitiali modo in primis conducibile.

Scillam manibus in puluerem friatam, uasi in quo mel fuerit reconditum inijce, eó que strenue obturato, in locum ad meridiem uergentem sub ardentissimo caniculæ æstu reponito. Post quadraginta Sirij dies, uasis superficie soluta, corpus scillæ effluxisse offendes. Exempto itaque ipsius succo, melle præstantissimo condulcatum, comitiali laborantibus singulis diebus cochliari præbeto: pueris quidem paruo, adultis uerò magno. ipsáque scillæ substantia cum melle læuigata, cochliario exhibetur. Secundum uerò locum hoc obtinet potentia.

Philonis antidotus.

Constat ex piperis albi drach. uiginti, alterci drach. octo, succi papaueris drach. decem, croci quinq;, pyrethri, euphorbij, spicæ nardi, singulorum drach. mellis Attici, uel alterius primi meriti apprimè decocti, quod satis est. Dato adultis nu

cis auellanæ quantitatem, minoribus fabuli instar, pueris ciceris magnitudinem. Medicamentum est maximè indolorium, & somnum concilians.

Athanasia dolorem sopiens, pleuritidi consecrata: Oribasii.

Caßiæ drach. octo, spicæ nardi, amomi, croci, opij, styracis, myrrhæ, costi, singulorum drach. quatuor, mellis despumati quod satis est. Exhibetur modo Philonis antidoti.

Antidotus e duobus piperib. consimilis efficaciæ.

Cardamomi, castorij, opij, uniuscuiusque drach. treis, myrrhæ, costi, piperis longi, & cãdidi, galbani, cuiuslibet drach. treis, croci totidem, melle decocto excipiuntur, quantitasq; fabæ exhibetur.

Diacodium, hoc est, ex capitibus papaueris, & defruto.

Capita papaueris uiridia in aquosa octo aut decem, postridie eius diei quo decerpta sunt decoquito, et glycyrrhizæ unciam. Macerata in sapæ sextario simul quoad tabefiant elixato, quamprimum mediocrem induerint craßitudinem, ab igne remota adseruato. Vtere in his qui febre oppreßi uigilijs infestantur, & quando ex capite tenuis in thoracem destillat fluxio.

Antidotus, ex papauerum capitibus, & melle.

Papauerum capita (quemadmodum prædictum est) & glycyrrhizæ unciã, in aqua pluuia siue fontana, mẽsura sextarij usq; ad colliquationem decocta, ubi expresseris, in decoctum mellis xestam dimidiam conijcito, adq; craßitudinem usque elixato. Dato quibus præter dolorum mitigationem, somni conciliationem, etiam purgatione & absterfione humorum, pectoris, pulmonis, atq; renum, opus est.

Diacodium compositum.

Aquæ in qua papauerina capita decocta sunt, iuxta memoratam conuenientiam sextarium, uini dulcis heminas duas, mellis libram, croci, succi hypocistidis, singulorũ drachmas quatuor, coquito ad spißitudinem. Stomacho autem salubrior est

vel est cõfectio ex melle, & capitũ papauerinorũ decocto, & malis cotoneis tẽperata. Efficacior autem euadit, si cum capitibus papaueris aqua melilotum et glycyrrhizam decoquas.

Ex marrubio linctus, phthisicis in primis efficax.

Marrubij comarum libram in aquæ cotylis sex, donec tertia pars relinquatur, elixato, herbam porricito, inductáque melle aquæ adiecto mellis craßitudine, cochleariũ exhibeto.

Ex marrubio confectura composita.

Marrubij comæ, ireos Illyricæ, hyssopi, pulegij, glycyrrhizæ, apij, singulorũ uncias duas, caricarum pinguiũ uncias treis, nuclei pinei resinati quadrantem, contunde obiter in crassas parteis: arida cum carycis in aquæ sextarijs tribus irrigato, & ad tertias coquito. Deinde aquæ colatæ, mellis libras duas infunde, & ad melleam spißitudinem decoque.

Medicamentum ex eruis.

Amygdalorum amarorum unciæ duæ, farinæ erui unciæ quatuor, hyssopi tantundem, ireos uncia semis, nucleorum pineorum frictorum sextans, mellis sextarius, uel quantum res exigit.

Medicamentum Dodecatheon.

Iris Illyricæ uncias quatuor, eruorum tantundem, hyssopi, seminis urticæ, glycyrrhizæ, fœnogræci, uniuscuiusq; uncias duas, bulborũ unc. quatuor, seminis lini tosti totidẽ, nigellæ diobolos duodeuiginti, pulegij grãmata sex, nucleorũ pineorũ tostorũ unc. 2. piperis scrupulos sex, mellis quod satis est.

Antidotus Sotira.

Spicæ nardi dioboli undequadraginta, myrrhæ dioboli uiginti septẽ, croci dioboli triginta septẽ, castorij dioboli undequadraginta, opij dioboli triginta sex, petroselini dioboli quadragintaquinq;, anisi octo, apij septẽ, iunci rotũdi odorati florũ dioboli triginta sex, caßiæ dioboli duodecim, piperis lõgi tãtundem, seminis sinonis grammata sex, styracis octodecim, amomi, seselis, utriusq; duodecim, hedychroi, costi, asari, singulorum dioboli duodeuiginti, mellis quantum satis est.

Ex ſtyrace bechicum, tuſsi medendo.

Amomi, caßiæ, ſingulorum ſextans, ſtyracis, ſpicæ nardi, uniuſcuiuſque ſeſquiuncia, croci, piperis albi, cuiuſlibet uncia, mellis ſextarius: detur cochliarium.

Medicamentum Philoxeni, cuius uſus eſt in purulentis & diutinis rheumatibus obnoxiis.

Reſinæ terebinthinæ drachmas uigintiocto, nardi ſedecim, myrrhæ ſtillatitiæ ſex, cardamomi, bulborum, uniuſcuiuſque drach. ſex, croci duodecim, galbani ſedecim, amygdala amara octoginta, mellis hemina: ex aqua potatur fabæ Aegyptiæ magnitudo.

Eſdra, quæ multis affectibus congruit, potenter enim deſiccat.

Amomi ſcrupulos ſex, croci ſcrupulos duodeuiginti, ſeminis dauci ſeſquiſcrupulũ, ſeminis fœniculi ſcrupulos treis, caſſiæ ſcrupulum unũ et dimidiũ, florũ iunci ordorati ſcrupulos quatuor et ſemißẽ, cinnamomi ſcrupulos treis, ſucci hypociſtidis ſcrup. quatuor et dimidiũ, ſulphuris quincuncẽ, ſeminis papaueris ſcrupulos quinq;, pyrethri ſcrup. treis, petroſelini ſcrupulũ unũ & ſemiſſem, ireos Illyricæ ſcrupulos ſeptẽ & ſemißẽ, herbæ Apollinaris ſeminis ſcrupulos tredecim & dimidiatũ, ſpicæ nardi ſcrupulos ſeptẽ et dimidiũ, rutæ ſeminis ſcrup. unũ et ſemiſſem, anethi ſcrup. treis, cardamomi unc. treis, roſarũ exiccatarũ ſcrupulos quatuor et dimidiatũ, nerij floris ſcrupulum unum cum ſemiſſe: eſt autẽ ueluti lobus ac ſiliqua unde oritur roſa: rhododaphnes, & roſæ ipſius. ſingulorum ſcrup. tres, rheu, gentianæ, uniuſcuiuſque ſcrup. ſex, hedychroi ſeſquiſcrupulum, tragacanthæ ſcrup. quindecim, licij ſex, foliorum citrij tantundem, ſeminis ocymi ſcrupulum unum cum dimidio, aniſi tres, coſti, myrrhæ, cuiuslibet ſcrupu. ſex, bdellij ſedecim, ſucci artemiſiæ tredecim, rhu Syriaci uigintiquinq; et dimidium, aſari, uentris mergi, lapidis iaſpeos, ſingulorũ ſcrup. treis, piperis quindecim, caſtorij ſeſquiſcrupulum, cretæ cimoliæ ſcrup. ſex, ſiſonis, ſtyracis, uniuſcuiuſque ſcrupulos nouem, opobalſami duodecim: intybi herbæ

herbæ ſcrupulum unum & ſemiſſem, mellis uncias uiginti-octo, uini quantum ſufficit.

Medicamentum ex malorum cotoneorum carnibus.

Malorum cotoneorum purgatorum libræ tres decoquuntur in uini peruetuſti ſextarijs tribus, deinde teruntur, quibus piperis, aniſi, lybiſtici, læuigatorum uniuſcuiuſq; uncia inijcitur. Sunt qui zingiberis unciam dimidiam adijciunt, nec deſunt qui pro uino acetum indiderunt.

Medicamentum ex ſuccis malorum, appetitus a cibis auerſionibus, & ægris concoctionibus idoneum.

Succini, malorum cotoneorum maturorũ, mellis boni, ſingulorum ſextarij duo, aceti ſextarius, zingiberis quadrans, piperis albi ſextans, ad craßitudinem coquuntur: hoc Galenus frigore inhorrẽtibus præparabat. In quibus autem bilis, inquit, abundat, abſq; pipere & zingibere conficitur.

Meloplacuntii præparatio.

Pomorum cotoneorum mundatorũ libræ ſex, in uino elixantur, donec contabeſcãt: deinde exempta conteruntur. Nonnulli uerò affundunt mellis libras octo, et debili igne decoquunt, mouẽtes ſubinde ferula, donec impollutũ quodammodo totum, ne manus inquinet, euaſerit, tum adijciunt contuſi piperis quadrantem, aniſi tantundem, petroſelini unciam. Quidam etiam zingiberis unciam, & maſtiches unciam adijciunt: mox commixta finguntur ad ſemunciæ quantitatem, & cum folijs lauri componuntur.

Cydonatum, contuſum, fragmentis integris.

Malorum cydoniorum purgatorum, fruſtulatim conciſorum libræ octo, in uini ſextarijs octo moderatè, ne diſſoluantur, decoquuntur: deinde miſcentur ipſis mellis deſpumati libræ octo, piperis bes. petroſelini, aniſi, ſingulorũ unciæ tres, zingiberis unciæ quinq;, ſpicæ nardi uncia una & dimidia, cariophyllorum uncia. Omnia contuſa, & mediocriter decocta ad iuris eſculenti craßitudinem, remouentur, & refri-

gerata pariter cum iure fragmenta componuntur.

E tribus piperum generibus medicamentum.

Piperis communis candidi & longi, singulorum drach. septẽ, zingiberis, anisi, thymi comæ, cuiusq; drach. duæ, mel lis quod satis est. Aliud Oribasij: Piperis candidi sextans, piperis nigri & longi, spicæ nardi, cinnamomi, ameos, caryi, hyssopi, seseleos, dauci, petroselini, singulorũ uncia, zingiberis drach. quatuor, mellis libræ tres. Aliud: Piperis communis quadrãs. piperis albi uncia, longi tantundem, petroselini, cinnamomi, uel caßiæ duplum, zingiberis, uniuscuiusq; uncia, mellis uncia una & uiginti, uel quantũ satis est. Ego uerò etiam thymi corymborũ unciam admiscere solitus sum.

Diospolites.

Cymini aceto macerati ac torridi unciam, piperis, zingiberis, singulorum sextantem, rutæ uiridis sescunciam, nitri drach. duas cum dimidia, melle excipito.

Ex malo medico, pro his qui ægre concoquunt.

Aceti heminæ tres, carnis citrij libra, hyssopi, rutæ, origani, singulorum fasciculus, per diem ac noctem aceto macerata, quousq; euanescat pars tertia, decoquuntur, expressaq; abijciũtur, aceto affunditur mellis sextarius, denuoq; ad mellis craßitudinem decoquuntur: ubi autem constiterint, inseruntur asari, mei, piperis albi, singul. sextantes duo. Datur cochleare manè, & lectum petenti.

Picra, id est amara, Galeni.

Aloes drach. centum, ligni balsami, mastiches, croci, spicæ nardi, asari, cinnamomi, singulorũ drach. sex. Sunt qui etiam iunci rotundi odorati floris, & caßiæ, uniuscuiusque denarios sex admisceant. Exhibe drach. in hydromelite.

Picra ex oxymelite, ad stomachicos, locellos, & aquam inter cutem efficax.

Aloes triens, folij sextans, costi, caßiæ, amomi, ireos, singulorum drach. radicis corticis fœniculi libra, mastiches, nardi Celticæ, zingiberis, uniuscuiusq; drach. piperis drach

ma,

ma, mei drach. aceti sesquisextarius, mellis tantundem. Fœniculum decoctũ prius in aceto proijcitur, deinde infunditur mel: & ubi decoctum fuerit ad craßitudinem melleam, reliqua læuigata inspargunter.

Medicamentum ex lupino iocinore optimum.

Gentianæ, chamæpityos, petroselini, marrubij succi, arcij, sinapis, scolopẽdrij, panacis radicis, minij, rubiæ, seminis braßicæ, aristolochiæ longæ, piperis albi, spicæ nardi, costi, seminis erucæ, radicis eringij, polij, echij, eupatorij, baccarum iuniperi, lupini hepatis, enulæ campanæ, æquas portiones melle decocto excipe. Exhibitio est auellanæ quantitas cum mulso discocto.

Theodoretus ex anacardiis.

Anacardiorum sescuncia, croci, caßiæ, folij, spicæ nardi, caryophylli, mei, agarici, rotundi odorati iunci florũ, rheu, epithymi, singulorum drach. quatuor, acori, piperis, uniuscuiusq; sesquiunciã, aloes quadrans sarxiphagæ, mastiches, iridis Illyricæ, cuiuslibet sescuncia, myrobalanorum uncia, mellis libræ sex, uel quod satis est.

Theodoretus aliter apparata, absq; anacardiis.

Aloes drach. sexaginta, agarici uigintiquatuor, croci, caßiæ, rheu pontici, acori, cinnamomi, mastiches, singulorum drach. decem, costi, seminis rutæ, piperis albi, uniuscuiusq; drach. octo, spicæ nardi drach. tres, ligni balsami, asari, trixaginis, mei, uniuscuiusq; drach. quatuor, mellis quod satis est. Quidam his etiam anacardia duo adijciunt. Dosis drachmæ duæ cum mulsa.

Cyphoides iocinerosos & thoracis uitia emendans.

Vuæ passæ carnis drach. uingintiquinq;, croci drach. calami drach. duæ, bdellij drach. duæ semis, caßiæ denarius unus & dimidius, cinnamomi triobolus, nardi triobolus, lentisci drach. duæ, myrrhæ drach. quatuor, terebinthinæ tantundem, ramenti aspalathi oboli duodecim, mellis drachmæ sedecim, uini quantum satis est.

Aliud cyphoides Alexandri.

Habet croci, cinnamomi, bdellij, singulorum drach. quatuor, myrrhæ, calami, uniuscuiusq; drach. duas, bituminis, florum rotundi iunci odorati, cuiuslibet drach. treis, caßiæ, nardi, singulorũ drach. resinæ terebinthinæ drach. sedecim, uuæ passæ carnis drach. centum sexaginta, mellis sesquihe-minam, uini Chij quod satis est.

Diabacanu hepaticum.

Bacani uncia, costi uncia, folij scrupuli octo, piperis albi scrupuli sex, spicæ nardi tantundem, mellis quantũ sufficit. Datur cochliarium cum temperatura conditi.

Zopyrus antidotus.

Myrrhæ drach. quinq;, croci, caßiæ, singulorum drach. quatuor, cinnamomi drach. tres, spicæ nardi drach. duæ, rotundi iunci odorati floris drachmæ duæ, piperis albi sesquidrachma, thuris drachma, costi drach. mellis quod sufficit.

Pæonia antidotus, manus medicatrix.

Styracis calamitæ drach. sex, thuris, amomi, croci, singulorum sescũcia, spicæ nardi drach. sex, phylli drach. duæ, piperis cãdidi drach. sex, & communis drach. octo, myrrhæ, costi, singulorum uncia, mellis quantum opus est.

Dosithei catapotia, iecori accommodata.

Aloes uncia, spicæ nardi, folij, costi, singulorum grammata duo, agarici octo, masticbes tredecim, epithymi quatuor, rheu scrupulum.

Oxymel splenicum, hoc est, ad lienem efficax.

Concinnatur ex cortice radicum capparis, scolopendrij, spicæ nardi, asari, iridis, florum iunci odorati, florum iunci quadrati, anisi, cymini, fœniculi, acori, ericæ fructus, singulorum uncia, foliorum myricæ, foliorum salicis, apij radicis, arboris thuris, scillæ, uniuscuiusq; sextante, aceti, mellis, singulorum sextarijs tribus, ammoniaci thymiamatis. Præparabis ad modum scillitici. Offer cochliaria duo.

Oxymel

Oxymel laborantibus calculo dicatum.

Saxifragæ, betonicæ, graminis, adianti, ſpicæ nardi, carpeſiæ, aſari, eringij, ſingulorum uncia, petroſelini Macedonici, ſeminis rutæ, uniuſcuiuſq; uncia ſemis, fœniculi uiridis, iridis, ſcillæ aſſatæ, chamædaphnes, cuiuslibet ſextans, corticis radicis capparis quadrans, ſiorum ſextans, aquæ, aceti, mellis, ſingulorum ſextarij bini.

Phuſca lapides confringens.

Pulegij, maſtiches, apij ſeminis, mētæ aridæ, ſingulorū uncia, ſalis cōmunis torridi lib. 1. ſeminis coriādri, ſpicæ nardi, aniſi, ammeos, uniuſcuiuſq; ſcrupuli ſex, phylli ſcrupuli quatuor, piperis candidi uncia ſemis, uel communis uncia, lithoſpermatis ſelibra, betonicæ tantundē, aceti præſtantis ſextarij quinq;: omnia cōtuſa & cribellata, & in læuorem trita, per triduū aceto macerata, dies quadraginta inſolato. Quum uerò uſus poſtularit, in decoctū ciceris nigri, & radicis aſparagi, apij item & adianti binas aceti heminas infunde, & in calido balnei alueolo laboranti potui dato. Quidam medicamenti ex prædictis ſpeciebus aridi diobolos duodecim cum poſca memoratarum herbarum decocto temperata exhibuerunt, nec quicquam minus proficit pharmacum.

Conditum calculos atterens.

Piperis albi, ſaxifragæ, ſpicæ nardi, lithoſpermi, betonicæ, ſingulorum uncia, petroſelini, phylli, uniuſcuiuſq; ſeſcuncia, ſeminis rutæ ſylueſtris ſemuncia, mellis ſextarius, uini aſcalonitis ſextarij ſedecim.

Medicamentum ex ſanguine hircino.

Quādo uuæ præ maturitate nigrore ſuffundi cœperint, hirci ætate florentis ſanguinem colligito, & in ſole exiccatum, calculo laborantibus, pondo cochliarij cum paſſo Cretico præbeto. Sunt uerò qui amomi & phylli ſingulorū quadrantem cōmiſceant: alij myrrhæ etiam ſcrupulos quatuor.

Medicamentum ex cicadis, renum doloribus expediens.

Lithoſpermi, raphidis piſcis cremati, ſeſeleos, uniuſcuiuſq; unciam,

unciam, ameos, cucumeris satiui seminis, saxifragæ, uuarum passarũ acinis exemptis, seminis althææ, phaseoli candidi, lyncurij, singulorũ unciam dimidiam, spicæ nardi, phu, mei, lapidum ex spongijs, cuiuslibet drach. adianti, seminis paliuri interanei, siorum aridorum, radicis rubi, graminis, polypodij, uniuscuiusq; drach. treis, sanguinis hircini exiccati, ut dictum est, diobolos sex, cicadarum aridarum, amputatis & abiectis capite, alis, & pedibus, unciæ quatuor, piperis albi drach. sex, mellis decocti quod satis est. Datur nucis auellanæ quãtitas in condito, uel decocto tribuli, uel saxifragæ, uel sinorũ, uel radicis asparagorum, uel graminis, aut quinquefolij, aut radicis herbæ lanariæ.

Ex milio solis.

Lithospermi, betonicæ, saxifragæ, petroselini, piperis albi, pares singulorum modi cum melle excipiuntur.

Medicamentum ex semine marrubino.

Piperis albi & atri, dauci Cretici, seminis cucumeris domestici, seminis fœniculi, marrubij seminis, petroselini Macedonici, pyrethri, zingiberis, phylli, singulorum uncia, mellis quantum sufficit.

Ex lapide Iudaico.

Spicæ nardi, hyssopi, lapidis Iudaici, uniuscuiusq; scrup. octo, piperis scrup. duodecim, zingiberis, petroselini, costi, saxifragæ, singulorũ scrup. sex, caßiæ, seminis apij, cuiuslibet tres, cyperi sex, scobis eboris quatuor, ligni cardamomi scrup. sex, seminis lini scrup. quatuor, mellis quod sufficit.

Medicamentum ex syluestris maluæ semine.

Seminis cucumeris hortulani drach. duodecim, seminis herbæ Apollinaris drach. sex, seminis cicutæ drach. tres (alij uerò sex) opij, fœniculi, maluæ syluestris seminis, croci, cuiuslibet drach. treis, seminis apij drach. sex, caßiæ drach. quatuor, amygdala basilica decẽ, nuces auellanas decem, asari drach. quatuor, passo Cretico excipe, & triobolũ exhibe febre

brecaretibus, cum defruto. sunt qui melle excipere malint.

Ex bellariis renum doloribus dicatum, & ad uesicæ renumque exhulcerationem conducibile.

Vuæ passæ candidæ exemptis acinis, nucleorum pineorum recentiũ, uniuscuiusq; sextãs, seminis cucumeris excorticati, myrtorum exoßium, amygdalorũ amarorum, palmularum pinguium, seminis apij, seminis papaueris, croci, singulorum drachma, myrrhæ sextans. Ieiuno denarium ex passo propinato.

Satyriaca antidotus.

Zingiberis, satyrij superioris, singulorum drach. octo, caudæ crocodili terrestris (quẽ Græci scingũ appellãt) mei, asari, petroselini, cardamomi, seseleos, uniuscuiusq; drach. quatuor, seminis erucæ, cinnamomi, cuiuslibet drach. tres, ormini, piperis albi, seminis cnici, uniuscuiusq; drach. duæ. florum rotundi odorati iunci, spicæ nardi, singulorum drach. sanguinis hirci mystrum. Drachma imbecillioribus cum lacte offeratur.

Globuli ex ligno maceris, intestinorum torminibus utiles.

Xylomaceris, opij, rhei, uniuscuiusq; scrupulos sex, gallæ, myrrhæ, singulorum uncia, uino spathite excipito.

Ex corallio ad podagram.

Habet rheu barbarici, pæoniæ, myrrhæ troglodyticæ, spicæ nardi, singulorũ uncias duas, phylli unciam, caryophyllorum grana quindecim, anagallidis florem rhußion, punicеum' ue habẽtis, quam coralliũ nuncupant, semunciã, mali terræ longi & rotundi, cuiuslibet trientẽ. Dosis est diobolus quotidie post bonã cibi concoctionẽ. Auspicandũ aũt est à solstitio autũnali, quod est circa uigesimũquartũ diẽ mensis Septembris, atq; dieb. deinceps quinquaginta accipito: & undeuiginti intercalatis diebus, ad eandẽ te antidotũ conuerte, atq; ita donec dies quib. accipis, trecenti sexagintaquinq; impleantur, peragito. Sub cane aũt omnes dies uacuato, hoc est à uigesimoquarto die Iunij, usq; ad Augustum completum.

A'ue-

A uenere porrò, & carnibus, maximè procinis, et salsamento, garoq́;, & beta, dauco, menta, lactucis crudis, & peponibus abstinendum est. Ex piscibus uerò, capitonibus, seu gomphis, commaris, molli & testacea cute præditis, atq; à leguminibus cunctis, & omnibus, ut summatim perstringam, quæ crassum humorem generant. Vino itidē secundario, nigroq́;, & multo. Lauandū quotidie, & exercitationibus indulgendum, uel pedibus, uel equo, uel lectica, uehiculoúe. Cæterùm qui habitu sunt aridiore, & uberiore uictus ratione utuntur, nullo incommodo afficiuntur.

Antidotus Agapeti podagrica.

Folij, rheu barbarici, croci, spicæ nardi, myrrhæ troglodyticæ, costi, trixaginis, singulorum sextans, aloes hepaticæ quincunx, hyperici, pæoniæ, uniuscuiusq; quadrans, mali terræ longi, phu, mei damasonij, anagallidis, cuiusq; triens. Modus autem utendi idem omnino est cum Diacorallio.

Antidotus Atactos podagrica.

Folij, mei damasonij, anagallidis cyaneum florem habentis, erythrodani, mastiches, croci, caßiæ, aloes hepatitidis, gentianæ, trixaginis, singulæ unciæ, caryophyllorum, asari, piperis albi & atri, singulorum uncia semis, spicæ nardi, myrrhæ, rheu barbarici, radicis pœoniæ, mali terræ longi, & rotundi, cuiuslibet uncias duas. Vsurpatio eius superioribus similis est.

Procli podagræ, coxendicis doloribus efficax compositio.

Trixaginis dodrans, cētaurij bes, aristolochiæ septunx, gentianæ selibra, hyperici quincunx, petroselini Macedonici triens, mei quadrans, agarici sextans, phu uncia, mellis Attici heminæ duæ.

Medicamen ex septem concinnatum rebus, ad eadem.

Hyperici, aristolochiæ longæ, singulorum uncia, centaurij, chamæpityos, agarici, uniuscuiusq; quadrans, trixaginis unciæ sex, gentianæ quincunx. Nonnulli petroselini quoque unciam inserunt, mellis denarios quinq;. Exhibetur drach-

De

De pastillis. Cap. 12.

PAstillos Græci ab efformationis figura trochiscos, id est orbiculos appellant. Sunt autem pastillorum genera tria. Alij nanq; potimi, hoc est potabiles: alij enetici, id est infusiles, qui per anũ immittuntur: alij catachristi, quod est inungibiles. Potabiliũ itaq; alij retẽtiui, eo quòd alui, uel sanguinis, uel alias quascũq; fluxiones refrigerãdo, uel astringẽdo, uel infarciẽdo, aut desiccãdo cõpescant: cuius farinæ sunt, pastillus ex spina Aegyptia effigiatus, et ex seminib. concinnatus, atq; id genus. Alij dolorẽ sedãt, uel quod sensum stupefaciẽdo torporẽ inducãt, ueluti Crocodes: uel quòd humores dißipãt, cuius generis sunt qui ex aromatis conficiuntur. Quidam ab meatuũ oppilationibus iecur, lienẽ, & renes uindicant: è quorum classe sunt, qui ex amygdalis amaris formãtur. Ex his aũt quæ in aluum infunduntur, aliqui acrimonias obtundunt, ueluti in torminib. intestinorũ: cuiusmodi sunt ex pompholygé, amylo, et terra samia, cum cremore ptisanæ, uel eiusmodi aliquo per clysterẽ immißi. Aliqui uerò astringendi facultate præditi, uẽtris et sanguinis fluxiões sistũt, ueluti qui alumine, acacia, & omphacio cõstant: uerbi causa, pastillus Philippi, uel ex acãtha Aegyptia cũ succo rosarũ, uel plantagine infusi. Aliqui deurẽdi uim obtinent, quorũ usus in torminib. intestinorum, quæ hulcera depascentia experta sunt, probatur, ex sandaracha, auripigmento, calce, charta cõbusta cõpositi. Cũ succo uerò lentium aut oryzæ, ablutis prius muria intestinis, immittãtur, ubi alimentũ antea potũq; languẽtes sumpserint, quo nihil uirium medicamenti ad stomachum rapiatur. Conducunt autem hi qui aluo induntur pastilli, potißimum affectionibus, quæ circa sumen sub umbilico ingruunt: superius enim uires ipsorum non perueniunt. Qui uerò illinuntur, uiribus illis, qui infunduntur, respondent. Cæterũ stiptici, in herpetibus, exanthematibus, intertriginibus, sanguinis eruptiõe, ac fluidis hulceribus, conferũt: è quorum numero est, Andro

nis & Polyidæ. Qui uerò hebetant, carbunculis, et maleficis hulceribus competunt, ueluti Leucus appellatus & dialotarion. Adurentes autem orbiculi, perinde atque prædicti (cuiusmodi censentur & phaustiani) medendis serpentibus, uerendorum, sedisq; hulceribus, pterygijs item, & carnosis narium uitijs expediunt.

Pastillus aster.

Croci, opij, castorij, spicæ nardi, caßiæ, myrrhæ, Lemnij sigilli, corticis mandragoræ, singulorum trientem, dauci, apij, anisi, seseleos, seminis alterci, styracis, uniuscuiusque unciam: uino læuigabis.

Pastillus Trigonus.

Seminis apij, seminis herbæ Apollinaris, uniuscuiusque drach. duæ, anisi drach. 4. opij drach. tres, aqua diluuntur.

Pastillus ex seminibus.

Seminis anisi, ammeos, fœniculi, singulorum drach. quatuor, seminis apij, opij, seminis hyoscyami, uniuscuiusque drach. duæ, aqua teruntur.

Pastillus crocodes, id est croceus.

Anisi, dauci cretici seminis, uniuscuiusq; drach. quatuor, myrrhæ, castorij, singulorum drach. duæ, croci, opij, cuiuslibet drach. tres, seminis apij, styracis, uniuscuiusq; drach. quatuor, seminis alterci drach. sex aqua conteruntur.

Pastillus diarhodos.

Acaciæ, cōmeos, rosarum floris, balaustiorū, hypocistidis succi, gallarum, uniuscuiusq; drach. tres, succi rosarum uiridiū, seminis plantaginis, cuiuslibet drach. lycij Indici drach.

Pastillus diacoralliu, id est ex corallio.

Seminis alterci, thuris, singulorum drach. octo, terræ samiæ, corallij, rubricæ sinopidis, opij, uniuscuiusque drach. quatuor, amyli, balaustiorum, cuiuslibet drach. duæ, succo polygoni excipiuntur.

Pastillus ex electro.

Herbæ pulicaris quincunx, mastiches triens, scobis succi, iridis, croci, singulorum triens, opij sextans.

Pastillus

Pastillus ex spina Aegyptia.

Spinæ Aegyptiæ, rhu, thuris, acaciæ, aluminis fißi, succi hypocistidis, gallæ. Lemnij sigilli, corallij, consolidæ, Samij asteris, aloes, ladani, singulorum partes æquales uino excipiuntur.

Pastillus alius, quem Galenus Aphrodisiasticon clidion inscripsit.

Florum punicæ satiuæ, spinæ Aegyptiæ, florum punicæ agrestis, succi hypocistidis, acaciæ, singulorum drach. sex, lycij, rheu pontici, opij, uniuscuiusque drach. quatuor, myrrhæ drach. duæ, uino ex baccis myrti, uel rosarum, aut myrtorum iure assumuntur.

Clidium Oribasii dysentericum & cœliacum.

Gallæ omphacitidis drach. octo, opij drachmæ quatuor, aqua in pilulas effingito, & deglutiendum treis aut quatuor exhibeto.

Pastillus e cornu cerui, dysenteria & sanguinis excreatione laborantibus accommodatus.

Cochlearum drach. duodecim, cornu ceruini deusti, gallæ exiccatæ, acaciæ arefactæ, uniuscuiusq; drach. quinq;, oboli duodecim, myrtorum nigrorum drach. quindecim, opij torrefacti, hypocistidis succi, singulorum drach. quinq;, florum labruscæ drach. sex, succi radicis mandragoræ, terræ asteris, cuiuslibet drach. duodecim, rhu obsoniorum drach. quatuordecim, malicoriorum exiccatorum drach. septem, thuris drachmæ octo, corticis pini arefacti drach. quatuordecim, herbæ Apollinaris tosti drach. decem, rhus coriarij sextarij duo, uini nigri quantum ad elixandum rhun, ut craßißimum reddatur uinum, satis est: quo percolato, cætera excepta, in pastillos digeruntur.

Pastillus Amazonum.

Seminis apij, anisi, uniuscuiusq; drach. sex, comæ absinthij drach. quatuor, myrrhæ, piperis, opij, castorij, singulorũ drachmas duas, cinnamomi drach sex, aqua excipito.

Pastillus ex amygdalis amaris.

Anisi, seminis apij, asari, amygdalorum amarorum, absinthij comæ, æqualia pondera cum aqua cogũtur, in pastillos, drach. unius. exhibetur non febrientibus cum œnomelite, febricitantibus uerò cum hydromelite.

Pastillus ex erica, ad lienem.

Erices fructus drach. quatuor, piperis albi, nardi Syriacæ, ammoniaci thymiamatis, singulorum drach. duæ, gutta ammoniaca aceto dissoluitur, & aridis inijcitur. Effigiuntur pastilli, qui singuli denarium pendeant. Dosis orbiculus, cum oxymelitis cyatho.

Pastillus, ex uesicagine.

Seminis cucumeris satiui pelle exuti triens, seminis alterci, cicutæ, singulorum sextans. fœniculi, seminis rumicis, croci, nucleorum pineorum, amygdalorum amarorum, opij, uniuscuiusq; uncia, uesicariæ sextarij tres, uini quantum opus est.

Pastillus Philippi dysentericis dicatus.

Balaustiorum, acaciæ, hypocistidis succi, opij, rhu, thuris, myrrhæ, croci, gallæ, aloes, rheu põtici, malicoriorum, myrtorum, uniuscuiusque drachmas quatuor, uino austero subigito, & orbiculos triobolares compingitio. Dato autem febre uacantibus cum uino, febrientibus cum hydromelite.

Pastillus Musæ.

Aluminis, aloes, myrrhæ, atramenti sutorij, uniuscuiusq; uncia una & semis, malicoriorum, croci, crocomagmatis, cuiusq; drach. sex uino excipiuntur.

Apparatus crocomagmatis.

Croci unciæ duæ, rosarum, amyli, myrrhæ, aloes, thuris, gummi, uniuscuiusque uncia una: costi, spicæ nardi, singulorum drachma una, uino excipiuntur. De crocino oleo etiã altera crocomagmatis dicetur concinnatio.

Neri pastillus, ex collectaneis Heræ.

Myrrhæ, aloes, croci, uniuscuiusq; drach. octo, aluminis fißilis drach. centum, aqua subiguntur.

Polyidæ

Polyidæ Sphragis.

Aluminis fißi drach. quatuor, myrrhæ drach. octo, atramēti sutorij drach. duas, florum punicæ satiuæ drach. duodecim, fellis taurini drach. sex, uel, ut alijs placet, drach. sedecim, aloës uncia, uino astringente excipito.

Pastillus Pasionis.

Squamæ æris denarium pōdo duodecim, æris tosti, aloes, guttæ ammoniaci, aluminis rotūdi, æruginis rasilis, thuris, uniuscuiusq; denarium pondo octo, uini quantum satis est.

Pastillus Andronius.

Florum mali punici hortensis denarij decem, myrrhæ denarij quatuor, gallarum denarij octo, mali terræ rotundi denarij quatuor. atramenti sutorij, croci, aluminis scißi, crocomagmatis, mysios, thuris, cuiusque denarij duo, uino austero, acetóue diluuntur.

Pastillus Phlaustini.

Auripigmenti denarij duodecim, sandaraches denarios sex, calcis aqua non extinctæ octo, chartæ crematæ denarium, succo myrtorum uel decocto excepta digere in pastillos, et per anum cum decocto baccarum myrti, lenticularū, & rubi radicum immitte.

Pastillus e charta.

Chartæ combustæ libras duas, calcis, auripigmenti, sandaraches, uniuscuiusq; unciam succo plantaginis excipito.

Thronus Marcellius.

Chartæ crematæ denarij decē, sandaraches, auripigmenti, squamæ æris, aluminis scißi, cuiusque denarij quatuor, florum punicæ syluestris denarij treis, opij duo, calcis uiuæ uiginti, omphacij denarius, succi hypocistidis treis, uino ex myrti baccis excepta in orbiculos drach. quatuor pondere æquantes redigūtur, & in uino malicorio, myrti baccis, & rosis usque ad tertias elixatis, exhibetur in uini cyathis sex pastillus unus, uel summatim quatuor.

Pastillus ex subere.

Gallarum crematarum, chartæ combustæ, fecis uini deu-

ſtæ, & panis deniq; toſti ſingulorum denarios decem. In alio etiam cornus ceruini uſti denarios quindecim, habetur: auripigmenti denarios duos, ſandaraches, calcis uniuſcuiuſq; denarios quindecim, acaciæ, ceruſſæ, cuiuslibet denarios quinque, ſpumæ argenti denarios treis, uino ſubigito.

Paſtillus cognomento Bithynus.

Malicoriorum denarij decem, cadmiæ quadrans, maliterræ, gallarum, panacis radicis, ireos, atramenti ſutorij, aluminis fiſsi, chalcitidis, miſyos, ſquamæ æris, mannæ (nonnulli adijciunt etiam coſti) cuiuſq; ſeſcuncia, aceto læuigantur.

Paſtillus ad hulcera, nomas, & fluxiones.

Croci, aloes, thuris, ſingulorum uncia, cytinorum, aluminis fiſsi, caſtorij, mannæ, æruginis raſæ, cuiuſq; uncia, rubricæ ſinopidis libra, uino ueteri excipiuntur.

Paſtillus alius, ex febri teſticulis colicis dicatus.

Myrrhæ, caſtorij, cuiuslibet dioboli ſex, croci, opij, ſingulorũ ſcrupuli nouẽ, aniſi, ſeminis apij, dauci ſeminis, uniuſcuiuſq; uncia ſemis, alterci ſeminis, ſcrupuli duodeuiginti.

Paſtillus ex uino & oleo, ano & pudendis dedicatus.

Ceruſſæ dextans, ſpumæ argenti quincunx, thuris, ſtercoris plumbi, aluminis ſciſsi, ſingulorum ſextans, uino marina exorte ſubiguntur. Cæterum quum uſus exiget, œnorhodino, hoc eſt uino roſaceo, uel uino myrtino diluuntur.

Paſtillus ex lapide phrygio, pro his qui genitalibus afficiuntur.

Lapidis phrygis combuſti, & extincti ter, primùm butyro, uel roſaceo, deinde uino, tertiò melle, ſextans: roſarum floris triens, córticum mali granati uncia.

Paſtillus ex loto ſylueſtri, ſedi atq; uerendis conſecratus.

Ceruſſæ, amyli, glauci, croci, aluminis, æquales portiones, ſucco loti ſylueſtris, uino'ue diluuntur.

Paſtillus leucus.

Terræ aſteris uncias quatuor, bullæ (quam Græci pompholyga

pholyga dicunt) cerussæ, amyli, uniuscuiusq; unc. duas, opij diobolos quatuor, aqua contere.

Pastillus ex uesicaria.

Spumæ argenti denarij uigintiquatuor, cerussæ duodecim uel uigintiunus, alicacabi radicis denarij octo, atramenti sutorij denarij quatuor, aluminis fißi tantundem, rubricæ quantũ ad colorem inducendum sufficit, aqua subigũtur.

Pastilius ex utroque ueratro, & idem ex duplici acacia.

Acaciæ nigræ & rufæ, glutini fabrilis, aliàs ichthyocollæ, singulorum triens: ammoniaci thymiamatis, glaucij, aloes, cuiusque sextans, thuris masculi, ueratri nigri, & candidi, uniuscuiusque uncia, aceto scillitico excipiuntur. Quum utendum erit, eodem uel communi dissoluta, sub balneum, & à balneo rursum illinuntur.

Pastillus Criogenes.

Myrrhæ, æris cremati, aristolochiæ rotundæ, æruginis rasæ, squamæ stomomatis, uerbenacæ rectæ, aluminis rotundi, cuiusque uncia, aceti quantum satis est. Decerpere autem oportet uerbenacam, quum sol fuerit in ariete. Formatur autem in emplastrum etiam hoc modo. Pastilli huius, ceræ, colophoniæ, olei pares modi, aceti quantum ad eliquandum pastillum satis est.

Pastillus melanchlorus, hoc est niger ac uiridis.

Myrrhæ, aloes, squamæ æris cremati, auripigmenti, aluminis fißilis & rotundi, ireos, chalcitidis, misyos, salis fossi, chalcanthi, cerussæ, nitri, spumæ argenti, panacis radicis, cadmiæ, malicoriorũ, gallarum, aristolochiæ rotundæ, squamæ stomomatis, æruginis rasæ, uniuscuiusq; uncias, aceti quantum res postulat. Pangitur item emplastrum ad hunc modum: Pastilli sextans, colophoniæ, ceræ, olei, singulorum selibra, aceti quantum ad pastilli subactionem sufficit.

Pantolmios, ad chironia & maligna hulcera, et rheumata.

Casiæ, æris cremati, cerussæ, spumæ argẽti, ferruginis rasilis, aluminis fißi, rotũdi, liquidi, et plẽthytidos, id est lateritij,

panacis radicis, aristolochiæ longæ et rotũdæ, malicoriorũ, atramenti sutorij, portulacæ, iridis, astragalitidis, misyos, ammoniaci thymiamatis, salis ammoniaci. squamæ æris, aloes, diphrygis, thuris, gallarum, sarcocollæ, plumbi deusti, foliorum oleæ, soreos, myrrhæ, attramenti metallici liquidi, balaustiorum, spinæ Aegyptiæ, sulphuris ignem non experti, nitri, rhu rubei, rhu Syriaci, chrysocollæ, aluminis, rhu coriariæ, acaciæ, salis spumæ, omphacij, auripigmenti, æquæ portiones: sub ardentißimo Caniculæ æstu, aceto per dies triginta macerantur.

Pastillus Nymphodoti.

Spumæ nitri uncia, nitri Alexandrini, saponis Gallici, uniuscuiusq; uncia, salis Cappadocici, mastiches, gallarum, cuiuslibet denarios quatuor, foliorum rosarum, amomi, amyli, cuiusq; uncia, folij denarius, fißilis aluminis, costi, singulorum denarij duo, uini ex baccis myrti quantum satis est.

Pastillus e thapsia hemicranicus.

Liquoris thapsiæ denarij sedecim, myrrhæ denarij octo, opopanacis, euphorbij, singulorũ denarij sex, nitri, succi parthenici, cuiusque denarij quatuor, piperis, sagapeni, uniuscuiusque denarij duo, aceti quod satis est. Quum autem usus est, aceto illitos post horas sex abluito. uerùm si uoles remißiore uti, cerato pari exceptũ illinito, atq; per diẽ ac noctẽ sinito.

Hypothum ad dysenteriam & ani dolores.

Terræ asteris, amyli, singulorum uncias treis, croci uncias duas, acaciæ, tragacanthæ, uniuscuiusque unciam, castorij, thuris, lycij, cuiuslibet semunciam: in natura calidioribus etiam opij unciam dimidiatam, succo pulicariæ excipito, & in longum effigiato.

De pulueribus & smegmatis, Cap. 13.

Aridorum medicaminũ, quæ & cataplasmata uocantur, alia quidẽ hulcerib. conueniũt, alia uerò cuti admouẽtur: et quæ hulcerib. cõpetunt, quædam cauitates carne replent,

quædam uerò tumentia ſupprimunt, & excreſcentias carnium reprimunt: quædam cicatricem inducunt: quædam deurunt & exedunt, & quædam ſanguinē comprimunt. Quæ igitur cauis carnem inducunt, uel ſordida expurgando, carnem generant, ueluti quæ ex eruo componuntur, & ariſtolochia, iride, panace, myrrha, thure, aloe: aut circumfluam humiditatem exiccando, quemadmodū quæ ex ære, diphryge, ſquama, charta combuſta, cortice pinus, acantha conficiuntur (eadem uerò ipſa cicatricem quoq; inducunt) aut acredines & eroſiones hebetando: uerbi cauſa, quæ ex pompholyge, amylo, ceruſſa, fece toſta, lapide ſpeculari, oſtreis crematis, terra Samia, & id genus, & quæ ex his compoſitorū habent potentias. Ex his quæ ſupprimendi excreſcentias uim obtinent, mitiora quidem cenſentur ex ſquama æris, miſyos, chalcitide toſtis, & galla concinnata. Valentiora ſunt, quæ ex atramento ſutorio, ærugine, miſyos, chalcitide, non deuſtis componuntur. Quæ autem deurendi & exedendi facultate ſunt prædita, ex calce, auripigmento, ſandaracha, ſphecle, quæ eſt fex uini, crematis conſtant. Cæterùm hæc omnia in minutiſsimum puluerem friata, hulceribus inſperſa, minus mordacia ſunt. Craſſarum contrà partium & ſpiſsiora, acrius mordicant. Quæ ſanguinem coercent, uel aſtringendo, uel refrigerando, uel ſiccando, obſtruendo'ue, aut deurendo, & cruſtam inducendo, comprimunt, quorum materiam ſermone de Paſtillis docuimus. Sed eorum quæ cuti adhibentur, aliqua ſanè detergunt & exterunt: cuius farinæ ſunt, ex creta cimolia, pumice, ſiliqua fermenti, hordeo, peponum carne, flore ſalis conflata. Aliqua uerò attenuant & diſsipant, quemadmodum ea quæ ex ueratro, alcyonio, ſulphure, uua paſſa ſylueſtri, ſinapi, pyrethro, ſemine roris marini, lemnia terra, ſepiæ teſta. Quibus ſi calx adijciatur, & auripigmentum cum aliquo liquore, pſilotica redduntur, & ſmegmata fiunt. Quædam capiti applicantur, quo fluxum

ex eo manantem arefaciant: cuiusmodi sunt è nitro, sale, gallis, malicorijs, & id genus alijs contexta. Smegmata postremò omnia cuti sunt non illitæ accommodanda.

Puluis capiti conueniens.

Erui unciæ quinq;, iridis, mannæ, aristolochiæ, squamæ æris, uniuscuiusq; uncia una cum dimidia. Alius: Corticis pini denarij sex, thuris denarij quatuor, pumicis tantundem, iridis denarij duo, resinæ aridæ denarij sex, aristolochiæ denarij duo.

Ex aloe.

Aloes denarij sex, erui denarij octo, mannæ thuris quatuor, gallæ treis, aluminis fißi denarij duo.

Ex fece uini cremata Manethonis.

Cadmiæ combustæ atq; elotæ uncia, terræ asteris uncia, fecis uini cremati triens, lapidis specularis tantundem, thuris triens. quidam his amyli quoq; trientem adijciunt.

Melitera Oribasii.

Habet chalcitidis, squamæ æris, galbæ, balaustiorum, ceræ, uniuscuiusque uncias treis, aristolochiæ unciam, corticum mali Punici, fißilis aluminis, singulorum unciam dimidiam.

Ex ostreis.

Recipit cadmiæ, thuris, cuiuslibet unciam, ostreorũ combustorum trientem.

Ex thure.

Spumæ argenti, thuris, squamæ æris, mali Punici, amyli, cerussæ, singulorum partes æquales.

Aphroditarium.

Accipit thuris, squamæ æris, rhoidarij, amyli, cerussæ, æquas portiones.

Rhodia comprimens sanguinem, ad nomas, & carnis excrescentias conducens.

Galla crudæ denarij sex, gallæ crematæ, & uino extinctæ,

ctæ, aridæ denarij duodecim: squamæ æris atræ, sin minus, rubræ denarij octo, atramenti sutorij uigintiquatuor, aluminis fissi denarij uigintiseptem, læuigantur dies quot satis est.

Flauum medicamentum.

Chalcitidis crematæ denarij quadraginta, atramenti sutorij tosti denarij octo, misyos combusti denarij decem, æris deusti denarij quinq;.

A murino colore dictum medicamentum:

Misyos unciæ quinq;, gallarum unciæ quatuor, chalcitidis unciæ duæ, squamæ æris unciæ duæ, chalcãthi uncia, ferruginis rasilis unciæ duæ.

Medicamentum Heliocaes adurens.

Auripigmenti libram, calcis aqua non extinctæ libras duas, aqua in diebus canicularibus eliquato: deinde, ubi arefeceris, utere.

Antherum.

Sumit cyperi denarios octo, myrrhæ denarios duodecim, sandarachæ denarios treis, floris rosarum denarios duos, croci denarium, crocomagmatis, aluminis fissi, iridis Illyricæ, singulorum denarios duos.

Ad nomas oris potissimum, & naturalium hulcera.

Squamæ æris, chartæ combustæ, uniuscuiusque denarios octo, auripigmenti, sulphuris ignẽ non experti, cuiuslibet denarios duodecim, plumbi deusti denarios sex. Quo medendis humidioribus sepedonibus arido utere. Aridis uerò curandis rosaceo macerabis, interdum etiam melle cum rosaceo.

Dia oxymyrsinis, id est ex myrto syluestri, ad eadem.

Rhus coriarij libra, myrti syluestris foliorum, sandarachæ, uniuscuiusq; denarij octo, aridorũ foliorũ salicis, malicorij, cuiuslibet denarij sex, aluminis fissi, chrysocollæ, aloes, chalcitidis crudæ, squamæ, auripigmenti, salis communis, singulorum denarij quatuor.

Aridum

Aridum Maſſaliotæ.

Nitri, opij, chryſocollæ, lapidis Aſij, ſandarachæ, miſyos, chalcitidis, aluminis ſciſſilis, diphrygis, æquis portionibus. Arido utere.

Smegma aridum, quod Aſclepios appellatur.

Baccarũ lauri, nitri Alexandrini, ſalis fricti, ſalis Cappadocici, ammoniaci thymiamatis, ſpumæ nitri, pumicis, cuiuſlibet libram, ueratri nigri, struthij, pyrethri, ſphecles, (quæ eſt uini fex) deuſtæ, uuæ paſſæ ſylueſtris, napyos, cyperi, aluminis ſciſſilis, floris rotundi iunci odorati, ireos, gallarum, cuiuslibet ſelibram, ſampſuchi libram, uiticis ſeminis, pulegij, lomenti, & farinæ lupini, ſingulorum uncias ſex. chamæleontis nigri, ſulphuris, gummi, thuris, piperis, radicis cucumeris agreſtis, marrubij, cretæ cimoliæ, pæoniæ, ſepiæ teſtæ, fœnogræci, folij, coſti, cymini, euphorbij, ſpicæ nardi, ſingulorum quadrantem. Cæterùm Alexander hæc inſuper adhibuit: Salis nitroſi, & Trageſij, cuiuſque libram, adarces unciam, aluminis liquidi, nardi Celticæ, cnici, grani cnidij, graminis aridi, bryoniæ ſiccæ, uniuſcuiuſque quadrantem.

Smegma Peponatum.

Thuris, maſtiches, guttæ ammoniaci thymiamatis, ſingulorum uncia, tragacanthæ ſeſquiuncia, ſucci omphacis unciæ nouem, recentis ſeminis peponis unciæ tres, ſimilaginis ſextarij quinq;, ouorum unius & uiginti albumina, iridis unciæ quatuor. Sunt autem qui hellebori nigri uncias quoque duas inſerant.

Aliter Critonis.

Lomenti modium, ſimilæ ſextarios quatuor, trifolij, myrobalani, ireos illyricæ, uniuſcuiuſq; libras quatuor, guttæ ammoniaci thymiamatis, coſti, ſingulorũ librã, ouorũ tenues albores, peponum carnis ſextarios duos, omphacis ſucci tantundem. Irrigato, & conformans paſtillos arefacito, deinde

contuſis

contusis & attaminatis utere. Aliud: Tragacanthæ, thuris, mastiches, guttæ ammoniaci thymiamatis, singulorum denarios decẽ, ſucci omphacis, similæ, uniuscuiusq; denarios quinq;, alboris ouorum unciam, carnium peponum dextantem. Præparato quemadmodum prædictum est.

Smegma caput catarrhosum exiccans.

Habet nitri Alexandrini fului quincuncem, salis communis fricti, salis Cappadocici, singulorũ unciam. hæc cõtrita, & acerrimo aceto macerata, inijce lineo sacculo, et in furno donec redigantur in carbones, comburito: deinde refrigeratis, læuigatisq; extere, cum uino instillans in balneo.

Sapo Constantini.

Rosarum aridarum, aloes, gallarum, malicoriorum, fœniculi, sarcocollæ, uniuscuiusq; quadrans, balaustiorum, myrrhæ, sandarachæ, spicæ nardi, singulorum sextans, saponis Gallici libra: lupinorum decocto excipiuntur.

Puluis depilatorius ad podagram.

Mastiches, thuris masculi, herbæ pedicularis, ueratri albi, spumæ argenti, cuiusq; quadrans, folij, amyli, ueratri nigri, lapidis Asij floris, singulorũ uncia, alcyonij, pumicis assati, cretæ cimoliæ, sampsuchi, uniuscuiusq; quadrãs, spicæ nardi uncia: aliqui uerò indunt etiam aloes unciam. Aridum contusum in uase asseruatur: quum utendum erit, succus oryzæ & ptisanæ in ollam conijcitur: ubi macerata fuerint, inseritur pulueris sescuncia, saponis Gallici, auripigmenti, aluminis scissi, sandarachæ, uniuscuiusq; sesquiuncia, calcis aqua non extinctæ recentis libra. Vtendũ unguento ter in mense, nono uidelicet lunæ die, & undeuigesimo, & undetricesimo usque ad annum. Post hunc semel in mense, luna uigesimumnonum diem agente.

De unctionibns quæ ori inseruiunt, & faucibus. Cap. 14.

QVanto summa oris tunicula cute rarior molliorque est, tanto etiam usus stomaticorum medicaminum euariat.

Circa

Circa igitur prima inflammationis rudimenta, pharmacis quæ humoris influxum repercutiũt, opus est: cuiusmodi sunt arida quidem, omphacium, galla immatura, succus rhu, hypocistidis, aluminis, piniq; & thuris cortex: & flores mali Punici, & summatim omnia quæ citra insuauem & uirulentam facultatem astringendi uim obtinent. Liquida uerò, succus mororum batinorũ, & eorum quæ sycamina appellantur, uiridiumq; nucum corticis, et malorũ granatorum, præsertim acidorum, malorũ cotoneorum, mustũ & Amineum. Mel autem per initia solum, ut adhæreant medicamenta, admiscetur. Quum autem liquidum constiterit, quæ concoctionem adiuuant, & mediocriter dissipant, admiscenda sunt: cuius generis est crocus, myrrha, & glycyrrhizæ succus. Et uniuerso inter uigorem & decrementum tempore, rectè mixto ex ambobus repercutiente & discutiente utemur: & primò quidem repercussiua, mox uerò distrahentia præpolleant. In uigoris uerò remissione solis absque astrictione discussorijs utendum est: cuius farinæ sunt nitrũ, & spuma eius, origanum, hyssopum, thymus, nepita, iris, besasa, & consimilia. Liquor autem illo tempore sapa esto, tum id quod à musto decocto, tum quod à ficubus aridis, & dactylis conflatur, atq; ipsum etiam mustum dulce cum melle: ubi uerò inflammationis quippiam remanserit, sulphuris etiam ignem non experti aliquid admiscendum est. Coquendus autem est ante omnia succus cum melle, ad mellis usq; liquidioris consistentiam: mox arida læuigata inspergantur, deinde tantisper dum omnia in unitatem exactè coeant, moderatè elixentur, ac tum denique medicamentum id in uitrea uasa transfusum adseruetur.

Diamoron simplex.

Mororum succi sextarij tres coquuntur ad tertias, iniectoq; mellis sextario, denuo ad mellis usq; spissitudinem decoquuntur.

Diamoron

Diamoron compositum.

Coquuntur mororũ succi heminæ sex ad strigmẽti crassitudinem, deinde admiscetur contriti croci denarius, myrrhæ denarij duo, succi uuæ acerbæ denarius, aluminis fissi triobolus, mellis hemina: atque donec crassitudinem induat, decoquuntur.

De Batinis moris, id est ex rubis.

Cæterùm ex moris quoq; batinis diamoron consimiliter præparatur, & astringentius est.

Diacaryon, id est ex nucibus, simplex.

Nucum uiridium corticis contusi succi heminæ quinque, mellis hemina, ad medias decoquuntur.

Diacaryon compositum.

Ab initio quidem & in uigore oris inflammationum miscere oportet croci & aluminis, uniuscuiusq; denarium, myrrhæ denarios duos; in declinatione autem ad dissipandum, nitri denarium, sulphuris tantundem, cum præfata nucum corticis succi & mellis mensura.

Ex succo mali punici.

Malorum granatorũ acinis exemptis dulciũ succi sextarios quatuor, malorum Punicorũ acidorum succi sextarios duos, mellis sextariũ, myrrhæ minneæ denarios octo, crocomagmatis, gallæ, uniuscuiusq; denarios octo, aluminis scissi denarios quatuor, ireos illyricæ denarios octo, succi uuæ acerbæ denarios octo. Præpara quemadmodum Diamoron. Idem aliter: Succi malorum Punicorum dulcium cum testis combustorum sextarios sex, mellis boni sextarium, aluminis fissilis unciam, myrrhæ unciam dimidiam.

Ex musto medicamentum.

Musti, sextarij sex, gallæ, aluminis fissi, singulorum denarij duo, croci, myrrhæ, uniuscuiusq; denarius. si quidem mitigare uolueris, mulsum dulce esto: si uerò retundere, austerum: medium uerò inter hæc quodammodo existit, quod neutrum est.

Aegyptiacori inseruiens.

Mellis libra, olei unciæ octo, resinæ terebinthinæ unciæ duæ, croci denarij quatuor, in cacabo eliquantur.

Ex ruta syluestri.

Seminis anisi, apij seminis, floris rotundi iunci odorati, seminis ammeos, aluminis scissilis, iridis Illyricæ, besasa, quod nonnulli hermala nuncupant (est autem ruta syluestris) cinnamomi, myrrhæ troglodyticæ, croci, gallæ, singulorum uncia, aristolochiæ longæ, cassiæ, crocomagmatis, rosarũ aridarum, cuiusq; uncia, costi, hirundinum cineris recentis, cuiuslibet quadrans, nardi Indicæ, amomi, uniuscuiusq; uncia, mellis quantum sufficit.

Suaues & frugi potiones. Cap. 15.

Dulcium pariter & utilium potionum aliæ quidem ex uino componuntur, missis in ipsum quibusdam speciebus: uerbi causa, pipere, absinthio, casamo, & alijs compluribus, unde nomenclaturam nonnunquam mutuant, quãdoq; melle admixto, quandoq; non: aliæ uerò ex aqua, in aqua elixantur mala, uel rosæ, uel similia quædam, puta, uua immatura, mala granata, myrtorũ baccæ. Mel itaq; optimũ despumatum, soliditatis gratia & dulcoris, & quod interdum etiam utile cõmiscetur, præterquàm quod à Cibyra paruis uasculis importatur, austerum, & uinosum hydromalũ, quod etiam potest sine melle cõfici: quemadmodũ è diuerso apomeli ex solo melle & aqua, citra aliquã alterius essentiæ miscellam. Quin ex uino etiam compositæ potiones, quæ & propomata uocant, mellis despumati sextarium, ad uini sextarios quatuor assumunt, & componuntur, ignem non experta. Quæ uerò ex aqua & liquore constant, si quidem coquãtur, unam mellis partem ad treis liquoris in coctura ad duas fermè partes consumpti recipiunt. Sin minus, una mellis ad duas liquoris decoquatur. Quæ autem non elixantur, omnino quantum satis est insolanda sunt, præsertim omphacomeli. Decoquere autem

autem congruit potiones ex aqua, quoniam propter imbecillitatem facilè alteratur. Omnes porrò exiguis testaceis uasis incrustatis repōnēdæ sunt, accuratè et tuto operculatis in locis apricis, usq; dum decoquantur, collocatis. Attenuantibus autem, & egregiè aqua temperatis utere. Omphacomeli autem, postquam instar musti efferbuerit, & inspissatum cōstiterit, operculato. Quocirca quæ ex uino consistunt, in his qui à febre immunes sunt, maximè utimur, uel solius uoluptatis gratia, nisi ex scammonia, aut grano cnidio, aut id genus purgandi uim habentibus fiant, uel propter istiusmodi affectiones, in quibus aliquis etiam iniectis in illas medicamentis, per os uti queat. His uerò quæ ex aqua aut liquoribus quibusdam confiunt, in febrientibus utendum, nunc quidem tanquam dulciarijs, quum morbus languentibus uini usum non permittit, nunc quod affectionibus conueniunt: ueluti apomeli ad sputum agendum, uel ad lotium ciendū, uel uentrem laxādum, uel humorem crassum attenuandum. Hydromalum autem & hydrosatum sitibundis, febre ardente correptis, dissolutis, & stomacho imbecillis. Omphacomeli, myrtites, & mel rosaceum, & rhœtes, non cœliacis solum, sed & dysentericis, euomentibus, & alijs fluxionū morbis congruunt. His deniq; lauaminibus, subinde in oris affectionibus utimur.

Hydromalum ex succo malorum cotoneorum.

Succi malorum cotoneorum mundorū, contusorum, sextarij duo, mellis sextarij tres, aquæ sextarij sex: coquuntur despumando usq; ad tertias. Aliud: Malorum cydoniorum concisorum purorum libræ quinq;, in aquæ fontis sextarijs decem, tantisper dum subiuga reddantur, decoquuntur: sublata ab igne, refrigerataq; eximuntur, & expresso cremore mala proijciuntur, aquæ mensuræ mellis quantitas dimidia admiscetur: & rursus aßiduè despumando, donec octaua pars euanescat, decoquitur. Sunt uerò nonnulli, qui hydromalum ex malis dulcibus consimiliter composuerunt.

Hydrorosati compositio.

Conficitur ex rosarum detractis unguibus libris quatuor, aquæ sextarijs quinq;, mellis sextarijs duobus.

Rhodomali præparatio.

Succi pomorum cydoniorum sextarius, rosarum libræ tres, mellis sextarij tres, aquæ sextarij quinque. Cæterum quoniam tempore quo rosæ inueniuntur, cotonea reperiri non possunt, necessarium fuerit easdem tempore suo melle conditas reseruare, & quàm primum mala apparuerint, uniuersam compositionem absoluere.

Omphacomelitis confectio.

Vuæ acerbæ succi sextarios treis, mellis sextarium, mixta per quadraginta dies in solem exponito, siue igne decoquito.

Myrteti præparatio.

Succi myrtorum sextarios treis, mellis sextarium, ad consumptionem usq; tertiæ partis decoquito.

Apomeli ex monumentis Philagrii.

Albescentium fauorum melle infartorum libram, aquæ fontanæ libras tris, cum dimidiata, fauis minutim confractis, & in unitatem compactis, aquam cum melle decoquito, donec spuma eius & ueluti cerosum supernatans, particulatim relinquatur: atque tum refrigerata, summa cura transfundito.

Rhodostacti compositio.

Succi rosarum unguibus detractis sextarios duos, mellis sextarium, decoquito usque despumando, donec pars quarta coctura euanescat.

Rhoeti præparatio.

Succi mali punici sextarios treis, mellis sextarium: ad tertias decoquito.

De collyriis, & agglutinatoriis. Cap. 16.

Ocularium medicamentorum materia diuersi generis est, liquores nanq; & succi, semina, fructus, plantarum partes, et metallica ipsis inijciuntur: è quorum numero quædam acredines mitigant, & ueluti obstruunt & opplent, quemadmodum

admodum pompholyx, cinerula, amylum, plumbum, Samius aster, cadmia, omnia abluta, & candidum oui aquatum. Quibus utiq; non nisi capite prius euacuato utendum: nam si id refertum humoribus fuerit, ne distentione oculorũ tunicæ rumpantur, periculum est. Quædam his contraria, acri uidelicet natura prædita, oppilationes diuturnas laxant, & impacta euacuant, ueluti liquores, Cyrenaicus, Medicus, sagapenus, euphorbiũ, & id genus. Quædam sordida abstergunt hulcera: uerbi causa, squama æris, æs, chalcitis, mysi, sori, flos æris, et stibi, concremata. Quædam his finitima sunt, quæ abstergẽtia ab exterendis sordibus uocantur, nẽpe auripigmentũ, sandaracha, lapidis asij flos. Alia astringẽtia sunt, atq; ex his quæ moderatè astringũt, multipliciter ophthalmijs, hulceribus, & fluxionibus auxilio sunt: qualia rosarum folia, flores, fructus, spicæ nardi, foliũ, crocus, glauciũ, et hypocistis sunt. Quæ uerò stipticitatẽ potentiorem obtinent, potißimum medicaminibus, quibus oculorum speciẽ acuendi prouincia delegata est, inseruntur: è quorum classe sunt omphaciũ, acacia, balaustia, cytini, gallæ. Alia uerò concoquendi & distrahẽdi uim obtinẽt, ut myrrha, crocus, castorium, lachryma thuris, et fœnogræci succus. Ex compositis aũt oculorum medelis, quædam delinuntur, et simpliciter appellantur alia arida collyria, alia liquida collyria: proinde quæ illinuntur, omnem prædictam materiam admittunt, & omnibus conueniunt affectibus. Præparentur potißimũ uere, æstate etenim uirtus ipsorũ exhalat, & euanescit: hyeme uerò, species rigidæ temperari non possũt. Terantur autem ea humore non affatim affuso, ne metallica subsidant, odoramenta aũt supernatent, sed modicè, ut tãquam strigmentũ conterantur. Aqua uerò cœlestis esto, tum quod tenuiũ sit partium, tum quod mediocriter astringat: si quidem uino, aut quopiam succo sint diluenda: leuigentur etiam ipsa metallica quidem tempore longo, quæ succo constant breui. Post exactam deniquecolliquationem

tionem gummi adijcito: & ubi informaueris, uasis æreis maximè & uitreis reponito. Datur autem ijs quæ liquore constant protinus uti, metallica uetustate meliora euadunt. Ex aridis porrò collyrijs alia callos, ficationes, pterygia, et scabiem eliquant & exterunt, ex chalcitide, ferrugine, & misyos composita. Alia uerò lachrymas proliciunt, oppilationibus & oculorũ hebetudinibus idonea, quæ tum ex his, tum ex pipere et spica nardi conficiuntur. Alia uerò præseruant, arcentq; ab oculis humorum instillationes: qualia sunt, ex lapide phrygio, sarcocolla, glaucio, aloe, cadmia, stibio, & croco: omnia in minutissimum puluisculum trita, applicantur oculis. Liquida uerò collyria quidẽ ex melle Attico, opobalsamo, oleo tenuium propter uetustatem partium, succo fœniculi, fellibus diuersorum animaliũ, succo Cyrenaico, & alijs quamplurimis præparentur. Opitulantur oculorũ hebetudinibus, & inchoantibus suffusionibus, extenuantia, excalfacientia, & repurgãtia præsidia. Vtere his omnib. acribus, capite iam inanito sub dio, aere puro, boreali: neq; supra modum gelido, neq; nimium calido circũfuso. Quæ aũt anacollemata, id est reglutinamenta uocantur, ex his quæ opplendi, glutinandi, constringendi, uel refrigerandi, uel constipandi, uel arefaciẽdi potestate sunt prædita, contexuntur: uerbi causa, polline, mãna, terra Samia, myrrha, cochleis, acacia, opio, cum albore oui. Adglutinantur autem fronti, in quibus non intra caluam abditus humor, sed in aperto existit.

Monemeron ad auspicantes & inueteratas lippitudines.

Acaciæ denarios triginta sex, gummi denarios triginta duos, cadmiæ denarios uigintiquatuor, æris deusti atq; abluti denarios octo, opij denarium: uino austero dissolue, discutit & desiccat.

Chiacum collyrium.

Rubricæ Sinopicæ, gallæ omphacitidis, croci, rosarum recentium detractis unguibus, floris quem thylaca uocamus, commeos,

commeos, singulorum quadrantem, opij unciam, uino Aminneo, uel Phalerno, uel Chio astringente conterito. esto autem uinum marinæ exors.

Cycnarium.

Cadmiæ combustæ atque ablutæ selibram, cerussæ lotæ trientem, pompholygis trientem, amyli sextantem, tragacanthæ, opij exiccati, commeos, uniuscuiusque sextantem, aqua cœlesti contere.

Rubeus cygnus.

Accipit cadmiæ crematæ elotæ uncias duas, terræ asteris tantundem, cerussæ uncias quatuor, pompholygis uncias octo, amyli, opij, cuiusque uncias duas, acaciæ, tragacanthæ, singulorum unciam, commeos uncias quatuor, quæ omnia in aqua pluuiali læuigantur.

Candidus cygnus.

Cadmiæ unciæ quindecim, cerussæ unciæ septendecim, opij denarij octo, thuris septem, amyli septunx, commeos denarij tredecim, aqua cœlesti diluuntur.

Pellarium ad hulcera.

Cadmiæ, cerussæ, uniuscuiusq; denarios uigintiquatuor, acaciæ, opij, singulorum denarios octodecim, commeos, tragacanthæ, amyli, cuiuslibet denarios nouem, myrrhæ denarios treis, æris, croci, cuiusq; denarium unum et dimidium, aqua dissoluito.

Phœum ad hypopios & ingentes affectus.

Cadmiæ tenerioris denarios uiginti quatuor, cerussæ sedecim, æruginis rasæ denarios duodecim, stibij octo, aluminis fissi, chalcitidis combustæ, singulorum denarios treis, nardi Indicæ denarios quatuor, omphacij denarios duos, æris denarium, squamæ æris denarios octo, erices fructus denarios tredecim, succi papaueris denarios uiginti quatuor, croci denarios quatuor, castorij denarios treis, myrrhæ denarios sex, lycij Indici, acaciæ, gummi, singulorum denarios quatuor, rosarum recentium denarios duos & dimidium, uino Phaler-

no, aut Surrentino, aut Aminæo, aut Chio austero læuigato. Illinitur per triduum, aquosum fœnogræci, cum succo infusum, deinde cum ouo, & lacte, postremò aqua crassius.

Ex decoctis collyrium.

Cadmiæ unciæ sedecim, cerussæ bes, amyli, opij, tragacanthæ, acaciæ, singulorum sextans, gummi selibra; subiguntur decocto rosarum aridarum, meliloti, capitum papaueris, glycyrrhizæ, æquali singulorum portione.

Dyidras repercussium.

Liquoris tophi more concreti, qui in cerealibus uasculis reperitur, libræ tres, cadmiæ crematæ et ablutæ libra, cerussæ lotæ, pompholygis lotæ, terræ asteris ablutæ, singulorum selibra, thuris, myrrhæ, uniuscuiusq; uncia, succi seminis lini, herbæ pulicaris, ptisanæ, fœnogræci, cuiuslibet libra, tragacanthæ unciæ sex, gummi libra.

Ilambonis collyrium.

Cadmiæ uncia, pompholygis triens, cerussæ libra, tragacanthæ, gummi, opij, cuiusq; triens, aqua pluuiali excipiuntur.

Cinereum Spodiacum ad inflammationes & fluxiones, & chymoses.

Thuris, stibij, singulorum drachmæ centum, cadmiæ, cerussæ, uniuscuiusq; drach. uiginti quatuor, terræ Samiæ, succi papaueris, cuiuslibet drach. tres, gummi drach. quindecim: conteruntur in succo thaliæ, quod est turionũ oleæ. Succũ autem hoc modo facito: molliora oleæ folia elota in pila aquæ, iusta portione affusa læuigantur, et per linteum exprimuntur.

Collyrium ex furculorum oleæ succo.

Thuris denarios quatuor, stibij denarios quindecim, cadmiæ denarios duodetriginta, cerussæ denarios undequinquaginta, terræ Samiæ denarios octodecim, opij denarios sex, gummi denarium, plumbi combusti & abluti denarios octo, excipe succo turonum thaliæ.

Dia Thalias.

Aeris cremati denarios duodecim, sandicis unc. uigintiquatuor, foliorum oleæ, opij, singulorum sextantem, gummi dextantem, uino sphatite uel Aminæo contere.

Diasmirnon Claudiacum.

Glaucij, sarcocollæ, singulorum drachmæ quadraginta octo, croci drach. uigintiquatuor, opij, myrrhæ, lapidis hæmatitæ, uniuscuiusque drach. sex, tragacanthæ drach. duodequinquaginta, gummi drach. sedecim, uino Italico excipiuntur. Vsus eius ex ouo.

Aliud Diasmirnon, ad rhyadas & ad ægilopas.

Cadmiæ lotæ, lapidis hæmatitis abluti, singulorũ drach. uiginti octo, myrrhæ, cinerulæ (quod spodion Græci uocant) cypriæ, uniuscuiusq; drach. uigintiquatuor, opij drachmæ octo, croci drachmæ quatuor (sunt qui accipiant octo) piperis candidi grana triginta, gummi drachmæ sedecim, uino Italico subiguntur. Vsus eius cum ouo in recenti uitio aquosi.

Stacticum Prosechii.

Cadmiæ, gummi, singulorum denarios uiginti, stibij, atramenti sutorij, cuiusq; denarios octo, opij denarios quatuordecim, ferruginis rasilis drach. decẽ. piperis albi denarios sex, croci denarios octo, misyos crudi denarios octo, opobalsami denarios quatuor, aqua diluito.

Hygidium Ammonii.

Cadmiæ, æris, uniuscuiusque denarios sedecim, cerussæ, castorij, aloes, croci cuiuslibet denarios quatuor, squamæ denarios quinque, florum rosarum, plumbi cremati, singulorum denarios octo, lycij denarios treis, lapidis schisti denarios quatuor, opij denarios decem, acaciæ denarios quadraginta, gũmi denarios duodequinquaginta, aqua subigito.

Olympus, siue olympiacum.

Acaciæ, spicæ nardi, thuris, singulorũ denarij octo, æris cõbusti et abluti, stibij cremati et colluti, cerussæ tostæ et lotæ, cadmiæ, uniuscuiusque denarij 12. myrrhæ, opij exiccati,

cuiuslibet denarij quatuor, croci quinq;, æruginis rasæ tres, lapidis schisti, squamæ rubeæ, lycij Indici, omphacij, cuiusq; denarius, castorij, florum rosarum, uniuscuiusq; denarij duo, phœnicobalanorum quatuor: consimiliter etiam oßa dactylorum crematorum numero quinq;, gummi quincunx, aqua cœlesti irrigantur, et macerantur in ea dies naturales treis, calami odorati, alterci seminis, rosarum aridarum, cuiuslibet denarij quatuor, folij denarius.

Nardinum.

Cadmiæ, croci, gummi, singulorum denarij triginta sex, æris cremati octodecim, stibij, acaciæ, singulorum triginta, nardi Syriacæ duodecim, opij, myrrhæ, uniuscuiusque denarij sedecim, cum aqua.

Theodotium paruum.

Stibij, acaciæ, singulorum denarij uiginti, æris tosti denarij octo, cerussæ denarij quatuor, myrrhæ tantundem, æruginis denarios duos, aloes, succi papaueris, lycij, singulorum denarius, aquæ pluuialis quantum satis est.

Rhinarium.

Lapidis hæmatitæ, lapidis schisti, uniuscuiusq; denarij sedecim, æris cremati, cadmiæ ferruginis, cuiuslibet denarij octo, opij quinq;, chalcitidis duo, gũmi octo, uino conteruntur.

Xyster.

Pumicis combusti, misyos cremati, ostrij tosti, singulorum selibra: cadmiæ, opij, chalcitidis deustæ, croci, aloes hepatitidis, castorij, folij, cuiuslibet denarij duo, stibij, acaciæ, uniuscuiusq; uncia, æris usti triens, myrrhæ troglodytidis denarij quatuor, spicæ nardi denarius, cerussæ denarij octo, gummi semuncia, aqua pluuiatili excipiuntur. Quidam uinum quoque admiscent.

Hecatombe, ad cicatrices crassas.

Cadmiæ crematæ atq; ablutæ, æris combusti pariter & eloti: uniuscuiusq; denarij octo, stibij deusti, acaciæ rufæ, commeos, singulorum denarij 15. aloes, gallæ, uermicularis æruginis,

ginis, castorij, lycij, spicæ nardi, croci, opij, myrrhæ, cerussæ, scobis hebeni, chalcitidis, singulorum denarius, rosarum denarij sexaginta, aqua pluuia læuigantur.

Diaceratos, ex monumentis Galeni.

Plumbi combusti, cornu ceruini cremati, singulorum sextans, cerussæ, squamæ æris, amyli, thuris, sepiæ testæ deustæ, æruginis, myrrhæ, gummi, uniuscuiusq; uncia, aqua pluuiali teruntur.

Collyrium e thure.

Thuris selibra, cadmiæ, pompholygis, terræ asteris, amyli, gummi, singulorũ quadrans, cerussæ, selibra, squamæ æris triens, tragacanthæ quadrans, opij unciæ sex, aquæ pluuiatilis quod satis est.

Libanium.

Cadmiæ lotæ, amyli, singulorum denarij duodecim, cerussæ tantundẽ, spodij, pompholygis, asteris, plumbi cremati & abluti, tragacanthæ, uniuscuiusq; denarij octo, opij denarios duodecim, gummi quatuor, aqua cœlestis, & ouorũ uiginti albores adijciuntur. Quidam etiam adijciunt myrrhæ denarios quatuor.

After Magni.

Pompholygis, cadmiæ, cerussæ, singulorum denarij sedecim, plumbi denarij octo, amyli octodecim, thuris decem, terræ Samiæ duodecim, myrrhæ duo, tragacanthæ, commeos, uniuscuiusq; denarij octo, cum aqua.

Vranium.

Terræ asteris, piperis, cuiusq; quadrãs, cinerulæ lotæ uncia, gummi triens, stibij cremati atq; abluti sextans, squamæ lotæ uncia, opij denarij sex, cadmiæ combustæ & elotæ denarij duo, aqua pluuialis additur. Quod quidem incarnat, atque repercutit.

Collyrium ex succo fœnogræci.

Cadmiæ, tragacanthæ, singulorum bes, cerussæ, amyli,

uniuscuiusq; unciæ triginta, opij uncia, in succo fœnogræci conteruntur.

Collyrium Cleonis.

Pompholygis, plumbi, singulorũ quincunx, croci sescuncia, squamæ stomomatis uncia, gummi sextans, aqua pluuiali subiguntur. Aquosum illinitur.

Diarhodon collyrium e septuaginta duabus unciis.

Rosarum uiridium unciæ septuagintaduæ, cadmiæ combustæ & elotæ denarij uigintiquatuor, æruginis rasæ denarij duo, spicæ nardi denarius, squamæ æris lotæ denarij duo, stibij tosti atq; abluti, opij, myrrhæ, uniuscuiusque tres, croci uncia, amyli denarij duo, commeos denarij uigintiquatuor, & aqua pluuialis additur.

Diarhodon album.

Cadmiæ deustæ atq; ablutæ, cerussæ elotæ, singulorum libra, amyli, opij, tragacanthæ, uniuscuiusq; quadrans, aloes uncia una & dimidia, commeos quadrans, croci sescuncia, rosarum unguibus detractis unciæ sex, & aqua.

Ex aloe collyrium.

Cadmiæ, cerussæ, aloes, singulorum dextans, rosarum uiridiũ selibra, amyli quadrãs, opij uncia, tragacãthæ sextans, commeos quadrans, aquæ pluuiæ quantum satis est.

Crocinum Diarhodon.

Spicæ nardi, rosarum aridarum, aloes, singulorum denarij duo, alterci albi denarius unus & dimidius, croci denarij quatuor & semis, glaucij unciæ sex, sarcocollæ unciæ sex, opij denarij duo, tragacãthæ uncia, aqua pluuiali læuigãtur.

Diarhodon Nili.

Rosarum tenellarum denarij quatuor, croci denarij duo, papaueris obolus, commeos denarij quatuor, aqua pluuia admiscetur.

Lynceus uisum acuens.

Cadmiæ, æris cremati, ammoniaci thymiamatis, singulorum

rum denarij duodecim, myrrhæ, lapidis hæmatitæ, opij Thebæi, uniuscuiusq; denarij sex, aloes hepatitidis, fellis taurini, galbani, sagapeni, singulorum denarij quatuor, ferruginis ra silis, succi panacis, salis ammoniaci, cuiuslibet denarius, gummi denarij sex, aqua pluuialis additur.

Proteus ad eadem, & cicatrices extenuans.

Cadmiæ, cerussæ, chalcitidis crudæ, singulorum denarij quadraginta, piperis sesquidrachma, succi Cyrenaici denarij octo, croci denarij duodecim, opij Thebani denarij decem, sagapeni sesquiuncia, oliuæ Aethiopicæ tantundem, auripigmenti, aluminis fissi, singulorum uncia, myrrhæ uncia una cum dimidia, ammoniaci thymiamatis denarij uiginti, opopanacis denarij sedecim, opobalsami denarij decẽ, commeos denarij uiginti, aqua pluuiali excipiuntur.

Collyrium ex succo fœniculi.

Cadmiæ denarij septendecim, atramenti librarij Indici denarij sedecim, piperis longi denarij tredecim, & albi duodecim, succi Cyrenaici uncia, opobalsami, spicæ nardi, singulorum denarij sex, sagapeni, opopanacis, cuiusque denarij quinq;, opij quatuor, euphorbij denarius, gummi denarius, læuigantur succo fœniculi.

Collyrium ex succo balsami.

Cadmiæ, cerussæ, cuiusq; uncia, omphacij semuncia, piperis albi unciæ sedecim, opij semũcia, opopalsami, commeos, singulorum sextans, aqua pluuiali subiguntur.

Thalasserus.

Cadmiæ bes, æruginis sextans, atramenti librarij Indici beßis, piperis albi triens, succi Medici uncia, opobalsami sextans, commeos unciæ sex, admixta aqua.

Harmation.

Ammoniaci thymiamatis, æris combusti, corticis thuris, singulorum denarij quatuor, æruginis denarius, gummi denarij quatuor, cum aqua cœlesti.

Malo-

Malobathrinum, quod etiam Isotheum appellatur.

Cadmiæ denarij sedecim, æris cremati atq; abluti denarij quatuordecim, opij, lycij Indici, malobathri, nardi Indicæ, croci, aloes, singulorum denarij duo, castorij octo, myrrhæ quatuor, acaciæ, stibij, uniuscuiusque denarij quadraginta, aqua excipiuntur, usus ex ouo.

Crassius ex uino, dia œnu adpellatum.

Cadmiæ, lapidis hæmatitæ & schisti, singulorum denarij quadraginta, æris cremati denarij triginta, chalcitidis triginta duo, papaueris seminis tredecim. Aqua decoquitur meconium, & succus expressus inijcitur, & uino spathite, seu Aminæo diluuntur. Aliud dia œnu: Aeris combusti, cadmiæ placitidis, singulorum dodrans, lapidis hæmatitæ lotæ selibra, croci, myrrhæ, aloes, ammoniaci thymiamatis, uniuscuiusque quadrans, lycij Indici, spicæ nardi, cuiuslibet sescuncia, piperis albi grana sesquicentena, acaciæ rubentis dodrans, gummi quadrans, uino Phalerno aut Aminæo conteruntur.

Collyrium ex duobus lapidibus contra aspritudinem.

Lapidis hæmatitæ, & schisti, caßiæ, singulorum denarij duodeuiginti, æris, cadmiæ, opij, æruginis rasæ, uniuscuiusq; denarij nouem, gummi tantundem, chalcitidis tostæ denarij sex, aqua adijcitur.

Aridum collyrium Galeni præseruans.

Lapidis Phrygij in tenues partes cōtusi, & in aulula donec ignitæ reddantur, deusti, & butyro recente extincti, deinde denuò cōsimiliter tosti, & uino Phalerno extincti, atq; tertiò combusti, melleq; extincti & exiccati libra, æris cremati, piperis albi, folij, singulorū uncia, stibij uncia unà cum dimidia, omnibus læuigatis quum tollere medicamentum uolueris, succū balsami non craßi (prohibet enim illud, ne aridum reddatur medicamentū) sed pellucidißimi unciam inijcias. Vtere aūt illo ad solas palpebras, sic specillū adhibēdo, ut

ut tunicæ non attingantur, uerùm ut palpebris diductis, medicamentum duntaxat instilletur. Illinito autem non semel modò, uerùm sæpius cum cibo nondũ gustato, tum etiam ab ipso, & potißimum quum iam ophthalmia sentitur. Summa quippe admiratione dignum, quum omni alio medicamento efficacius præseruet, ac tueatur ab iniuria.

Aridum Diacrocu.

Glutini carnis, quam sarcocollam dicunt, denarij octo, croci denarij quatuor, glaucij tantundem, illiniuntur sæpius in die. Nonnulli uerò aloen quoq; adijciunt.

Aliud aridum ad siccam lippitudinem, ficationem, sepedonas, & carnis supercrescentias.

Cadmiæ denarij decem, chalcitidis denarij uiginti, piperis grana quindecim, nardi Gallicæ denarius. Cadmia conteritur, chalcitisq; cum uino, ubi aruerint reliqua immittuntur, & in puluerem rediguntur.

Liquidum ex caucalide, hoc est, ex pede gallinaceo.

Caucalidis succi, trixaginis, coronopodis, id est pedis cornicis, interdum uerò etiam succi othonnæ æquales portiones. Est autem othonna, chelidonium maius.

Aliud ad ficationem palpebrarum, encathidas, & sarcomata.

Misyos assati denarij sex, chalcanthi denarij quatuor, mellis Attici sextarius.

Erasistrati multiplicis usus liquidum, admirandi effectus, cum in oculorum, tum glandularum, tum genitalium uirus, & purulentis auribus.

Aeris denarios sex, misyos assati, myrrhæ, singulorum denarios treis, croci denarium cum dimidio, piperis denarium, uini Chij, & paßi Cretici, cuiusq; sesquihеminam. Contere omnia in uino donec aruerint, infundito passum, & ad mellis spißitudinem decoquito.

Agglutinamenta oculorum, qui fluxione laborant.

Terræ Samiæ, mannæ, thuris, myrrhæ, æquæ portiones, oui albore exceptæ, in linteolũ impactæ fronti imponuntur.

Aliud: Seminis herbæ apollinaris denarius, opij tantundem, myrrhæ denarij duo, croci denarius, pollinis denarij quatuor, ouorum assatorum lutea duo, oui candido excipiuntur.

De emplastris, & iis quæ in decoctiones eorum inseruntur, ex monumentis Antyli, deq; ceræ modo ad oleum. Cap. 17.

EX medicaminibus quæ emplastris induntur, alia sunt terrea, uerbi causa, metallica, lapidumq; & terræ species, feces, cinis, & cōchylia: alia sunt oleamina, alia lachrymæ, alia liquabilia, alia liquores, alia succi: semina uerò ac herbas, radicesq; paucas accipiunt. Emplastrorum porrò quædam sunt uulneraria, quæ enæma (quòd cruentis imponantur) & cōglutinatiua, & catagmatica (quæ fracturis applicentur) appellamus. Debent autē ex arefacientib. summum exiccandi gradū non attingentib. sed secūdi gradus cōpleti, & tertij inchoantis cōponi: cuius notæ sunt, salix, quercus, cupressus, piceæ et tædæ cortices, myrrha, thus, bitumen, aloe, aristolochia, cinis sarmentitius, cerussa, spuma argenti, & magna pars ex metallicis. Decoquātur autē usq; ad cōsistentiam, à qua nullū recrementū separetur. Quæ uerò cicatrice obducunt, & ipsa quidē ex arefacientibus concinnantur, efficaciorib. uerò quam conglutinatoria: cuius utiq; generis sunt æs ustū, & squama cùm ipsius, tum ferri, ærugo, chalcitis, flos æris crematus, alumen, galla, plūbago, cadmia, pumex, & ostreosa. Quæ uerò discutiendi uim habent, ex calorificis & mediocriter siccificis constant: exempli gratia, aristolochia, thapsia, oleo ueteri & raphanino, melle, opobalsamo, pice, resina terebinthina, galbano, salibus tostis, salis flore. Quæ emolliendi uim obtinent, ex spuma argenti fiunt, adipibus, medullis, oleo ueteri, propoli, gutta ammoniaca, styrace, galbano, bdellio, mastiche, resina terebinthina, uel radice althææ, & cucumeris syluestris. Siccifica, sulphure, nitro, sale, cinere, bitumineq; constant. Attractiua ex salibus & nitro, propoli, ærugine, fermento, stercoribus, sulphure, & resina terebin-

terebinthina conficiuntur. Concoquendi munere prædita è cera, ladano, uua passa satiua, amomo, croco, thure, pice, mastiche Aegyptia, styrace, myrrha, galbano, butyro, œsypo, adipe, ferrugine præparatur. Quæ suppurationē inducunt, ex hydrelæo, polline, pane triticeo, chondro, butyro, adipe porcino & uitulino, thure, pice, et resina. Quæ uerò dolores mitigāt, ex spuma argēti, cerussa, oleo, anetho, chamæmelo, amylo, ceraq; dealbata. Oportet aūt enæma emplastra recentibus etiamdū uulnerib. & fracturis applicare, & suppetias supra emplastella, quæ Græci splenia uocant, spongijs posca madentibus pariter illigatis, ferre, & soluere die tertio: & eadem rursus splenia, non alia inijcere. Quæ autē molliunt, attrahunt, discutiunt, maturant, & suppurationem faciunt, post cataplasmatum & ceratorum usum accommodantur. Lenientia uerò, circa principia statim, summis potissimum partibus quadrant. Cæterum super decoctione eorum deinceps sermonem faciemus.

Basilicum tetrapharmacum.

Ceræ, colophoniæ, picis, adipis taurini pares modi.

Emplastrum e succo seminis lini, dissipans & abstergens.

Olei ueteris libræ duæ, ceræ unciæ uiginti, colophoniæ, seui porcini, singulorum libra una & dimidia, spumæ argenti libra, cerussæ selibra, succi seminis lini tantundē, pollinis uncia, thuris triens.

Ex melle.

Spumæ argenti, ceræ, olei, singulorū libræ quatuor, resinæ terebinthinæ libræ duæ, mellis, adipis suilli, uniuscuiusq; libra. Aliud: Spumæ argenti libræ sex, olei libræ quinque & dimidia, colophoniæ libræ septem cum dimidia, ceræ libræ treis & semis, mellis libræ tres.

Emplastrum ex succo.

Spumæ argēti libræ sex, olei, æstate quidem libræ septem, hyeme uerò libræ nouem, fœnogræci sextarius dimidiatus,

seminis

seminis lini semisextarius, althææ libræ tres. Althæam ac semina in aquæ sextarijs uiginti decoquito, donec parum ex ipso relinquatur. inde succi libris quatuor admixtis, oleo decoque, tantisper dum bullæ desierint: deinde leuißima argenti spuma insparsa, igni clemente usq; dum manus non inquinet, elixato.

Exemplum ex polline.

Pollinis, ammoniaci thymiamatis, singulorum libra, resinæ piceæ, ceræ, adipis porcini, uniuscuiusq; libræ duæ, succi seminis lini quantum satis est.

Emplastrum Botanicum, id est herbaceum.

Rumicis, rhepelæi, amurcæ'ue, anchusæ, chœropelethi, est autem onoclea, septinerui, plantaginis, singulorum quadrans, olei libræ sex, adipis suilli selibra. Herbæ oleo coctæ abijciuntur, cætera cum oleo eliquantur.

Emplastrum ex albucis.

Albuci radicis succi libra, rosacei, chamæmelini, adipis anserini, singulorum sextans, adipis porcini quadrans, ceræ triens.

Emplastrum ex fermento, rumpens abscessus.

Fermenti, axungiæ, uniuscuiusq; selibra, salis triens, resinæ pini quadrans, ceræ triens, spumæ nitri uncia, guttæ ammoniaci thymiamatis sextans, mellis unciæ sex, saponis sextans.

Dothiene emplastrum.

Guttæ ammoniaci thymiamatis libra, nitri Alexandrini selibra, spumæ nitri tantundem, adipis suilli, ceræ, singulorũ libræ duæ, resinæ terebinthinæ libra, olei ueteris uncia, aceti quantum satis est.

Emplastrum diastruthiu, scrophulas discutiens.

Spumæ argenti, radicis lanariæ, mali terræ, singulorum uncias quatuor, galbani, squamæ æris, aloes, uniuscuiusque unciam, mannæ uncias duas, guttæ ammoniaci thymiamatis uncias sex, resinæ è picea derasæ uncias sedecim, aceti scillitici sextarios quatuor, quo pulueres diluantur, sumito.

Smilium

Smilium ad abſceſſus.

Olei ueteris libra una & dimidia, ſpumæ argenti, nitri rubei, ſalis ammoniaci, lixiuij ficulnei protoſtacti, reſinæ, cuiuſque libra, galbani, guttæ ammoniaci thymiamatis, uniuſcuiuſque quadrans, atramenti ſutorij triens, ceræ ſelibra, æruginis, opopanacis, cuiuſque uncia, aceti quantum ſatis eſt. ſpumam argenti & ferruginem in oleo elixato, quouſque digitos nullo recremento inquinent: deinde reliqua inijcito.

Ex alliis ruptorium.

Ceræ ſelibra, colophoniæ triens, pityinæ quadrans, adipis taurini triens, nitri rubei ſeſcuncia, allia purgata uiginti, olei ſextarius dimidius. Allia oleo decocta proijciuntur, reliqua admiſcentur.

Diapyrrhanū, diſtrahendi uim habens.

Habet adipis anſerini & phaſianorum, uniuſcuiuſque quadrantem, olei ueteris uncias uigintiſex, pulicaris herbæ quadrantem, urticæ ſeminis, radicis apyrani uiridis, utriuſque libram, ceræ dealbatæ dextantem, emplaſtri diachylon ſextantem, reſinæ terebinthinæ unciam. Radicem in tenuia fruſtula conciſam in oleo cum herba pulicari, & ſemen urticæ per noctem atque diem macerato. ubiq; elixata fuerint, ipſa quidē porricito, liquabilia autem oleo admixta reſoluito.

Pyrinc ad duritias & ſcirrhomata.

Althææ, palmularum aut dactylorum Nicolaorum, uniuſcuiuſq; dupondo, fœnogræci, ſeminis lini, ſingulorū ſextarium dimidiū, chamæmeli, meliloti, corticis palmularū, cuiuslibet uncias ſex, uini Aminæi ſextariū dimidiū, ſpumæ argenti librā, ceruſſæ, colophoniæ, ſingulorū dupondo, ceræ, reſinæ terebinthinæ, cuiuſq; librā, olei ueteris libras quinq;, aquæ libras duas, panis aridi cōtuſi et attaminati libras quinque. Herbæ in uino decoctæ in ſuccum rediguntur, & in ſucco panis irrigatur. poſtera die ſpuma argenti & ceruſſa in aqua læuigātur, deinde oleo infuſo coquitur, donec manus nō

inquinent, tum deniq; cætera iniyciuntur. sublatis autem ab igne immittitur panis, strenueq; rudicula agitatur. Postremò æruginis rasæ, & florũ salis, uniuscuiusq; unciæ sex, ireos, mali terræ, singulorum selibra, resinæ terebinthinæ libra, inijciuntur.

Pelarium ex argenti recremento, ad desquamatis similia.

Ceræ, adipis taurini, cuiusq; quincunx, recrementi argẽti unciæ sex, colophoniæ triens, picis, olei, singulorum sextãs. Recrementum argenti aridum uino dissoluitur, uel succo fœnogræci: ubi uerò ad manum argenti stercus non fuerit, plumbagine utimur.

Emplastrum ex althæa, podragricis & aliis duriciebus utile.

Succi fœnogræci, & seminis lini, althææ, singulorum libris tribus, olei libris duabus, donec succus euanescat decoctas, colophoniæ libram, resinæ terebinthinæ tantundem, hederæ lachrymæ uncias treis infunde: quando resoluta fuerint, & igne ablata, ceræ libram, galbani uncias quatuor inijce, utraq; simul contusa solutaq; rudicula moueto.

Emplastrum hederaceum siue cissinum, ad neruorum uulnera, puncturas, & maxime uetera.

Squamæ rubentis uncias quatuor cum dimidia, thuris unciã, mysios sescuncia, chalcitidis denarios quatuor, aceti sex: læuigato sole æstiuo donec consumatur acetum: deinde solutis ceræ uncijs octo, olei duodeuiginti admisce: si uerò diuisus neruus & nudus sit, pro galbano resinæ terebinthinæ sextantem inijce.

Melanchlorum ad eadem, & cruentis dicatum.

Malicoriorũ, æris cremati, gallæ, aristolochiæ rotundæ, salis ammoniaci, squamæ æris, aluminis scißi & liquidi (alij pro liquido rotundũ accipiũt) iridis, mysios, chalcãthi, chalcitidis, æruginis rasilis, cadmiæ, aloes, myrrhæ, thuris, radicis panacis, spumæ argenti, cerussæ, paria singulorum pondera læuigantur sub sole æstiuo cum aceto diebus pluscul is, & finguntur pastilli. Emplastrũ inde fit hoc modo: Pharmaci sextantem, ceræ selibram, olei bessem, in neruis quid ẽ

ſaucijs perantiqui, in reliquis uerò communis adijce.

Ex ſenecione emplaſtrum.

Senecionis ſucci libras duas, olei ueteris librã unã cum dimidia, olei Cyprini trientẽ, axungiæ ueteris librã, reſinæ terebinthinæ unciã, galbani unciam dimidiã, reſinæ piceæ uncias ſex, æruginis, thuris, hyſſopi medicamẽti, uniuſcuiuſque unciã, ſquamæ æris diobolos octo, ceræ dextantem, picis zopiſſæ uncias quatuordecim. Coquito autẽ oleum cum adſtringmenti uſq; craßitudinem adiecta adipe ſuilla, & pulueres cyprino dilue: galbanum uerò cum cera contũde, & cacabo inijce. pix zopiſſa ſi quidem arida fuerit, tritam cribratam ponderato, & inſpergito. Quod ſi nequeat læuigari, cũ parte olei diſſoluti extrahito, & tum omnia commiſceantur.

Mnaſæi emplaſtrum diſcuſſorium.

Accipit ceræ, axungiæ porcinæ ſingulorum libram, colophoniæ ſelibram, ſpumæ argẽti dupondo, uini boni libras quatuor.

Ariobarzanium ad eaſdem affectiones.

Spumæ argenti unciam unam & dimidiam, ceruſſæ libram & uncias quinque, aquæ marinæ uncias uigintiquinque, olei ueteris libram unam & dimidiam, buccinorum cineris uncias ſeptem & dimidiam, ceræ rubentis uncias nouem, reſinæ terebinthinæ uncias ſex, thuris quadrantem, grammata tria cum dimidio.

Emplaſtrum ex dracunculo.

Ceræ, colophoniæ, picis aridæ, axungiæ, reſinæ, ſingulorum libræ quatuor, guttæ ammoniaci thymiamatis libræ duæ, dracunculi radicis libræ quinque. Radix arida læuigata alijs inſpergitur diſſolutis.

Pſitacium.

Habet ceræ, colophoniæ, adipis porcini, alterci foliorum tenellorum, uel ſucci ipſorum æquale pondus. In Alexandria uerò ceræ libras binas cum media, alterci libras duas, axungiæ libras duas cum dimidia, colophoniæ libras decem ſumunt, & uehementius dißipat.

Myrſinatum.

Spumæ argenti, ceruſſæ, ſandicis, plumbi combuſti et abluti, ſingulorum unciam, ceræ uncias ſex, olei myrſinati libram, uini quantum res poſtulat.

Emplaſtrum ex ceruſſa, uel ouis.

Habet ceræ albatæ ſelibram, roſacei ſeſquilibram, ſpumæ argenti, ceruſſæ, ſingulorum ſextantem, amyli trientem, albores ouorum quinq;.

Liquidum Oribaſii.

Spumæ argenti, ceruſſæ, ſingulæ ſeſcunciã, ceræ trientẽ, pinguetudinis ſuillæ ſeptuncem, colophoniæ dodrantem, ſucci ſeminis lini, olei, ſingulorum dextantem. Mirificè conducit ad calcaneorum rimas. In hulceribus autem (inquit) uitant: graueolentia etenim reddit.

Emplaſtrum dia cadmias, cicatricem inducens.

Chalcitidis crematæ ſextans, cadmiæ, mannæ, ſingulorum uncia, ceræ, colophoniæ, olei myrtei uniuſcuiuſq; libra, uini quantum ſatis eſt.

Palmularum Phœnicine dicta.

Accipit axungiæ ueteris libras duas, olei libras treis, ſpumæ argenti tantundem, chalcitidis crudæ uncias ſex. Ante omnia quidem chalcitis cum oleo in mortariolo pulchro læuigetur, uel in ſole: ubi autem ſtrigmentoſum redditur, tum ſpumam quoque argenti, antè contritam inijcito: deinde uerò adipem. & ubi iam egregiè læuigata & emollita fuerint, nõ acri igne decoquito, quoad nullum recrementum per decoctionem ſeparetur, ex uirgulto palmularum rudicula agitans.

Emplaſtrum ex anchuſa, ad igne combuſta.

Habet ceræ dealbatæ dodrantem, roſacei uncias octodecim, quibus eliquatis purpureæ anchuſæ radicis aridæ læuigatiſſimæ trientem inſerito. Aliud: Anchuſæ radicis uiridis, marrubij, gummi, ſingulorum quadrantem, decoctas in olei dodrante abijcito, oleo ceræ dealbatæ uncias quindecim adijce, & diſſolue.

Emplaſtrum

Emplastrum Pompholygeron.

Bullæ, quam pompholyga appellant, sextans, spumæ argenti quadrans, læuigantur cum succo seminis lini, & iniiciuntur liquefacta et refrigerata, ceræ unciis sex, adipis anserini, uel gallinacei sextanti, chamæmeli unciis sex.

Philocotyche dolorem sopiens, sedi destinata.

Continet thuris uncias septendecim, myrrhæ septuncem, opii denarios quatuor, aluminis scissi denarios duos, butyri denarios quatuor, ouorum tenuium lutea quatuor, cadmiæ crematæ atque elotæ denarios quatuor, pompholygis denarios sex, ceræ tyrrhenicæ denarios octo, adipis anserini denarios sedecim, medullæ cerui denarios undecim, plumbi combusti et eloti denarios octo, lapidis hæmatitis denariũ, hyssopi liquidi denarios quatuor. Pulueres cum uino Italico conterito, & liquabilia admisceto.

Amythaonis ad angylas & articulos conuulsos, est etiam ad extrahendum efficax.

Ammoniaci, ceræ, bdellii, uniuscuiusque bes, resinæ terebinthinæ, ireos Illyricæ, galbani, singulorum drachmæ uiginti.

Aristophanium mollificans.

Picis libræ quatuor, zopissæ libræ duæ, ceræ libra, opoponacis uncia, aceti hemina.

Emplastrum ex plumbagine, ad calidos affectus.

Plumbaginis triens, spumæ argenti, cerussæ, singulorum sextans, ceræ bes, myrtei libræ duæ, arida uino dissoluutur.

Coracum ex aceto mulso, genitalium uitiis et nomis accommodatum.

Gallæ sextantem, squamæ unciam unam & dimidiam, chalcitidis, thuris, singulorum unciam, macerato in aceto diebus pluribus: deinde mellis quincuncem admisceto. Cerato autem seorsim confecto ex myrtei uel rosacei unciis duabus, adipis taurini unc. octo, ceræ unc. quatuor, resinæ terebinthinæ uncia, mixta simul læuigato, & utere perinde atque

diacharto cùm per Pyulcũ, tum per linteolum concerptum.

Ex oleo & aceto.

Habet ſpumæ argenti partem, olei, aceti, ſingulorum partes duas, ſecundum nonnullos uerò treis.

Emplaſtrum ex achate lapide, diſsipans & emolliens.

Conſtat ex achatis lapidis ſemiuſti ſeſcuncia, ceræ quincunce, picis frictæ quadrante, olei uncia.

Iſis cruentis dicata, conglutinans, incarnans, & expurgans.

Squamæ æris, æris cremati, mali terræ rotundi, uniuſcuiuſq; denarij octo, aluminis fiſsi ſex, ſalis ammoniaci denarij octo, thuris tantundẽ, guttæ ammoniaci thymiamatis denarij octo, myrrhæ, aloes, galbani, ſingulorum denarij duodecim, ſucci radicis dracunculi uncia, ceræ libra, colophoniæ libræ duæ, olei ueteris quadrans, aceti quantum ſatis eſt.

Athena ad hulcera ſordida, cuneationes, neruorumq; uulnera.

Malicoriorũ, æris cremati, gallarum, mali terræ rotundi & longi, ſalis ammoniaci thymiamatis, ſquamæ æris, aluminis fiſsi atq; rotundi, iridis, miſyos, chalcanthi, chalcitidis, æruginis raſilis, cadmiæ, aloes, myrrhæ, thuris, propoleos, galbani, uniuſcuiuſq; uncia, ceræ, picis, ſingulorum denarij ducenti, colophoniæ denarij centum, olei unciæ ſex, aceti quantum ſatis eſt.

Emplaſtrum diadictamnu conglutinatiuum, ad morſus canum, & omne genus hulcera.

Spumæ argenti libræ duæ, ſquamæ æris ſeſcuncia (Gal. ſelibra, æris combuſti bes, aloes beſsis, galbani pondo) olei ueteris ſextarij duo, diphrygis quadrans, gentianæ ſeſquuncia, ariſtolochiæ, æruginis raſilis, ſingulorum unciæ duæ & ſemis, dictamni tantundem, colophoniæ libra, mannæ quadrans, guttæ ammoniaci thymiamatis unciæ ſex, propoleos ſextans, ceræ unciæ ſex & dimidia. Oportet principiò oleũ cum ſpuma argenti, donec ſyncerum ſpiſsiusq; reddatur, & manum nullo recremento inficiet, decoquere: deinde cacabo ab igne ſublato, æruginẽ & ſquamas inijcere, ac denuò tantiſper, dum nullum per decoctionem recrementum ſeparetur, decoquere.

decoquere, lebeteq; rursum deposito resinam, guttam ammoniacam attaminatam immittere, et quoad feruere cesset, cõmouere, denuoq; igni imponere: & ubi parum ferbuerint, æs atq; diphryges inserere, & tertio dũ incrassescat decoquere, mox ceram admiscerit: qua, dũ manus nõ coinquinet, discocta, propolim inijcere, & paulo pòst refrigeratis admodum his, aloen, mannam, dictamnum, aristolochiam, gentianam, omnia in pollinem læuigata inspergere.

Barbara, emplastrum cruentis dicatum, fracturarum callos consolidans.

Bituminis Iudaici, picis aridæ, ceræ, resinæ, uniuscuiusque libra, terebinthinæ sextans, spumæ argenti uncia, cerussæ uncia una & dimidia, mannæ, opopanacis, zingiberis, singulorum sextans, olei quadrans, aceti quantum satis est.

Emplastrum ex salicibus, conglutinans, ad hæmoptoicos, empyos, thoraci impositum utile.

Misyos, chalcitidis, æruginis, cerussæ, gallæ, aluminis fißi, & rotundi, atramenti metallici, singulorum uncias sex, ceræ, pityinæ picis, cuiusq; libras duas, malicoriorum uncias sex, bituminis libras duas, foliorum salicis tantundem, olei rosarum uncias quatuor, atramenti sutorij uncias sex, aceti quantum sufficit: quidam resinæ quoque terebinthinæ dodrãtem adijciunt,

Emplastrum Nicolai ad cruẽta uulnera, & lacunas congultinans.

Squama æris triens, ferruginis rasilis, spumæ argenti, singulorum sescuncia, mali terræ longi, & rotundi, uniuscuiusque uncia, aluminis scißilis & rotundi, atramenti sutorij, sulphuris ignem non experti, cuiuslibet uncia, gallæ omphacitidis triens, salis ammoniaci, misyos, origani, chamæleonis, cadmiæ botryitidis, ueratri candidi, singulorum uncia, peucedani quadrans, seminis apij sextans, simphyti radicis, cerussæ, singulorum sesquiuncia, succi mandragoræ uncia dimidiata, chalcitidis unciam unam cum

dimidia. Samij asteris, thuris masculi, aloes, singulorum uncia: bdellij, opij Thebæi, cuiusq; sextans, zingiberis troglodytidis unciam dimidiam, guttæ ammoniaci thymiamatis uncia, fœnogræci selibra, succi perdiciadis tantundem, ceræ flauæ quadrans, colophoniæ dupõdo, resinæ piceæ polentæ, uniuscuiusque libra, mastiches selibra, picis atræ sextans, olei ueteris libra, styracis uncia, opopanacis sescuncia, aceti quantum satis est.

Icesios ad strumas, abscessus, lienem, articulos, coxendicisq; affectus.

Habet spumæ argenti denarios centum & uiginti, olei ueteris sextarios duos, aceti sextarium, æruginis sesquidenarium, corticis piceæ denarios octo, chamæleontis cum radice euphorbij, hypocystidis succi, propoleos, zingiberis, enulæ campanæ, pyrethri, singulorum denarios sedecim, ceræ libras, tres.

Emplastrum Neronis ad plagas, & omnem carnosarum partium dolorem.

Olei ueteris sesquilibra, spumæ argenti libra, ceræ, resinæ è picea, uniuscuiusq; unciæ septem cum dimidia, ammoniaci thymiamatis triens, cerußæ tantundem, galbani, mannæ, zingiberis, thuris, singulorum uncia.

Oxera, ad multa utilis.

Picis aridæ libræ duæ, ceræ libra, guttæ ammoniaci thymiamatis uncia, resinæ terebinthinæ selibra, galbani, mannæ, singulorum sextans, aceti sesquisextarius.

Aceratus Galeni, conglutinandi, maturandi hulcera, suppurandique uim obtinens, rhicinino ueteri ue oleo tanquam medicamen, quod linteolis concerptis excipitur elliquatum.

Spumæ argenti libræ tres, olei rhicinini, aut perantiqui libræ quatuor, aceti acerrimi libræ duæ, squamæ æris, atræ chalcitidis, æruginis, uniuscuiusque unciæ duæ. Spumam argenti ad strigmentosam usq; balneorum craßitudinẽ cum oleo decoquito, deinde metallica multis diebus cum aceto macerata inijcito.

Emplastrum ex metallicis.

Chalcitidis uncia, misyos sextans, squamæ æris, thuris, singulorum quadrans, colophoniæ sextans, galbani sesquiuncia, ceræ libra, olei unciæ quindecim, aceti quantum sufficit.

Harmenia fracturis consecrata.

Chalcitidis triens, squamæ æris unciæ duæ cum dimidia, æris combusti uncia, thuris sextans, olei, aceti, singulorum libra. Coquito metallica in aceto & oleo, donec digitos intinctos non coinquinent, deinde thus inijcito.

Melæne Serapionis.

Spumæ argenti libra, ceræ septunx, guttæ ammoniaci unciæ tres cum dimidia, galbani, ferruginis, singulorum denarij nouem, colophoniæ septunx, myrrhæ denarius, olei hemina una cum dimidia, coquito spumam argenti cum oleo, tantisper dum digitos non inficiet: deinde immitte reliqua.

Anicetos glutinans, dissipans, squamas remouens, & incuruationibus articulorum succurrens.

Baccarum lauri, iridis aridæ, thuris, singulorũ denarios sexaginta, æris cremati uiginti, nitri salis, ammoniaci thymiamatis, uniuscuiusq; denarios uiginti, pyrethri, herbæ pedicularis, seminis roris marini, grani cnidij, sinapis, piperis, stercoris columbini, aristolochiæ, cymini, æruginis, cyperi, seminis erucæ, cuiuslibet denarios octo, aceti heminæ duodecim. Contere sub ardentissimo caniculæ æstu, donec acetum euanescat. deinde infunde decocti aridarum ficuũ crassissimi dodrantem, quibus confusis pangito pastillos, & arefacito. Quum usus incidit, pastillorũ sextans aceto subactus, resinæ quadrãs, ceræ Tyrrhenicæ, olei, singulorũ sextans miscẽtur.

Emplastrum ex loliis.

Picis libra, resinæ piceæ dodrans, ceræ Tyrrhenicæ quincunx, olei quadrans, bituminis attaminati sextans, loleaceæ farinæ sextarius, aceti quantum satis est.

Emplastrum ex succo sycamini.

Spumæ argenti, picis aridæ, seui taurini, singulorũ bes,

resinæ terebinthinæ quadrans, ceræ quincunx, æruginis rasilis, opopanacis, galbani, singulorũ uncia, olei rhicinini uel susini, uel admodũ uetusti hemina, picis liquidæ tantundẽ, liquoris sicamini, cuius fructus sycomora appellãtur, hemina.

Emplastrum dichromon, a duplici colore appellatum.

Aeris cremati, aluminis scißi, guttæ ammoniaci thymiamatis, singulorum uncia, ceræ, Colophoniæ, seui porcini, uniuscuiusq; libra, aceti quantum sufficit.

Indica ad nomas, & hæmoptoicos.

Ceræ, resinæ frictæ, picis aridæ, bituminis liquidi, zacynthiæ, singulorum libra, cerussæ, chalcitidis, misyos, atramenti metallici, aluminis scißi & rotundi, gallæ omphacitidis, malicorij, cuiuslibet unciæ sex, aceti quantum satis est.

Emplastrum ex cinere aspidum, scrophulas & podagras dissipans.

Resinæ terebinthinæ, lapidis hæmatitis, bituminis Iudaici, singulorũ denarios trecentos sexaginta, ceræ, baccarum lauri, guttæ ammoniaci thymiamatis, spumæ nitri, adipis uitulini denarios trecentos quadraginta, lapidis pyritis, calcis aqua non extinctæ, cineris aspidum, uniuscuiusq; denarij centum quadraginta, olei ueteris heminas duas, pharmaco refrigerato cinerem insperge. Præparatur autem & absque cinere, propterea quòd implacidè ipsum ferunt aliqui, & nihilominus lapis etiam Asius efficitur.

Leæna desiccans & discutiens.

Guttæ ammoniacæ thymiamatis, plumbaginis, singulorum denarij centum, sinapi denarij octo, radicis chamæleontis sedecim, colophoniæ centum, squamæ æris, lanariæ radicis, cuiuslibet denarij quinq;, euphorbij & æruginis, uniuscuiusq; octo, aristolochiæ sedecim, pyrethri octo, olei ueteris heminam, & raphanini quantum sufficit.

Leæna in superficiem euocans, & humores euacuans.

Atramenti sutorij sextans, auripigmenti uncia, hellebori nigri,

nigri, thoracum cantharidum, singulorum sesquidenarius, sandarachæ quadrans, ceræ sesquilibra, resinæ frictæ libra, olei heminæ duæ.

Macedonicum.

Ceræ, colophoniæ, picis, seui taurini, lachrymæ thuris, æquis portionibus eliquatis, & ab igne sublatis, lachryma thuris inspergitur.

Pilula ad feruores.

Cerussæ, spumæ argenti, calcis aqua non extinctæ, singulorum quadrans, ceræ sescuncia, bernicarij, rosacei, uniuscuiusq; uncia, liquefacta aridis infusa in orbiculos diguruntur. Vbi utendum est, olei uncias sex cum duabus uncijs ceræ eliquato, & inijce medicamenti unciam, & rudicula agitato, refrigeratum cum aquæ dodrante contundito. ego rosacei quoque trientem admisceo.

Ex rubrica pictorum, inflammationem arcens, tum ultro, tum in iudicio tortis seruiens.

Ochræ Atticæ libræ duæ, cretæ libra, spumæ argẽti bes, ceræ uino tritæ, colophoniæ, picis, resinæ piceæ, singulorum libra, resinæ terebinthinæ besßis, olei libræ duæ. Hoc modo resoluuntur: ceræ libra, olei ueteris libræ tres, medicamenti libra, uino diluuntur,

Emplastrum ex liquore cedri, conglutinans, discutiens, & exterens.

Ceræ, picis aridæ, uniuscuiusq; libra, colophoniæ bes, liquoris cedri selibra, eliquata simul, donec à sordibus, ne manus inficiant, perpurgentur, elixabis. Aliud emolliendi uim habens: Ceræ, picis, singulorum bes, colophoniæ denarij uigintiquinq;, propoleos denarij septendecim, liquoris cedri denarij uiginti.

Emplastrum ex pumice, cicatricem inducens.

Myrtei lib. duæ, ceræ libra, pumicis cremati et uino extincti denarij sex, squamæ stomomatis tantundẽ, æris combusti,

cretæ

cretæ cimoliæ, ſingulorum denarij quinq;, ſupra linteolum concerptum, & ſpongiam ex aqua accommodantur.

Emplaſtrum Paula, ſtrumis & bubonibus deſtinatum:

Habet ceræ, colophoniæ, nitri uniuſcuiuſq; libram.

Emplaſtrum ex nitro, ad carbunculos.

Nitri toſti quadrans, ceræ, olei, colophoniæ, ſingulorum ſeſquidenarius, ſucci Cyrenaici aut Medici denarij decem, imponuntur penicillo uulnerario ſoluta.

Emplaſtrum dianemonis.

Anemonæ unguibus detractis ſextans, ceræ quincunx, olei triens, reſinæ unciæ quinque cum dimidia, colophoniæ ſeſquilibra.

Emplaſtrum Macherionis uiride, iſchiadicis, articulorum obſtructionibus, & abſceſsibus efficax.

Opopanacis, galbani, æruginis, myrrhæ, ireos, guttæ ammoniaci thymiamatis, ariſtolochiæ, uniuſcuiuſq; uncia, reſinæ terebinthinæ, ceræ, olei omphacini, ſingulorum ſeptunx.

Aliud uiride ſimplex.

Reſinæ libræ tres, ceræ libra, ferruginis raſilis ſelibra, thuris denarij uigintiquinque, aceti quantum ſufficit.

Aliud uiride, ad humida, & ſuperexcreſcentias carnis.

Colophoniæ unciæ ſex, æruginis raſæ uncia una & dimidia, ceræ ſextans, ſalis Cappadocici uncia, roſacei ſextans, aceti quod ſatis eſt.

Peganera ad pleureticos.

Rutæ uiridis libra, butyri ſeſquilibra, terebinthinæ unciæ quindecim, hyſſopi medicamenti tantundē, opopanacis, galbani, ſingulorum quadrans, anethi libra.

Emplaſtrum ex lixiuio, coxendice, articulariis, tumoreque laxo infeſtatis idoneum.

Ceræ, olei ueteris, lixiuij primùm deſtillati, ſingulorum libra, reſinæ frictæ, nitri Alexandrini, nitri candidi, reſinæ terebinthinæ, uniuſcuiuſq; ſelibra. Nitri utrunq; genus in lixiuio eliquato.

Emplastrum ex nitro, ad abscessus, scirrhos, & tumores.

Olei antiqui, ceræ, spumæ, nitri, saponis, lixiuij, cuiusque libra, resinæ terebinthinæ unciæ sex, galbani, propoleos, guttæ ammoniaci thymiamatis, singulorum uncia. Præparato perinde atq; proximum.

Emplastrum ex sale.

Ceræ triens, olei selibra, salis cõmunis triens, spumæ nitri tantundem, cerussæ bes, aceti sextans: ad læuigationem aridorum. Aliter: Salis communis, nitri, singulorum triens, ceræ, olei ueteris, uniuscuiusq; unciæ sex, aquæ marinæ quãtum satis est.

Emplastrum ex petasone, tophis expediens.

Pernæ porcinæ ueteris pinguis, ammoniaci thymiamatis, casei antiqui bouilli aut caprini, adipis taurini, apochymatis, quod est, ramenti nauigij, singulorum libra, medullæ cerui beßis, œsypi ceroti quadrans, cyprini unciæ sex, uini Aegyptij quantum satis est.

Emplastrum ex cinnabari, ad tophos, & alios omnis generis induratos tumores. Obtinuit autem appellationem Pamphates.

Spumæ argenti libra, olei ueteris sextarius, squamæ æris uncia, æris cremati tantundem, cinnabaris scrupuli duodeuiginti, magnitis uiui uncia, lapidis Phrygij denarij sex, lapidis pyritis, cadmiæ, æruginis rasæ, thuris, singulorum uncia, diphrygis sextans, aloes uncia una & dimidia, galbani sesquiuncia, lapidis onitis Scythici scrupuli octodecim, lapidis hæmatitis uncia, propoleos libra, & grammata uiginti octo: ceræ unciæ septendecim, lapidis perdicitis uncia, in alio perdiciati habetur: betonicæ uncia, & dioboli octo, gentianæ uncia, aristolochiæ longæ & rotundæ denarij quatuor, chamæleonis nigri uncia, dictamni scrupuli quadragintaduo, resinæ siccæ libra, adipis struthocameli libra. Lapides cũ spuma argenti conterito, adijciens floris salis libras duas particulatim, quo ad totum moletur.

Emplastrum ex auellanis, ad tophos articulorum experientia comprobatum.

Lixiuij quod primùm destillauerit fex, nucum Ponticorum interanei sextans, spumæ nitri unciæ sex, olei uetusti libra, saponis Gallici triens, mellis bes, ouorum albuminum paria tria, ceræ dextans, resinæ terebinthinæ sextans, lixiuio protostacto in leuorem conteruntur.

Diaturpænes ceratum, podagræ doloribus sedandis admirandum.

Martio mense diem quintum agente, in domo subteranea, olei communis sextarios duos in cacabũ inijcito, lignisq; ex uitibus coquito, & quãdo ebullierit, turpænæ marini piscis libram immittito, & asphalacis animantis, quod quidã madamudan appellant, sanguinis trientem. hæc unà usq; dum carnes piscis dissoluantur, elixato, uel donec torrefiant: dein extractis illis, olei & ceræ iustam portionem usq; ad spißitudinem infundito, ut mollißimum conficiatur cerotum, quod linteolo superinductum accommodabis.

Emplastrum ex lotio muli podagricum.

Habet lotij muli masculi sextarios quatuor, spumæ argenti libras duas, olei ueteris mystrum, trita plurimum omnia, donec strigmentosa reddantur, quoad nullum ex coctura recrementum cera secernatur, decoquito.

Emplastrum ex lapidis Asii flore, Phylagrii, ad scirrhos.

Radicis peucedani, floris lapidis Asij, si is ad manum non sit, salis, ammoniaci thymiamatis, lanæ succidæ cõbustæ, cuiusq; unciam, aristolochiæ rotundæ, pumicis canini stercoris, æruginis rasæ, squamæ æris, misyos, castorij, singulorum grammata octodecim, myrrhæ uncias treis, aceti acerrimi tantundem, ceræ uncias duodecim & dimidiam, resinæ piceæ, picis brutiæ, cuiusq; uncias octodecim cum dimidia, dioboli sex, olei ueteris & aceti acerrimi quantum satis est.

Ex eodem, Galeni.

Ceræ, resinæ terebinthinæ, uniuscuiusque libra, lapidis Asij, mannæ, singulorum quadrans, cyprini sextans, aquæ lixiuiæ quod sufficit.

Emplastrum ex flore salis, arthriticis in declinatione idoneum.

Resinæ terebinthinæ, resinæ frictæ, piceæ, ceræ, uniuscuiusq; libram, picis aridæ, aluminis fißi, salis floris, singulorum libram dimidiam, coquito in diplomate.

Emplastrum hulceribus carnem nutriens.

Rosacei, resinæ terebinthinæ, mellis, singulorum sextans, cerußæ, butyri, uniuscuiusq; uncia, alij etiam thuris admiscent unciam.

Italicum sordes expurgans, & incarnans.

Erinei (caprifici inquam, hoc est ficus syluestris fructus) tenerum corticem in oleo decoctum porrice, & eliquato in oleo, ceræ rubeæ quantũ satis est, penicillo uulnerario utere.

Entaticum, quod est intensorium.

Satyrij, genitalis ceruini, caudæ scinchi, singulorum denarij bini, seminis erucæ, pyrethri, seminis roris marini, ceræ, cuiuslibet denarij quatuor, resinæ terebinthinæ denarius, oua passerum trogloditarum tria, stelliones treis, olei laurini uel irini quantum satis est. Macerantur uiuentes in aceto stelliones, diebus quadraginta uase in fimo sepulto.

Chryse, enemos.

Thuris, aluminis fißi, singulorum unciæ duæ, colophoniæ, resinæ, cuiuslibet libra, olei unciæ tres, auripigmenti unciæ duæ, oxelæi quantum sufficit.

Catagmaticum, hoc est fracturis dicatum, Oribasii.

Picis brutiæ libra cũ triente, spumæ argenti tantundem, thuris bes, resinæ terebinthinæ quincunx, adipis taurini libra & triẽs, galbani, opopanacis, cuiusq; uncia, ceræ triens, olei ueteris libra, aceti quincunx.

Catagmatice ad fracturas cum uulnere, & sine uulnere, ex monumentis Heracliti.

Picis aridæ mystrum, spumæ argenti tantundem, mannæ mystrum dimidiũ, adipis uitulini mystrum unum, ceræ Tyrrhenicæ unciæ uigintisex, opopanacis denarij octo, æruginis rasilis, Cyprij æris, singulorũ minas quinque, & decima eius pars, resinæ terebinthinæ mystrum unum cum dimidio, & quinta eius portio, æris uncia, rhicinini aut ueteris olei hemina, aceti hemina dimidia.

Liquidi hyssopi medicamenti præparatio.

Meliloti triens, cardamomi sextans, lanæ admodum sordidæ unciæ sex, macerata in uini sextarijs duob. per triduũ coquito, donec pusillum relinquatur. his exemptis, uino admisceatur olei quadrans, & denuò usque ad maximæ partis consumptionẽ elixetur, uinoq; etiam tunc addatur colophoniæ dextans, terebinthinæ tantundem. Sunt qui ceræ quoque uncias decem admisceant, & hyssopi herbæ unciã alijs concoquunt. Alij lanas uino abluunt, desiccatisq; uinum cum sordibus, quas etiam Pinon appellant, adijciunt. Vbi utendum est, ex eo uncias treis inijciunt, & reliqua quemadmodum dictum est.

De ceræ modo ad oleum.

Si ungenta, quæ eo quòd laßitudinem demulcent, acopa uocãtur, instruere uolueris, olei quadruplũ ceræ admisceas: sin autem liquidum ceratum, quemadmodũ in fracturis adornamus, duplum. Quod si medicamentum emplastri specie machinari constituerimus, æquis portionibus ceram & oleum confundemus, si aer ambiens moderatus extiterit. Si uerò cera uetus, aut squallida, & aer frigidus existat, oleum quantitate ceram parum excedat: quemadmodum & quando cera pinguior, et qui circunfunditur aer calidus fuerit, cera nonnihil olei quantitatẽ exuperet. Esto autem momentum illud, duodecima medij ad utrũq; portio. undecim enimuerò, uel tredecim olei uncias cum ceræ libra permiscebis.

Ex

Ex monumentis Antylli, de elixatione medicaminum, quæ emplastris immittuntur.

In medicamentorum decoctionibus spuma argenti in oleo elixetur. Oportet autem læuigatam rursus cum oleo, ad sordium consistentiam conterere: deinde clementi igne continẽter agitando, decoquere. Principio igitur turget, et bullis efferuescit: imminente uerò iam absoluta decoctione, colorem feculentiorem præfert. Mensuram autem decoctionis esse scias, quum tumor et recrementa quæ ex ebullitione separantur, cessauerint. Plũbago spumæ argenti modo elixetur. finis coquendi erit, non solum dum ex coctura recrementi nihil decedit, sed quum ex igneo colore in uermiculum & ualde floridum commutatur. Aes crematũ ad decoquendum non intra initia statim iniicitur, sed emplastro iam semidecocto. Modus aũt decoctionis est, quũ, si non admodũ exiguum imponatur, colorẽ ipsius induit, atq; rubrum reddit emplastrũ. Sori atq; diphryges, & ipsa cũ decoctione immittuntur. finis uerò coquendi, diphrygis quidem, quemadmodũ & squamæ, dũ cætera colore superat: sori aũt nullum peculiarem coquendi modum habet, sed omnibus communẽ, dũ uidelicet inspissetur, et emplastrum digitos non inquinet. Chalcitis more æris decoquitur, et moderatur eius decoctio, dũ aliquantisper rubicundius et puniceum magis efficitur emplastrũ. Flos æris instar æris decoquitur, & rationem decoquendi cæteris commumunem obtinet. Atramentum sutorium, mediæ decoctioni immittitur. Decoctum autem acriorem inducit emplastro colorem: & nisi alia resistant, acrius adhuc reddit emplastrum. Mysi ultimo quidem & perfectæ decoctioni immittitur, proprium autem decoquendi modum non habet. Auripigmentũ & sandaracha in fine decoctionis iniiciuntur. Plumbum uerò deustum mediæ elixationi immiscetur. Cerussa in candida emplastra postremò inditur: conseruat enim eo pacto dolorem, & uehementius albescit. In nigra uerò con-

festim à principio: decocta enim, multo nigrior euadit.

Aerugo in emplastra uiridia post decoctionem inseritur, in quibusdam uerò neque ab initio statim in lebetem inijcitur, sed cum aceto friatæ & manenti in pila affunduntur cætera, in melinis autem semicocta iam compositione inseritur. Iustam quidem nacta decoctionem, giluum repræsentat colorem. In his autem quæ geminam speciem & bicolorem præferunt, diprosopa & dichroma uocata, post principia statim coquimus rubiginem. postea enim per decoctionem, primum quidem melinum inducit bicipitem factum, postremo autem uermiculum colorem induit.

Alumen magna ex parte post decoctionem inditur, proprium tamen decoquendi modum nullum habet.

Rubrica, quam minium dicunt, in fine, cadmia & pompholyx initio, decoctionibus induntur.

Salia & nitrum mediæ decoctioni, sulphur extremæ tandem inseruntur. Cæterum elixatio eius nigricat emplastra.

Terra quæuis, & lapides cuncti magnà ex parte in fine decoctionis imponuntur. Pumex item & cōchulæ crematæ.

Oleum siquidem ab initio immittatur resinæ aut pici liquidæ, non inspissetur emplastrū. Postquam igitur decocta in spissata cōstiterint, adijciendū est oleū, reliquas uerò pinguetudines insulsas circa mediam decoctionem immittere expedit. Vnguentū trinum, decoctionem quidē admittit, cyprinū autē & rosaceum minus, cætera uerò nullam: quocirca in fine decoctionis immittenda sunt. Cera sola priuatim non decoquitur, comburitur etenim, neq; cum resina liquida, aut pice liquida. haud enim inspissescit, sed superinijcitur uel oleo puro, uel cū oleoso quopiam ex metallicis decocto, uel resinæ aut pici præelixatæ, & citius alijs quæ possunt inseri, coit.

Resina arida cum cera inditur, liquida uerò ante alia omnia per se decoquitur, nisi admodum exiguum eius momentum accipiatur.

Pix præ alijs cunctis immittitur: modus autem decoctionis est, liquidæ quidem, dum spissescit: siccæ uerò, maxima ex parte, dum inter coquendum nihil amplius neque in bullas attollitur, neq; turgescit.

Apochyma læuigatum, cribroq; à suis superuacaneis sequestratum, & deniq; decoctũ, emplastro inditur: quod si fuerit molle, cum oleo diluitur. Cæterùm prior ratio exactior est, propterea quòd in altera pondus non obseruatur.

Bitumen quoque principio ad decoquendum immittitur, neque in leuorem conterendum est, quoniam scabredines fici et oliuarum acinis similes continet: sed in crassas adeò partes confringere, cumq; aceto decoquere, non commouendo interim, quousque non amplius ampullarum modo turgeat, expedit. Nos uerò, inquit Timocrates, in oleo elixantes, uoti compotes facti sumus.

Propolis quoque emollienda & elixanda est, neutiquam enim à decoctione diffunditur. Quod si emplastrum ceram quoq; accipiat, oportet unà cum cera propolim galbani more contusam immittere.

Gutta ammoniaca circiter mediam decoctionem immittitur. Oportet aũt hanc læuigatã, si fieri potest, et tenuẽ inspargere: sin minus, cũ liquore quopiã contritã inijcere: si cruentis dicatum fuerit emplastrum, cum aceto aut uino fistulis aut strumis, omnino cum aceto: si uerò molle futurum sit, ut sunt quæ sedi adaptantur, cum aqua, deinde strigmenti craßitudine inducta, alijs refrigeratis ne ebulliat infundere.

Admiscetur opopanax multo serius quàm ammoniacum, omnino autẽ modica decoctione eget. Est uerò etiam ille cum uino acetó ue antea læuigandus.

Galbanum nullam decoctionem sustinet, sed postquam ab emplastro nil recremẽti per cocturã secesserit, ab igneq; sublato, quo inspissetur, subactum inicijatur.

Sagapenum in mortario contunditur, & ubi teneritudinem assumpserit, sublatum ab igne cum emplastro mollificatur.

Aloe emplastris post decoctionem inditur.

Succus papaueris pridie in aquæ momẽto irrigatur, deinde in pila conteritur, mox emplastrum superinfunditur.

Thapsia postremò inseritur, uel liquore aliquo diluitur.

Bdellium quoq; læuigatum emplastro ab igne remoto inditur. at si in pingue admodum incidas, ut læuigari nequeat, sagapeni more contusum, & in emplastri formam redactũ, cum emplastro post elixationem eliquabimus.

Thuris lachryma pariter et manna decoctioni iã absolutæ inspergũtur, strigmenti instar, cũ melle pauculo, acetóue, aut aqua, aut uino inspissata, si humorẽ partici pat emplastrum.

Myrrha perfectæ decoctioni inditur.

Nulla neq; seminum, neque radicum, neque herbarum decoctionem ullã sustinent: qua de causa læuigatis, & in pila adhuc depositis, liquida infunduntur.

De malagmatis & epithematis. Cap. 18.

Ex medicaminibus quæ emolliendi uim habent, & ob id malagmata dicuntur, alia quidem medijs regionibus corporis imponuntur, diuturno iam tempore inflammatis, uel induratis, uel æstu feruentibus, uel perfrictione conflictantibus, uel defluxione infestatis: alia articulis oppilatis, uel neruis algore uexatis, uel alijs etiam corporis partibus scirrho oppreßis competunt. De his itaq; capite de emplastris memoratum est, & de acopis fusius enumerabuntur. Ex his autem quæ medijs corporis partibus congruunt (propriè epithemata nuncupantur) quæ sanè stomacho & iocinori adhibentur, qualiacunq; illa fuerint, roborantem potentiam ex adstringentibus requirunt. absque his enim uitæ periculum est, quũ hæc membra uitæ communia instrumenta sint: quapropter medicamenta huiusmodi, ex aromatis potißimum componuntur. Stomacho igitur pro suo munere nõ coquenti, imbecillo,

inflationeue laboranti, ea quæ ex seminibus & meliloto, aloe, absinthio, sampsucho, nardo & mastiche denique constituuntur malagmata, applicanda sunt. Iocinori uerò, quæ ex glande unguentaria, gutta ammoniaca, adipe, & chamæmelino confiunt. Lieni autem, quæ ex calce aqua non extincta, auripigmento, cappari, salicibus, cardamomo, ærugine. gutta ammoniaca, & aceto contexuntur, conueniunt. His uerò qui fluxu alui impetuntur, ex œnanthe, alumine, melino, & alijs astringentibus conflata, quæ per abusionem etiā malagmata uulgo nuncupant, etiamsi contraria his quæ emolliendi uim habent potentia constent. Quibus aūt uiscera æstu flagrant, quemadmodum in febribus accidit ardentibus, his malagmata et epithemata è croco, rosaceo succo, seminis lini, aut sereos, aut herbæ sanguinalis, adipe suillo et spuma argenti conducunt. Refrigeratis porrò, quæ è succo balsami, folio, cassamo, pipere conficiuntur. Pectoris autem, in sanguinis nempe excretionibus, astringentia et desiccantia, quæ ex alumine, salice, et bitumine contexūtur. In tabe uerò, ex baccis lauri, marrubio, cardamomo, lixiuioq; cōflata expediūt.

Malagma ex fertula campana.

Accipit croci, nardi Gallicæ, cyperi, cardamomi, ireos, myrrhæ, singulorum sextantem, meliloti libram, ammoniaci thymiamatis libram, ceræ libras treis, resinæ terebinthinæ libram, olei cyprini libras tres, gleucini libras duas, bdellij uncias sex, quidam etiam cypheos sextantem admiscent, uini quantum satis est.

Poliarchion, ex libris de compositione medicamentorum secundū locos Galeni.

Ceræ, rèsinæ terebinthinæ, bdellij, ammoniaci thymiamatis, cardamomi, cyperi, singulorum mystrum, meliloti, amomi, nardi Indicæ, croci, myrrhæ, thuris, ligni cinnamomi, uniuscuiusque denarij uigintiquinq;, olei cyprini hemina, uini Italici quantum sufficit. Præpara, & utere, interdum meraco, interdum cerato, oleo cyprino dissoluto.

Aliud Polyarchium.

Ligni balſami, coſti, ireos, cyperi, myrrhæ, rotundi odorati iunci floris, cardamomi, thuris, ſpicæ nardi, maſtiches, ſtyracis, bdellij, amomi folij, croci, caßiæ, pyrethri, ariſtolochiæ longæ, ſingulorum uncia, ammoniaci thymiamatis uncia una cum dimidia, reſinæ frictæ quadrans, terebinthinæ pondo, medullæ ceruinæ ſextans, ceræ dupondo, ſucci balſami unciæ ſex, uini unciæ octo.

Malagma Philagrianum.

Croci ſeſcuncia, aloes, ammoniaci thymiamatis, bdellij, ſtyracis, uniuſcuiuſq; uncia, adipis anſerini unciæ duæ, hyſſopi pharmaci unciæ quatuor, palmularum duæ, ceræ libra, nardi ſelibra, amelini unciæ ſex, uini quantum ad aridarum ſpecierum eliquationem ſatis eſt, macerata per triduum, palmeaq; rudicula cõmouẽtur ter die: deinde oleo ſimul decocta, ſecundo quidem die cardamomum aqua pridie maceratum, tertio autem crocus uino: ſunt qui croco alium myrrhæ quincuncem adijciunt. Vbi hæc percolata fuerint, oleum ſyncerum reſeruatur. fex ſpecierum quælibet in paſtillos conformata, deſiccataq;, id quod crocomagma appellatur, repræſentat.

Mendeſium.

Dictũ eſt mendeſiũ, quod in Aegypto, ubi paſcitur mẽdes, inueniatur. Recipit aũt olei balanini libras decẽ (in alio habetur, ſextarios decem) myrrhæ, caßiæ fiſtulæ, ſingulorũ quadrantẽ, reſinæ terebinthinæ librã (aliàs ſextarios decẽ) cinnamomi quadrãtẽ. Illud nõ decoquitur, ſed iniectus aridis agitatur ad dies 60. deinde terebinthina eliquata in partẽ olei mittitur, mox denuò aloes dies 7. mouetur, & ita reſeruatur.

Martianum.

Maſtiches, ceræ, ſtyracis, ſingulorum quadrans, hyſſopi medicamenti ſemuncia, opobalſami ſeſquuncia, nardini, gleucini, olei omphacini, uniuſcuiuſq; quadrans, medullæ ceruinæ ſeſcuncia, terebinthinæ uncia.

Diomphacos iniectio prima.

Aſpalathi, rudiculæ palmularũ, meliloti, iridis, iunci rotundi odorati floris, xylobalſami, roſarum aridarum, calami odorati, ſingulorum quadrans (olei omphacini libræ decem, ſucci uuæ acerbæ ſextarij decem.

Iniectio ſecunda, ex caryophyllo.

Guttæ ammoniacæ, ſpicæ nardi, coſti, caryophylli, caßiæ, caſſami, uniuſcuiuſq; quadrans (in alio legitur, arnabi quadrans) uini quantum ſatis eſt.

Iniectio tertia.

Thuris ammoniaci thymiamatis, ſtyracis, bdellij, myrrhæ, maſtiches, ſingulorũ quadrãs, uini quãtũ ſatis eſt, ceræ albæ quincũx, opobalſami unciæ 6. quidã habẽt uncias octo. Primæ iniectionis ſpecies ſucco uuæ acerbæ et oleo pridie macerãtur: ſecũdæ uerò, in altera pelui, minimè capaci, in uino Aminæo, aut alio ueteri & odorato, moueturq; qualibet die rudicula palmea: tertiæ ad triduũ, à quo tẽpore in cacabo ſplẽdido ſpecies primæ iniectiõis, tãtiſper dũ puſillũ ſucci uuæ acerbæ relinquatur, decoquito: deinde alterius iniectiõis ſpecies confeſtim cũ uino immitte. melius uerò, ſi prius alijs ſublatis, ſic oleo puro inijciãtur, et ad perexiguas uini reliquias decoquantur, ne cõburatur oleum. depoſita ab igne colabis, et rurſum tertiæ embolas ſpecies oleo non impuro inijcito, in pila prius cum uino ueluti diximus, dilutas excepto ſtyrace: is enim iniectus cum alijs prõpte ſoluitur. Coquito carbonib. hactenus dum tibi bene habere uideãtur, remotaq; ab igne, refrigerari ſinito: poſtera autem die accuratè exemptis ex oleo, & calfactis abunde ſuper ignem ceram indito, depoſitaq; rudicula agitato. Vbi refrigeratafuerint, opobalſamũ inijcito, et uitreis uaſculis reponito.

Gleucinum iniectio:

Olei ſextarios decẽ, muſti Aminæi ſextarios ſex, aſpalathi quadrantẽ, rudiculæ palmæ uncias ſex, floris rotundi iunci odorati tantundem, meliloti trientẽ, roſarum unciã, myrrhæ quadrantẽ, foliorũ lauri ſextantẽ, arboris thuris, xylobalſa-

mi, enulæ campanæ, singulorum uncias sex, aristolochiæ longæ, ireos, cuiusq; quadrantem, simul in musto macerabis.

Iniectio secunda.

Celticæ nardi triens, balsami fructus sextans, cyperi, cassiæ, spicæ nardi, asari, amomi, costi, sampsuchi, singulorum quadrans, calami odorati, caryophyllorũ, folij, uniuscuiusq; uncia, cardamomi triẽs. Balsamũ in uino fragrãte irrigatur.

Iniectio tertia.

Masticbes uncias quatuor, myrrhæ troglodytidis, bdellij, singulorum uncias duas, ladani uncias treis, styracis liquidi, thuris masculi, cuiuslibet uncias quatuor, opobalsami uncias sex, nonnulli admiscent etiam croci uncias duas. Confice quẽadmodum & diomphacos, excepta cera. Hic autem oportet diebus septem duarum iniectionum species macerari.

Nardus Cizicine, Iniectio prima.

Olei primatis sextarios decem, aspalathi, cypearum, inulæ campanæ, ireos, xylobalsami, mali terræ, cardamomi, rotundi iunci odorati floris, singulorum uncias sex, sampsuchi trientem, herbæ Sabinæ sextantem, quidam adijciunt his calami quoq; odorati sextantem: hæc in uini odorati sextarijs quatuor irrigato.

Iniectio secunda.

Caßiæ, cassami, arnabo, singulorum sextans, spicæ nardi quadrãs, caryophyllorum uncia, costi, amomi, cuiuslibet sextans. quidam etiam nardi Gallicæ uncias duas adhibent; atq; hæc quidem uino excipiuntur.

Iniectio tertia.

Myrrhæ troglodytidis, aloes, thuris, singulorũ sextãs, styracis quadrans, masticbes triens, opobalsami unciæ sex: sunt uerò qui etiam croci uino dißoluti unciam admisceant. Præparato etiam illam, quemadmodum dictum est.

Decamyron.

Spicæ nardi, folij, euphorbij, piperis, costi, adarcæ, singulorum uncia, masticbes uncia una & dimidia, opobalsami unciæ

unciæ ſex, nardini libra, ceræ tripondo.

Pentamyron.

Styracis uncia, maſtiches ſextans, ceræ albæ quadrans, opopanacis tantundem, nardi quincunx.

Odorificum.

Croci, aloes, maſtiches, abſinthij, ſtyracis, œnanthes, caſſami, caryophylli, ſingulorum quadrantem, nardi libram, ceræ tantundem, melini uncias ſex, dactylos palmarum duodecim, uini quantum opus eſt.

Baium malagma.

Cardamomi, caſsiæ, œnanthes, nardi Gallicæ, balauſtiorum, propoleos, ſingulorum ſcrupuli octo, ſabinæ, caſſami, amomi, cuiuſq; ſcrupuli ſex, floris rotundi iunci odorati dioboli octodecim, iridis ſcrupuli quatuor, caryophylli ſeſquiſcrupulus, thymiamatis crinati ſextans, thuris, myrrhæ, cuiuſq; uncia, ladani ſelibra, bdellij, maſtiches, aloes, nardi, olei lentiſcini, cuiuſlibet ſemuncia, reſinæ acernæ, piceæ, terebinthinæ, cuiuslibet quadrans, opobalſami uncia, ammoniaci thymiamatis dioboli ſex, ceræ unciæ ſex, liquida œnanthino diſſoluito, & arida contuſa: aliàs etiam piperis ſcrupulos duodeuiginti reperio. Sunt item qui moſchi ſcrupulum unum adijciunt.

Galenium.

Croci uncia dimidia, aloes uncia, maſtiches quadrãs, ſeminis abſinthij dioboli octo, œnanthes tantundem, palmulæ grandiores tres, ceræ quadrans, olei melini unciæ ſex.

Erythrium.

Styracis quincunx, malorum cotoneorum unciæ uiginti, maſuchæ uel maſuaphij, croci, ſingulorũ denarij decem, pſicharum, cypheos, ſingulorũ denarij quinq;, œnanthes unciæ duæ cũ dimidia, caſſami, abſinthij, ſingulorũ denarij decem, caryophylli dioboli quindecim, ammoniaci thymiamatis grammata decem, opobalſami grammata ſex cum dimidio,

nardi quincunx, colophoniæ, gleucini, melini, uniuscuiusq; dextans, rosacei denarij decem, propoleos quincunx, resinæ terebinthinæ dextans, mellis cochliaria decem, folij denarij decem, spicæ nardi tantundem, ceræ unciæ septem & semis, uino Phalerno uel Aminæo eliquabis.

Malagma Nili, spleni consecratum, & ad omnem duritiem.

Ceræ libra, ammoniaci thymiamatis libra, olei cyprini tantundem, croci uncia dimidia, allij uerò uncia, aceti quantum satis est.

Malagma citrinum.

Ceræ, colophoniæ, uniuscuiusq; libra, gutta ammoniaci thymiamatis, auripigmenti, calcis, aluminis, aceti, singulorum cyathi octo, arida contere aceto.

Malagma Curei.

Habet picis siccæ libram, ceræ, resinæ piceæ, ammoniaci thymiamatis, nitri, baccarum lauri aridarũ, seui taurini, singulorum libras duas, farinæ fœnogræci sextarium, pollinis tantundem, chamæleontis nigri radicis aridæ libram.

Malagma ex stercore caprino, Oribasii, lienosis, hydropicis, & iocinoris duritia affectis.

Olei cyprini, uel olei antiquissimi libras treis, ceræ libras duas cum semisse, merdæ caprarum, baccarum lauri decorticatarum, ireos Illyricæ, singulorum sextarios decem, resinæ terebinthinæ libram, sinapis, nitri, cyperi, seminis radiculæ, corticis radicis capparis, cuiuslibet quadrantem, colocynthidis interanei sextantẽ, fœnogræci unciam. Arida nunc quidem liquidis excipiuntur, nunc aceto macerata. Atqui si uenter fluore infestetur, non adiungenda colocynthis est.

Ex stercore caprillo, spongium hydropicis utile.

Constat ex picis brutiæ libris duabus & dimidia, nitri libra, interanei colocynthidis farctus, pyrethri, opopanacis, grani gnidij, singulorũ quadrante, corticis radicis capparis, thuris,

thuris, ireos, adipis taurini, elaterij, squamæ æris, seminis apij, lathyridum, uniuscuiusq; uncijs sex, baccarum lauri sextario dimidio, fœnogræci farinæ semuncia, fellis taurini sextante, olei cyprini sextario dimidio, ceræ libra, resinæ frictæ libris tribus, excrementi capræ montanæ, seminis roris marini, cyperi, cardamomi, cuiuslibet uncijs sex.

Ex baccis lauri.

Accipit ceræ, resinæ, picis, baccarũ lauri, adipis taurini, singulorum libram, nitri, guttæ ammoniaci thymiamatis, cuiuslibet uncias sex, aceti quod satis est.

Malagma ex seminibus.

Cardamomi, cyperi, sabinæ, nitri, baccarũ lauri, casiæ, meliloti, fœnogræci, nardi Gallicæ, seminis apij, sampsuchi, anisi, radicis panacis, thuris, guttæ ammoniaci thymiamatis, resinæ terebinthinæ, singulorum quadrans, mellis, ceræ, nardi, adipis tauri, uniuscuiusq; libra.

Tetri odoris pleureticum.

Resinæ piceæ libra, ceræ, rutæ uiridis, cyprini, singulorum unciæ sex, sulphuris ignem non experti, opopanacis, sagapeni, cuiusq; denarij quatuor, quibusdam uerò placet adiungere galbani sescunciam.

Malagma ex sampsucho.

Ceræ libra, resinæ terebinthinæ libræ duæ, sampsuchi, baccarum lauri, fœnogræci, singulorum sextarius, nardi quantum satis est.

Malagma Apollophanis ad iocinerosos

Ceræ denarij octoginta, resinæ terebinthinæ, mannæ, singulorũ denarij quadraginta, pila fece irini oblita contunde.

Copton ad stomachi duritiem, & iocinoris.

Propoleos selibra, styracis sextans, mastiches uncia, resinæ terebinthinæ uncia dimidia, fecis nardi quantũ satis est.

Malagma ex œnanthe.

Oenanthes, aloes, croci, acaciæ, aluminis fissi, rosarum aridarum, absinthij succi, gallæ, omphacij, rhoos Syriaci, mannæ,

mannæ, cuiusq; denarius, olei myrsinati, ceræ, singulorum libra, dactyli palmæ ingentes quinq;, uini Aminæi quantum satis est.

Antylium.

Aluminis scissi uncia dimidia, aloes uncia, mastiches diobolus, œnanthes grammata sex, omphacij grammata octo, rosarum aridarum tantundem, rhus Syriaci dioboli decem, acanthes Aegyptiæ scrupuli decem, balaustiorũ grammata uiginti, gallarum dioboli quindecim, ceræ quincunx, olei melini quantum satis est.

Malagma ex acinis uinaceis.

Continet croci, sandycis, œnanthes, singulorum unciam, aluminis aridi trientem, balaustiorum, omphacij, rosarum floris, myrtorum siccorum, uniuscuiusq; sextantem, ceræ dealbatæ libram, olei melini dupondo, malorum cotoneorum trientem, dactylorũ qui Nicolai dicuntur, decem, uini Aminæi quantum satis, acinorum aridorum bessem. In usu autem medicaminis quadranti ceræ unciam temperabis.

Anethina.

Anethi uiridis unciæ sex, meliloti sextans, chamæmeli tantundem, capitum papaueris uiridium decem, elixorum decocti tripondo, & olei quod satis est. Quando autem consumptum fuerit decoctum, inijce adipis porcini recentis dupondo, læuigatoq; seorsim scillæ assatæ interanei sextantem, & medullæ cerui tantundem, omnia misceto.

Ambrosia arcendis febribus.

Habet spumæ argenti libram, adipis porcini recentis uncias sex, succi seminis lini selibram, ceræ dealbatæ dodrantem, rosacei libram, mellis quadrantem, croci unciam. Nonnulli etiam lutea ouorum decem cruda adiungunt.

De Acopis, Vnguentis, Dropacibus, & Sinapismis. Cap. 19.

Acopa inde dicuntur, quòd præcipuè contra copos, id est lassitudinis, uerbi gratia, intensiuæ, hulcerosæ, & eius quæ

quæ oſſa defatigat ſenſus adhibeantur. Tametſi alijs quoque compluribus affectionibus ex uſu ſint. nam alia quidem calfaciendi, alia uerò emolliendi facultate ſunt prædita. Calorifica, ex pipere, pyrethro, ſemine roris marini, et id genus alijs contexta, neruorum doloribus, algoribus intenſis, & ijs quæ ægrè calfieri poſſunt, benefaciunt. Emollientia, ad duritias, ſcirrhos, & articulos infarctos conferunt, quorũ materiam in capite de Emplaſtris enumerauimus. Emollientibus uerò, quæ adarce, ſemine roris marini, euphorbio, grano cnidio, & conſimilibus conſtãt, in malis diuturnioribus, & difficulter elidendis, quibus ſinapiſmi etiam uſus congruit, utimur. Acopa porrò cuncta mediã inter cerota & emplaſtra conſiſtentiam habere conuenit. Vngẽta autem etſi acopis reſpondeant, ſpiſsitudinem tamen liquidiorem quodammodo obtinent. Cæterum dropax duplicem præparationem admittit, hanc quidem emplaſtro, aliam uerò malagmati aſsimilem. Nonnulli uerò ipſum quoq; calidũ illinunt, materiã autẽ acopis & emplaſtris comparẽ. Vſum autẽ cataplaſmatis præſtat, iiſdem languoribus quibus & ſinapiſmus ex uſu eſt, cùm ante ſinapiſmum, ut corpus ad ſinapi præparetur idoneum, tum poſt ſinapiſmũ, quò affectionis reliquiæ amputentur, applicatus. Conficitur autẽ ſinapiſmus ex materia quidem non uaria: ſed efficaciſsimus eſt, diutinis potiſsimũ affectionibus, poſt dictam aliorum præſidiorũ facultatem expediens. Magna cum utilitate capiti, cumprimis in cephalæa, hemicrania, morbo ſacro, quem Græci epilepſian uocant, uertigine, & mania adhibetur: thoraci uerò, in difficultate anhelitus, orthopnœa, tuſsi diuturna. In diutino uerò catarrho, capiti, & thoraci ſinapiſmus applicandus eſt. Iam uerò & ſtomachum ipſum, & uentrem uniuerſum in diuturnis eorundem languoribus ſinapi oblinimus. Accommodum porrò iſchiadicis, podagricisq́; & ſingulis corporis partibus languidis & flacceſcentibus, aut aliàs quodammodo, ita ut uix ullo ca

lore

lore refocillari queant, perfrigeratis est remedium. Esto autem efficaciæ medicaminis finis, quum dolor insigniter afficit, liuidiorē insuper & tumidiorē carnē efficit, cūq; lotione adhibita, pustulæ clementer ebulliunt. Quòd si sensus etiā perierit, animaduertendū est, quoniam ita affecti, si adurantur, non sentiunt: regione delibuta quantumuis, ungento frequentius detecta. In acutis præterea affectionibus, inexpugnabili nempe somni necessitate, grauiori ad altiorem quietē impetu & catocho sinapi inducitur, principiò quidē cruribus. Vbi materia radices egerit, capiti. His uerò qui frigus, quod difficulter calore uinci potest, experti sint, cruribus & inguinibus sinapismus adhibendus est. Auersandus autem incontinenter febrientibus, hulcus habentibus, & cartilaginosis, macilentioribusq; sinapismus est. comburuntur enim interdum, & denigrantur partes non carnosæ, sinapi adhibito.

Acopum Bromium.

Ceræ, colophoniæ, resinæ, singulorum libra, seui suilli triens, butyri unciæ sex, althææ, fœnogræci, seminis lini, uniuscuiusq; dupondo, olei pondo, galbani unciæ duæ cum dimidia. Succo pariter cum oleo usq; dum maior pars consumpta sit, decocto, reliqua cum cera & galbano inijce.

Acopon Pœcillum, hoc est multiplex.

Liquoris althææ, fœnogræci, seminis lini, rutæ, cymini, singulorum dupondo, medullæ ceruinæ, olei ueteris, pinguetudinis anserinæ, opobalsami, nardi, cuiusq; pondo, ceræ, colophoniæ, resinæ, cuiuslibet sesquipondo, euphorbij, resinæ terebinthinæ, opopanacis, cuiusque unciæ sex, castorij quadrans, herbarum ex quibus succus exprimitur, singularum libra adnectenda est. Decoque instar proximi.

Acopum Azanitæ.

Seui porcini libræ binæ, pinguedinis taurinæ, resinæ, colophoniæ, hyssopi pharmaci, ceræ, singulorum as, galbani quadrans.

Acopum

Acopum Basilii.

Althææ, chamæmeli, meliloti, seminis lini, fœnogræci, singulorum sescuncia, amomi quadrans. Hæc in uini Ascalonij, aut Ciliciensis sextarijs octo, per triduum macerantur, et ad mellis usque spißitudinem elixantur, deinde liquoris libræ quinq; cum oleo ueteri, pondo librarũ quatuor cum dimidia, usq; dum liquoris medietas tantum supersit, decoquuntur, & immittuntur butyri unciæ sex, resinæ terebinthinæ triens, adipis anserini unciæ quindecim, medullæ ceruinæ cum olei momento læuigatæ quincunx, ceræ candidæ tripondo.

Acopum Lysiponium.

Piperis, castorij, styracis, mastiches, aloes, inulæ campanæ, ireos, singulorum triens, euphorbij, costi, ammoniaci thymiamatis, myrrhæ, sampsuchi, thuris, cyperi, caßiæ fistulæ, cachryos, cuiusq; quadrãs, adarces, amomi, bdellij, ligni balsami, uniuscuiusq; sextans, malobathri, spicæ nardi, pyrethri, croci, singulorum uncia, succi balsami libra, nardi cyprini, leucini, cuiuslibet libræ duæ, ceræ libra.

Acopum a fœtore dysodes appellatum, ex libris de compositione medicamentorum secundum genera.

Ceræ, resinæ terebinthinæ, singulorũ denarij uigintiquatuor, galbani, guttæ ammoniaci thymiamatis, cuiuslibet denarij sex, olei heminæ duæ, medullæ ceruinæ denarij octo. Vtere syncero & dissoluto. Aliud dysodes: Resinæ terebinthinæ denarij sedecim, ceræ denarij uigintiocto, œsypi, mellis, singulorum denarij sex, medullæ ceruinæ unciæ sex, guttæ ammoniaci thymiamatis, galbani, spumæ nitri, baccarũ lauri, uniuscuiusq; unciæ sex, olei ueteris sextarius, uini cyathi duo. Nonnulli castorij quoq; drachmas treis adnectunt.

Acopum barbaricum ex euphorbio, coxendice dolentibus & aliis pluribus utile.

Opopanacis uncia, ceræ Tyrrhenicæ libra, resinæ terebinthinæ libræ duæ cũ dimidia, galbani uncia, guttæ ammoniaci

niaci thymiamatis unciæ duæ, euphorbij, castorij, piperis albi, singulorum unciæ duæ, medullæ ceruinæ unciæ quatuor, œsypi unciæ quatuor, lemnestidis (est autē adarce) uncia dimidiata, olei styracini, laurini, irini, amaracini, singulorum unciæ sex, olei ueteris libræ duæ, hedychroi unciæ sex.

Pyxis acopon.

Colophoniæ libra una & semis, terebinthinæ bes, guttæ ammoniaci thymiamatis quadrans, thuris dodrans, olei ueteris libræ duæ, succi seminis lini libra, lactis bouilli libra, adipis anserini unciæ sex, butyri beßis, ouorum uigintiquatuor albumina, præparatum buxeo uase recondito.

Acopum ex abiete, Galeni.

Seminis abietis cocti modius Italicus, quod est sextarij duodecim, olei libræ quindecim, ceræ libræ quatuor, resinæ strobilinæ uel terebinthinæ triens. Contusum abietis semen in oleo mittitur: ubi in eo diebus quadraginta permiseris, expressum porrice, atq; reliqua admisceto. Vtere contra spontaneas laßitudinum molestias, resolutiones, et articulorum perfrictiones. Quòd si urgeat neceßitas, coquendum est abietis semē cum oleo, permiscendo, ne cōburatur, aquæ sextarios quatuor, in podagricis scilicet, & arthriticis affectionibus. Aliter idem: Olei heminæ uigintiquinq;, quod est, sextarij duo cum dimidio: fructus abietis mystrum, hoc est sesquilibra, resinæ abiegnæ libræ tres, strobolinæ uel terebinthinæ tantundem, ceræ libra.

Ex alno, ad eosdem languores.

Loco fructus abietis, alni (quæ populus nigra est) fructus parem quantitatem inijciens, & cætera eodem cum illo modo præpara.

Zoßimi unguentum, ad tremores nobile.

Resinæ piceæ unciæ sedecim, ceræ triēs, olei uetusti libra, opopanacis sextans, adarces uncia una, euphorbij tantundē, nitri triens, spumæ nitri tenerioris tantundē. Nitrū, euphorbium

bium & adarcem contere cum uino, deinde liquorem panacis indito, simulq; læuigato. Seorsim uerò liquibilia cum anchusa liquefacito ut coloretur, & refrigerata excipe.

Dropax Gallus, Oribasii.

Colophoniæ thus referentis, pityinæ, & ligneæ appellatæ, in sola Italia prouenientis, apochymatis, picis aridæ, ceræ, singulorum libræ quatuor, resinæ frictæ unciæ quindecim, picis brutiæ libræ duæ, nitri libra, bituminis, galbani, adarces, pyrethri, uniuscuiusque unciæ sex, opopanacis, euphorbij, hellebori albi, piperis, cuiuslibet triens, sulphuris ignem non experti quadrans, castorij, guttæ ammoniacæ, uuæ passæ syluestris, cuiusque sextans, olei sicyonij libra, ligni balsami unciæ sex. Aliter simplex: ceræ libra, picis aridæ sesquilibra, brutiæ libra, resinæ piceæ sesquilibra, frictæ libra & quadrans. Loco nitro prius absterso imponito.

Sinapismi præparatio.

Ficus aridæ pridie aqua tepida irrigandæ sunt, postero die prævalidæ exprimendo strenue læuigandæ: deinde acre sinapi, cuiusmodi Syriacum & Aegyptium est, priuatim conterendum, affuso illarum diluto, & massa confecta miscendum. Siquidem uiolentius uoluerimus exhulcerare, duas partes sinapis cum una ficuum temperabimus: si uerò mitius, è contrario: sin mediocriter, æquis partibus utraque confundemus. Cæterùm sinapi ante contritionem aceto dilutum, quemadmodum aliqui faciunt, inefficacius redditur. A' sinapis purgatione etiam lauacri usus est, si dolor intensus, rubore'ue locus suffunditur, et pustulæ oboriuntur, linteolum succo maluæ aut fœnogræci cum rosaceo irriguum applicemus, deinde rosaceo cerato addita cerussa utemur. In dissolutis uerò, in quibus sensus oblæsus est, multum diuq; aduertere oportet, ut membrum subinde retegatur & inspiciatur. admota etenim non sentientes, sæpenumero supra modum exusti sunt, & caprarum baccæ cum aceto ca-

taplasmatis instar illitæ efficaciores quàm sinapi sunt, potissimum in his qui laborant coxendice.

Acopon ex atramento scriptorio rubrificans propriè, & hemicranicos potissimum, ex monumentis Alexandri.

Euphorbij, atramenti librarij, singulorũ denarij quatuor, myrrhæ troglodytidis, crocomagmatis, piperis albi, cuiusq; quadrans, croci denarij duo, aceti quantũ opus est ad hæc læuigãda egregiè, et ad spißitudinẽ strigmentorũ balneorũ. Atque tum illinito, à media superciliorũ inchoans usque ad tempus totum, præcipuè si pilis denudatus sit: postquam refrigeratũ fuerit, rursum illinito: & ubi remedium belle officium suum peregerit, hominem affectum in lauacrum deducito.

Oleorum & unguentoũ cõcinnationes diuersæ. Cap. 20.

VNctionum & unguentorum uel oleorum, quæ unguinum naturam resipiscunt, simplicia quidem sunt, quum una oleo species inditur: quæ uerò ex pluribus præparantur, composita. Ex simplicibus rursum aliqua ex floribus oleo inditis constituũtur: uerbi causa, rosaceum, chamæmelinũ, susinum: aliqua uerò ex fructibus & seminibus conflantur, quædã ex germinibus quibusdam: exempli gratia, rutæ, quæ etiã cum oleo decoquuntur. Quoniam autem flores elixationem nullã admittũt, insolantur potius: uerùm si ualentiorem habeãt odoris fragrantiam & minimè euanescentem, pluribus diebus insolata, tenuioris essentiæ partium, & usui multo commodiora redduntur, ueluti rosaceũ & chamæmelinum. Qui aũt imbecilliores, promptiusq; difflantur, insolatum minus perferunt, utpote quorum uirtus promptius euanescit, quemadmodum lilium & uiola. Ex his autem quæ fructus & semina constituunt, alia quidem ex ipsis integris oleo iniectis conficiũtur, puta melinum: alia uerò contusis uel contritis, oleoso, quod in eis continetur, segregato, siue expreßis ipsis in cochleas, uel ex aqua calente discernendi gratia, ueluti carinũ, sesamum, amygdalinũ, lentiscinum, laurinum, rhicininũ, raphaninum,

ninũ, et id genus alia. Cõposita uerò ex plantis odoratis, magna ex parte oleo cũ uino, uel musto, uel aqua decoctis, et inde eisdẽ exemptis præparantur. cõmixtis aũt oleo quibusdã succis, interdũ etiã adipib. aut medullis. Ex istiusmodi quædam exactè oleosam consistentiã sortita, simpliciter unguenta uel unctiones dicuntur, ut gleucinum, nardinum, sicyonium, & cyprinum. Quæ uerò spissitudinem acoporum obtinent, ceram aut resinam, aut eiusmodi quippiam suscipientia, myracopa cognominãtur: uerbi causa, decamyron, amaracinum, & eiusmodi. Atq; hæc quidem semel simulq; decoquuntur, quæ non admodum ex diuersi generis materia cõstant, quemadmodum metopium, mastichinum, sicyonium: alia uerò duabus, aut tribus, aut quatuor iniectionibus: primum contumacioribus decoctis, uerbi causa, aspalatho, spathe, arbore thuris, lauro: deinde uerò aromatibus, folio, spica nardi, amomo, herba sabina: postremò succis, adipibus, & medullis: si uerò contingat, etiam cera & resinis iniectis. Balsami uerò succus nunquam decoquitur, sed post exactam decoctionẽ refrigerato moderatè unguento immittitur. Quin ex ipsis etiã unguentis, quædam decoctionem minimè admittunt, sed admiscentur tantummodo, sicuti mendesium. Sin autem qui uiride unguentum facientes, ipsius sextarium ab igne sublatum, in libras quinq; olei intingunt, æruginis rasæ diligenter læuigatæ unciam unam & dimidiã iniicientes, quemadmodũ in cyprino et amaracino. Iam uerò simplicia quidẽ unguenta specierũ, quæ ipsis indita sunt, uel ex quibus cõtusis cõflata sunt, uires obtinent, ut ueluti materiæ rationẽ contineat oleũ. Quæ ex uarijs constant, uniuersa natura in calidũ mutãt, nonnulla uerò insigniter calfaciũt et emolliunt, sic ut artuũ uitio quod angylosin uocãt, et obturationibus eorũ congruãt: è quorum classe sunt, metopium, mendesium, marciatũ: moderatius aũt p̃tamyron, decamyron uerò uehemẽtius est, ut summa quoq; rodat. Cæterum mediocriter calida, tenuium partium sunt, et

dolores mitigant, & maturant: quale est, susinũ, amaracinũ, irinum, crocinum, pholeatinum. Quædam autem præterquã quod calfaciunt, desiccant admodum & incidunt, cuiusmodi est cyprinum & sicyonium. Quædam uerò calorifica quidẽ satis, sed maiorem corroborandi uim obtinent, quo nomine stomacho potißimum & uisceribus resolutis accommodata sunt: cuius farinæ sunt, mastichinũ, nardinum, & gleucinũ. Valentius adhuc robur indit, quod ex uua acerba confectum est. Nonnullis postremò ungentis mulierculæ solius odoris gratia utuntur: uerbi causa, pholiato, spicato, cõmageno, & quæ mochelæa, id est ex musto oleoq; cõflata nomẽ obtinent.

Rosacei præparatio.

Rosarum rubearum detractis unguibus, & per diem noctemq; marcescentium quadrans, olei omphacini sextarius Italicus. Summa cura uasculo extrinsecus, ne diffletur, operculato, sub dio ad quadraginta dies insolato: quibus elapsis, non in pauimento, sed in tabula deponito. Quidam loco insolatus ad puteũ aquæ frigidæ quadraginta dies appendunt, propterea quod ex frigore amœnus ac gratus odor conseruetur. Aliqui sub terram hoc ipsum defodiunt.

Chamæmelini præparatio.

Chamæmelorum floris, sine albis folijs marcescentis per diem naturalem sextans, olei sextarius Italicus, uase raro linteolo operto, quò commodius exhalet, insolatur: idq; ad dies quadraginta, à quibus probè contectum, reponito.

Olei anethini præparatio.

Anethi uiridis, comæ arescere incipientis unciam, olei dulcis sextarium Italicum, pari modo insolato. Confici autem potest pro temporis ratione anethinum, ubi insolatus denegatur copia: aridi nanque anethi comam cum oleo in diplomate elixantes utuntur, & chamæmelino consimiliter. Minoris uerò efficaciæ hæc sunt ijs quæ ex uiridibus confiunt, præsertim insolatis.

Lilini

Lilini, quod alii eo quod in Susis forsan inueniatur, Susinum appellant, confectio.

Foliorum liliorum candidorum cõsimili modo tabescentium sextans, in Italicũ olei sextarium iniectus exactè ne perspirent circunstringitur, & insolatur per triduum: quibus transactis, primis floribus exemptis & proiectis, aliæ duæ unciæ per sequens triduum immittuntur, & sic reponuntur.

Susinum lilinum ue compositum.

Olei sextarij tres, calami odorati libræ quinq;, myrrhæ quincunx, cardamomi libræ tres, foliorum lilij detractis unguibus marcescẽtium libra, cinnamomi quadrans, croci Cilicij quincunx. Præparationem uniuersam in treis iniectiones diducito. Primum, myrrham & calamum uino per quinque dies macerata, ter in die agitemus: post hæc oleo quamminimum decoquamus. Secundò, cardamomum aqua maceratum per triduum commouebimus, pari rursum ratione cum oleo ad horam unam simul elixemus: quibus deinde exemptis, oleo puro liliorum tertiam partem inijciamus: & lapso iam triduo, his quoq; exemptis, tertiam liliorum aliam partem inijcito: quam iterum post triduum exemptis ac proiectis primis, ultimam liliorum tertiam partem cum croco læuigatam immitte: transactis tribus alijs diebus oleo detracto, cinnamomum contusum indito. Loco huius arnabo, uel caßiæ duplum, uel carpesium inijce, & reponito.

Iaton, id est uiolaceum.

Violaceum, alij quidem purpurarum, aliqui uerò crocinorum, alij albarum uiolarum, unguibus detractis, foliorum uncias treis, in olei omphacini Italicos sextarios quinque inijcientes, præparant: & accuratè ne liberius euaporet, undique constringentes, decem diebus insolare solent, ter ipsa post triduum commutantes, perinde atq; lilia. ad conseruandum præterea pauca quædã exact e arida immittunt.

Melinum.

Conficitur melinum è malis cotoneis, exteriore pāniculo subactis, & cum corticibus suis in frusta concisis: deinde ipsorum uncijs tribus in olei omphacini sextarios Italicos decem iniectis, & quadraginta dierum spacio insolatis.

Sesaminum.

Oleum sesaminum fit, contritis aut contusis sesamis, & per fiscellas in testulā expreßis, in aqua calida oleo ipso sequestrato, & uitreis uasculis reposito.

Rhaphaninum.

Raphaninum quoque in Aegypto è raphanorum gracilium radicum contuso & selecto semine, cæterorum more conficitur.

Rhicinini pręparatio.

Et illud cæterorum modo in Aegypto fieri consueuit ex semine rhicini, quod ab insecti similitudine croton appellatur, compari more contuso, uel læuigato.

Olei populei confectura.

Veris tempore, quando magna circa semen resinæ est copia, præparatur ægirinum. grana nanque nigræ populi conquaßata unc. quatuor, in dulcis olei sextarium immittūt, & dies quadraginta insolant, uel in cacabo tribus horis decoquunt, & ita colata reponunt.

Oleum amygdalinum.

Conficitur etiam amygdalinum prædictorū more: amygdala amara & pura contunduntur, & aqua exigua inspārguntur, &, ceu dictum est, sequestrantur. Quidam autem conquassatorum amygdalorum sextantem in dulcis olei Italicū sextarium immissum, in lebete elixant.

Amygdalinum, quod & Metopium nuncupant.

Aegyptij huius olei inuentores, Metopium ipsum appellauerunt, eo quod galbanum accipiat. planta nanq;, ex qua galbanum emergit, metopium nuncupatur. Constant autem ex olei omphacini sextarijs uiginti, amygdalorum amarorū

rorum libris duabus, cardamomi libra, floris rotundi, iunci odorati, calami odorati, carpobalsami, singulorum libra, myrrhæ, galbani, cuiusq; uncijs sex, terebinthinæ libris duabus, uini perodori ad arida maceranda sextarijs quatuor, mellis Attici libris tribus. Resinam & galbanum læuigata, cum parte olei soluta alijs decoctis inijciemus, & ipsum mel: mixta uerò diligenter omnia, auferentes ab igne, dum adhuc tepidum est, colemus: spissum nanque euadit refrigeratum.

Balaninum.

Balaninum quoque oleum simili cũ amygdalino ratione præparatur, ex querneis glandibus.

Carinon, id est ex iuglande.

Nuceum quoque ad balanini instar ex iuglandibus uetustis conficitur.

Laurini faciundi ratio.

Purum quidem laurinum consimilem faciundi rationem habet, ex bacca lauri. mixtum uerò hoc modo conficitur: maturarum oliuarum sextarius in baccarum lauri sextarios duos inditur, conteruntur omnia, et exprimũtur. Sunt qui utriusq; æquale pondus misceant.

Lentiscinum.

Lentiscinum oleum ut laurinum præparatur, ex fructu lentisci bifariam, quum per se, tũ adiectis oliuis non maturis.

Mastichinum.

Mastichinum simplicißimum hoc modo paratur. Mastiches in Chio insula natæ uncia, omphacini olei sextario Italico permiscetur, & in olla decoquitur: nonnulli uerò absinthij & styracis, cuiuslibet unciam adijcere consueuerunt.

Mastichinum magis uarium.

Olei sextarij quinquaginta, inulæ campanæ libræ quinque, xylobalsami libræ decem, florum iunci rotundi libræ quinq;, cardamomi lib. 7. mastiches lib. 5. xylomastiches lib. 8. terebinthinæ lib. tres, absinthij comæ lib. uini odorati sex-

tarij quinque, aquæ ſextarij decem. Maceratæ uino res ari-dæ ante triduum commiſcentur oleo & aqua, & elixantur horas ſex, tum: que maſtiche & terebinthina inijciuntur, & exactè commixta & infrigidata depurantur, & transfuſa reponuntur.

Sicyonium ſimplex.

Præparatur ex radice cucumeris ſylueſtris exiccata, uncijs duabus, in olei Italici ſextarium iniectis, & in caccabo decoctis.

Sicyonium compoſitum.

Olei ſextarij decem, cucumeris agreſtis radicis deraſæ libra, ſerpylli, meliloti, ſingulorum unciæ ſex, tædarum piccearum pinguium, althææ, ſingulorum quincunx, ſcolopendrij unc. ſex, fœnogræci ſextarij duo. Præmaceratur fœnogræcum aqua primo diem unam, deinde colatur, & immittuntur dictis cum oleo & uini ſextarijs duobus: omnibusq́; decoctis, adijciuntur med illæ ceruinæ cum olei momento læuigatæ unc. quatuor, adipis gallinarum totidem, ac denuò colatum oleum alio uaſe recondito. Nec de ſunt qui ipſum poſt decoctionem dies quadraginta inſolant.

Aliud Sicyonium efficacius.

Elaterij ſucci ſextarios treis: ariſtolochiæ rotundæ & lõgæ, ſtyracis, inulæ campanæ, hyſſopi, ireos, colocynthidis, pulegij, origani, iunci quadrans, thuris arboris, centaurij, foliorum lauri, uniuſcuiuſq; ſextantem, olei ſextarios quinque: mixta, uſq; dum ſucci exiguum relinquatur, decoque.

Cyprinum ex monumentis Poſidonii.

Olei ſextarius, cyperi, inulæ campanæ, iridis, ſingulorum lib. ſampuſchi, hyſſopi, ſeminis uiticis, ſaluiæ, cuiuslibet quadrãs, floris cyperi lib. Alia quidem omnia uino per diẽ prius macerata, elixãtur cũ oleo horis ſex: exẽpto oleo puro, cyperus inijcitur, ſi quidem ad manum ſit, uiridis, cum mollibus tenellisq́; ramulis incontuſis: ſin minus, certe aridus. Contuſus cum exigua aqua, coquetur hora una & dimidia. Quod ſi

uolueris ipsum tingere, postquam remotum ab igne fuerit, in sere æruginis puri libram unam cum dimidia. Cæterùm Posidonius ferruginis uitans acrimoniam, post decoctionem (inquit) per triduũ oleum in lebete perudo finito, tingeturq; ita ut uirtus ipsius non lædatur.

Alia descriptio Cyprini.

Foliorum iunci quadrati, foliorum lauri, iridis, cyperi, saluiæ, singulorum unciæ tres, arboris thuris, aristolochiæ longæ, seminis uiticis, cuiusq; unciæ quatuor, inulæ campanæ, aspalathi, cuiuslibet unciæ sex, rutæ sextans, cupreßi tantundem, olei sextarij decem. Hæc antea uino macerata oleo decoque: & ubi colata fuerint, inijce rursum xylobalsami, & ligni caßiæ, singulorum trietem, sampsuchi, cymini, myrti, styracis, mastiches, cuiusq; quadrãtem, opopanacis sextantem, floris cyprini uncias sex, æruginis unciam.

Amaracini compositio.

Inulæ campanæ libræ decem, ligni balsami libræ uiginti, cyperi libræ octo, floris rotundi iunci odorati, aspalati, herbæ sabinæ, singulorum libræ octo, opopanacis, seminis amaraci, cuiusq; libræ duæ, olei præcipui honoris sextarij duo, uini odorati sextarij quinq; : alia quidẽ omnia primam iniectionem uino irrigata constituunt: secundam autem, herba sabina. & illa quidem sex horis decoquantur, hæc uerò tribus. Quidam autem etiam illam tingentes, ferruginis quadrantem adijciunt.

Irini conficiendi ratio.

Iridis, aspalathi, cyperi, singulorum libræ quinq;, ſucci panacis drans, anchusæ sextans, olei sextarij triginta, aquæ sextarij quindecim. Sunt qui ad hæc floris etiam iunci rotundi uncias sex apposuerint, caßiæq; quadrantem, xylobalsami uncias sex, nardi Celticæ uncias sex. Omnia cõtusa aqua & oleo diebus quinque prius macerata, in cacabo horis sex elixentur, & deponantur.

Crocinum, in quo alterius etiam crocomagmatis compositio.

Olei omphacini amœni odoris libra, calami aromatici libræ quinque, myrrhæ troglodyticæ quincunx, cardamomi unciæ septem, croci ex Cilicia unciæ sex: primò quidem inijciatur calamus, & myrrha uino læuigata, prius reposita uncia, piperis albi grana quadraginta, myrrhæ troglodyticæ denarius, contusa & cribrata rursum in pila cōtere, adiecta olei nardini libra: quo autē atrius reddatur medicamentum, nucum cortices combustos & cōtritos in pilam conijce, deinde opobalsami cochliaria tria, ceræ sesquilibram adijce.

De œnanthariis. Cap. 21.

OEnanthina non inde appellationem sortita sunt, quòd œnanthen, hoc est labruscā suscipiant (quoniam nonnulla œnanthen non recipiunt) sed uinum ipsius, liliorum item flos nomenclaturam indidit. Cæterùm œnanthariorū usus à quibusdam solius fragrantiæ & deliciarum gratia adhibetur, ita ut eis utentes, post lauacra perfundātur, mensæq; ijsdem cum spongia abstergantur. Cæterùm rectè utentibus etiam præsidia conferūt, tum in dissolutis, tum syncope oppressis, si roborantibus stomachum cataplasmatis admisceantur: his item qui ex morbo, maximè febrili refocillantur, si post lauacrorum exitum toto corpore perfundantur, & naribus etiamdū spirantibus adhibeantur. trahuntur nanq; in altum, & cùm animalem, tum uitalem spiritum corroborant. Conducunt præterea his qui præcauere, ne in morbos pestiferos incidant, student, quum aer huiusmodi mutationem habet. Est autē Posidonij, quod mesopotamenon appellatur, unguētum huiusmodi.

Oenanthii præparatio.

Caßiæ, myrrhæ, thuris, folij, amomi, mastichæ, costi, carpobalsami & opobalsami, uniuscuiusq; quadrans, styracis pinguis triens, uini odorati Aminæi Italici sextarij decem. Contusa omnia, & per secerniculū traiecta, styracem uerò in tenues partes diuisum, in spaciosi oris lagenam cum folijs liliorum

liliorum pridie tabefactorum, & unguibus detractis è domo una in alteram componito: sint autem lilia numero trecẽta: deinde uinum infunde, & opobalsamum, mixtaq; simul & commota ante iniectionem, obstructoq; ore lagenæ dies quadraginta insolato, & balneo post restitutam sanitatẽ utere: & domo uasisq; ungento aspersis, & spongias etiam eodem imbutas faciei adhibeto.

Alia compositio nostra.

Costi quadrans, spicæ nardi, arnabo, cariophylli, singulorum uncia: amomi quadrans: caßiæ, œnanthes, calami, cuiusq; dodrãs: styracis, opobalsami, cuiuslibet triens, lilia trecenta, uini Phalerni sextarij decẽ. Præparantur pari modo.

De thymiamatis & Cyphi. Cap. 22.

CYpheos materia media inter ea quæ in potu sumuntur, & antidota est. Vsus ipsius existit, nũc quidem grati odoris gratia incensi, quemadmodũ & thymiamatũ: nunc uerò narib. admoti, quo destillationes à capite in partes subiectas & coryzas cõcoquat, obstructiones reseret, cerebriq; cauernas expurget: & ad pestilentiales morbos euitandum. Iam per os etiã assumitur, cùm hæc cõtra, tum ut pectoris craßos humores concoquat, & aduersus iecinoris frigidiores afflictiones: unde prisci quoque cyphoides antidotos inuenerunt. Temperatur autem remedijs compositis, sed potißimè epithematis & antidotis.

Rhosatum thymiama.

Habet costi, amomi, myrrhæ, caßiæ, singulorum unciam, styracis chiæ, bdellij, conchulæ Indicæ, musci, ladani, uniuscuiusq; denarios duos, rosarum purgatarum uncias undetriginta, succi balsami momentum, uini quantum satis est.

Thymiama Crinatum.

Liliorum unguibus detractis libram, styracis primi meriti dodrantem, spicæ nardi quadrantem, costi, caryophylli, amomi, mastiches, conchularũ Indicarũ crematarũ, mellis, singu-

ſingulorum ſeſcunciam, opobalſami quincuncem, uini quantum opus eſt, læuigato, & in paſtillos digerito.

Cyphi magnum, quod Iliacum, id eſt Solarium cognominant, ex ſpeciebus XXXVI.

Styracis, bdellij, myrrhæ, ladani, aſpalathi, inulæ Campanæ, cuiuſque unciæ ſex: nardi Gallicæ, folij, ſeminis cupreßi, guttæ ammoniaci thymiamatis, pineæ nucis nuclei, ſplanchni, uel loco ipſius conchularũ Indicarum ingentium, fructus balſami, ſingulorum quadrans: caßiæ, ireos, ſeſeleos, ſphagni, cyperi, cardamomi, calami odorati, cuiuslibet quincunx: roſarum aridarum, croci, ſpicæ nardi, herbæ ſabinæ, aſphodeli radicis, alij uerò ſucci, ſingulorũ triens: lacaphthi (eſt aũt pini cortex) uel alterius cuiuſpiam arboris dodrans, coſti, floris rotundi iunci odorati, cuiuſq; ſextans: baccæ iuniperi magnæ quadraginta, & paruæ quinquaginta, amomi, reſinæ terebinthinæ, palmularum purarũ, cuiuſq; libra, ficuum aridarũ acinis exemptis, uuarum paſſarum ex acinatarum, uniuſcuiuſq; libræ duæ, mellis deſpumati libræ quinque. Poſidonius uini quoq; odorati ſextarios treis adijciebat.

Aliud Cyphi ex uigintiocto compoſitum, Seleniacum, id eſt Lunare appellatum.

Bdellij, inulæ campanæ, ſingulorum ſeptunx, rotundi iunci odorati ſextãs, ſphagni quincunx, baccæ iuniperi exiliores quinquaginta, cardamomi quincunx, aſpalathi ſeptunx, caßiæ fiſtulæ quincunx, ſpicæ nardi ſextans, cyperi quincunx, radicis albuci, herbæ ſabinæ, ſingulorum triens, ſeminis cupreßi, nardi Gallicæ, malobathri, cum folijs roſarum aridarum, cuiuſq; quadrans, coſti, croci, ſingulorum ſextãs, ladani, myrræ, cuiuslibet ſeptunx, caricarum pinguium, uuarum paſſarũ uinaceis exemptis, uniuſcuiuſq; libræ duæ, nucleorum pineorum bes, reſinæ terebinthinæ libra, ſtyracis ſeptunx, palmularum pinguium libra, mellis libræ quinq;, uini fragrantis quantum ſatis eſt.

Præpa-

Præparatio Mastucha, quod uocant nonnulli Masuaphium. Cap. 23.

SErtulæ campanæ deunx, ligni balsami, asphalasti herbæ sabinæ, myrrhæ, amomi, floris rotundi inucio dorati, foliorũ lauri, myrrhæ stillaticiæ, styracis, calami odorati, sampsuchi, singulorũ sextans, ireos quincunx, folij, croci, uniuscuiusq; uncia, opobalsami uncia dimidia, gummi libra, rosarum siccarum unciæ sex, uini quod satis est.

De pessis, ex Antyllo. Cap. 24.

PEßi mulierum utero admouentur. sunt autem differentiæ eorũ generatim tres. alij nanq; emolliendi, alij uerò astringendi, alij deniq; uasa meatusq; aperiendi uim obtinẽt. Emollientium in fœminarum locellorum inflammationibus, hulceratione, perfrictione, suffocationibus, auersionibus, ac inflationibus deniq; usus est. Conficiuntur autem è cera Tyrrhenica, cyprino, susino; pinguedine anserina uel gallinacea, butyro insulso, resina deusta, medulla ceruina, fœnogræco, & id genus alijs. Aperientibus autem utimur, ubi menstruam purgationem retentam prouocare, uel uteri conniuentiam, aut compreßionem ipsius emendare statuimus. Fabricãtur eiuscemodi ex melle, artemisia, dictamno, braßicæ succo, glycyrrhiza, liquore porri, ruta, scammonia, & consimilibus. Astringentes autem contrariam facultatẽ, his quæ aperiunt, præstant: muliebre nanq; profluuiũ comprimunt, laxum contrahunt uterum, & prolapsum restituunt. Astringentium materia iampridem capite de Collyrijs enumerata est. Oportet autem peßi craßitudinem strigmentosam, pauloq; craßiorem efficere, deinde lana gracili penicillo tortili, ex linteolis conceptis simili duplicata, medicamentum excipere, locellorumq; muliebrium ori apponere, sic ut stuppam oblongam propendentem habeat, quo facilè, dum uidetur, liceat pessulum extrahere.

Pessulus croceus, ad inflammationes, uersiones, duritias, & inflationes.

Ceræ dealbatæ, medullæ uituli, singulorũ denarij sedecim.

medullæ ceruinæ denarij undecim, adipis anserini denarij octo, adipis gallinacei tantundē, mastiches denarij quatuor, œsypi pharmaci treis, mellis duos, croci octo, rosacei quantum opus est. Crocum lacte humano diluitur.

Aurei coloris emolliendi uim habens pessulus primi meriti.

Croci, œsipi, singulorum denarius, medullæ cerui denarij duo, resinæ terebinthinæ, ceræ, adipis anserini, cuiuslibet denarij tres, ouorum assatorum uitelli sedecim, irini & rosacei, utriusq; æquali modo quantum satis est.

Pessus Libanius menses ciens, & ad uteri affectiones eximie conducens.

Nardi unguenti unciæ sex, ceræ Tyrrhenicæ quincunx, susini unguenti triens, adipis porcini non ueteris quadrans, adipis anserini & gallinarum, medullæ ceruinæ, unguenti amaracini, singulorum sextans, seui taurini, resinæ terebinthinæ, œsypi, cuiuslibet uncia. Eliquātur in diplomate, quemadmodum omnes cæteri pessi.

Enneapharmacus, id est e nouem rebus constans pessus.

Rosacei unguenti, rhicinini, resinæ terebinthinæ, ceræ, mellis, adipis anserini & bouilli, medullæ ceruinæ atq; butyri, æquales partes.

Tianus, emolliendi ui præditus.

Ceræ unciæ sex, colophoniæ unciæ quatuor & dimidia, adipis taurini, guttæ ammoniaci thymiamatis, singulorum unciæ quatuor. Guttam ammoniacam aqua dissolue.

Pessus cognomento Aegyptia.

Mellis, resinæ terebinthinæ, butyri, rosacei, uel susini, croci, singulæ partes. In his autem quæ inflammatione uacant, & sordidis, ferruginis quoq; semissis inditur.

Gone ad concipiendum.

Habet butyri uncias sex, œsypi pharmaci, medullæ ceruinæ, adipis anserini et gallinacei, resinæ terebinthinæ, aloes, singulorum quadrantem, ceræ Tyrrhenicæ uncias sex, rosacei

cei libras duas, myrrhæ, caßiæ, uniuscuiusq; sextantem, spicæ nardi unciam, mellis quantum satis est.

De Succedaneis, hoc est quæ inter se commutantur, medicamentis, ex monumentis Galeni. Cap. 25.

QVum in Alexandria mulier quædam (inquit Galenus) graui morbo cum discrimine conflictaretur, lychnida mihi postulaui: quæ quum ad manum non esset, nisi cõfestim lychnidis loco acanthy semine, cuius tum copia erat, usus fuissem, mulier interyßet. Proinde amicorum precibus uictus, hanc de subsidiaria reciprocorum medicaminum commutatione expositionem iuxta alphabeti ordinem aggressus sum.

A

ABrotani loco sumitur Origanum.

Absinthy, Abrotanum.

Acaciæ, Lentisci succus.

Acãthæ, Cerasiorum acãthi.

Acanthy seminis, Semen lychnidis.

Aconiti, Radix ireos syluestris.

Acori, Asari radix.

Acteæ, Glaucium, aut impuberis alui excrementum.

Actæ, Acantha.

Adianti, Aphroselinum.

Adipis uulpini, adeps ursina.

Adipis ceruini, adeps anserina.

Aeruginis ferri, excremẽtum ferri.

Aethiopicæ oliuæ, lachrymæ acaciæ partes duæ.

Agarici, Euphorbium.

Agriostaphidis, Dactyli Syriaci.

Alicacabi, Semen solani.

Aloes Indicæ, Aloes uiridis folia.

Alterci seminis, semẽ rubicanini, uel glauciæ, uel stercus ibidis, uel lycium, uel centaurium.

Aluminis, sal foßilis.

Amianti, aphroselinon.

Ammi, Anisus.

Ammoniaci thymiamatis, Propolis.

Ammoniaci salis, Sal Cappadocum.

Amomi, Acorus.

Amyli, Aridus pollen.

Amygdalorum amarorum, Absinthium.

Anacar-

Chal-

Ericæ fructu, Galla omphacitis.
Erini folijs, Fimus ibidis.
Brisei folijs, Mori folia.
Erucæ semine, Erysimi semen.
Erysimi semine, Struthium
Euphorbio, Stercus palūbis.
Eupatorio, Chamæpytis.

F

FEllis cameli uicem gerit, Fel ascalabotæ.
Fellis muris aranei, Fel cameli.
Fellis hyenæ, Fel perdicis.
Fellis simiæ, Fel cameli.
Fellis uiperæ, Fel ichneumonis.
Fimi palūbini, fimus columbæ.
Fimi æluri, Fimus ichneumonis.
Floris salis, Sandaracha.
Floccium uini, seu feculæ, Sandaracha.

G

GYmnasiorum strigmentum, succedit gallæ.
Galbani, sagapenum.
Gentianæ radici, Apij odorati radix.
Glichoni, Hyssopus.
Glycyrrhizæ succo, Sicamini succus.
Gongilidi, Heliotropium.
Gryphonis retrimenti, fimus columbinus.

H

HEderæ succo, Persici succus.
Hedichroo, Amaracinū.
Humida pice, Succus panacis.
Hyacintho, Flos isateos.
Hyenæ adipe, Vulpis adeps.
Hyenæ felle, Fel perdicis.
Hyoscyami semine, Rubicanini semen.
Hyperico, Anethi semen.
Hypocistidis succi, Acaciæ succus.

I

IOntis uice, sumitur Atramentum.
Ippuridis, Chamæpytis.
Iridis Illyricæ, Helenium odoratum.
Iteæ succi, Succus leisßiatri.
Iunci odorati, Cardamomum.
Iūci rotūdi, polygoni radix.

L

Lachrimæ papaueris, succus mandragoræ accipito.
Ladani, Sampsuchum.
Lanariæ radicis, ueratri nigri radicem.
Lapathi radicis, Pyrethri radicem.
Lapidis pyritæ, Lapidem pyro-

Oliuæ Aethiopicæ, Lachrymæ acaciæ partes duæ.
Oleæ lachrymæ, Hypocistidis succus.
Omphacis, Galla immatura.
Onocardiæ, Psicolotanis.
Opobalsami, Succus myrsitini.
Opocarpasi, Liquor myrti.
Opopanacis, Lac sycamini.
Orizæ, Hordeacea farina.
Ormini, Lini semen.
Oenithogallorũ, Anthalli.

P

PApaueris locum supplet Mandragoræ succus.
Peristereonis, Chameleuce.
Picis liquidæ, Opopanax.
Pityocampæ, Vespæ in cedria.
Piperis, Zingiber.
Polij seminis, Semen erucæ.
Polypodij, radix Chamelææ, uel Chamæleontis.
Polytrichi, Absinthium.
Populi nigræ surculorum, sampsychus.
Propolis, Ladanum.
Psilij, Lenticula palustris.
Pterei, Cneori semen.
Pulegij, Hyssopus.
Pyrethri, zingiber.
Pumicis, terra Cretica.
Phu, Sphagnus.
Phuci, Anchusa.

Q

PRo Quercus uisco, Chamæleon.

R

LOco Rapæ, Heliotropiũ.
Radicis rumicis, Cinira.
Rhaphanini olei, Rhicininũ.
Resinæ piceæ, Resina terebinthina.
Resinæ colophoniæ, Apochyma.
Rhodœidis, Sinopis.
Rosarum siccarum, Persææ folia sicca.
Rotundi iunci odorati, Cardamomum.
Rhu, Centaurium.
Rubi canini, uesicaginis semẽ.
Rubiginis ferri, Scoria ferri.
Rubrica pictorum, Misi cyprium.
Rumicis, Pyrethri radix.
Recremẽti plũbi, Helcisma.
Recremẽti Cyprij, Atramẽtũ metallicũ Ægyptium.

S

LOco Sabini, accipitur Oleum rhicininum.
Sagapeni, Pini resinæ arida.
Salamandræ, Lacerta uiridis.
Salis ammoniaci, Sal cappadocicum.

docicum.
Saluiæ, Nepita.
Sãpsuchi, Rhus Megaricus siccus.
Santonici, Abrotanum.
Sarapoidis, Radix pæoniæ.
Satyrij, semen Erucæ.
Scammoniæ, Crotones rhicini.
Schœni odorati, Cardamomum.
Schini, Polygoni radix.
Scillæ, Bulbus.
Scingi, Satyrium.
Scordij, Caput albi papaueris.
Scoriæ plumbi, Helcisma.
Scoriæ Cyprij, Melanteria Aegyptia.
Seminis hypocistidis, Tragacanthæ semen.
Sẽperuiui liquoris, Lactucæ succus.
Sepiæ testæ, Pumex.
Serpylli, Potamogiton.
Sesami, Semen lini.
Sesamoides, expressum amaracinum.
Sinapis, Cardamomum.
Sisonis, Anisi.
Sisymbrij, Ocimum uel Basilicum.
Sparagi Lybicæ, Radix fœniculi.
Sphagni odorati, Rotundus iuncus odoratus cultus.
Sphec le, Sandaracha.
Sphodeli, Cypriæ cinis.
Staphydis satiuæ, Dactyli.
Stercoris uulturis, Fimus columbinus.
Stercoris turturis, excremẽtum palumbinum.
Stimmeos secti, Squama æris.
Styracis, Castorium.
Strobilorum, Semen cucumeris.
Struthij radicis, Radix ueratri nigri.
Strychni radicis, Veratrum nigrum.
Succi carpasi, Succus myrti.
Succi peucedani, Succus glycyrrhizæ.
Succi rhododaphnes, Viscus quercinus.
Succi fici, Succus mori.
Succi Cyrenaici loco, Succus Syriacus.
Succi papaueris, Succus mandragoræ.
Succi salicis, Nigræ hederæ succus.
Succi gallæ, Succus mori.
Succi mori, Succus hederæ.
Succi Syriaci, Mori succus.

Succi panacis, Lac Sycamini.
Succi polygoni, Succus plantaginis.
Sulphuris uiui, Sandaracha.
Symphyti, Centaurium.
Syrici, Spuma argenti.

T

VIcem terræ Samiæ gerit Leucographe Aegyptia.
Terræ Erythriadis, Calx Thebaica.
Terræ apalæ, teneræ'ue, Plũbago.
Terræ asteris, Cimolia.
Thapsiæ, Elydrion.
Thapsiæ succi, Chamæleõtis atri succi.
Thermutiadis, Lycopsolos.
Thymi, Satureia.
Thuris, terra ampelitis.
Tithymalli, Chamæleon.
Tiscendræ, Asphodeli radix.
Troximi, Maiunium.
Trixaginis, radix rumicis syluestris.

V

VErbasci loco sumitur Chameleuca.
Veratri nigri, Radix papyri.
Vini Italici, Vinũ Mendesiũ.
Vuæ passæ satiuæ, Palmulæ synacæ caro.
Visci quernei, chamæleon ater.
Vulpini adipis, Vrsinus adeps.
Vulturis stercoris, fimus colũbinus.

X

XYlobalsami loco, Violarũ albarum radix.

Z

ZIngiberis uice, Pyrethrũ.

De ponderibus & mensuris. Cap. 28.

POnderis mensura grauitate dijudicatur: mensura, concauitate uasis. Vas autem siccæ quantitatis aut humidæ mẽsura est. Est igitur quantitatis quæ mensuratur, triplex differentia: una quidem ponderis: altera aridæ essentiæ, quæ ueluti in cumulum potest aggerari: tertia liquidarũ rerum est. Quum autem plurima & infinita ferè pondera ac mensuræ, pro regionum diuersitate, & eorum qui utuntur consuetudine existant, de ijs modò quæ in communi maximè omniũ usu tenentur, mentionẽ facere instituimus.

De

De ponderum & mensurarum notis.

Quandoquidem autem aliqui non integris literis, sed per characteres, notasq́;, quum pondera, tum mẽsuras significãt: satius fuerit nos quoq; priscos in hac parte sequi, primitusq́; ipsos characteres explicare. Principio igitur χ *literæ quotiens* α *insidet, Chalcum, hoc est, æreolum eiusmodi figura* χ^{α} *portendit: si uerò* ο *incumbat, choan, id est congium signat, hoc modo* χ^{o}. *si* οι, *choenicẽ*, χοι. *si* η, *chemã*, χ^{η}. Cæterũ K *siquidem* ε *literã incumbẽtẽ habeat, cũ recta linea inferius cornu per obliquũ secãte, ceratiũ, id est siliquũ demonstrat, sic* K^{ϵ}. *Sin* υ *supra* K *insideat, cyathũ*, K^{υ}. *si* ο, *cotylã, hoc est heminam*, K^{o}. *Quod si linea utrinq; in obliquũ circumflexa nihil aliud circũstãte pingatur, obolũ ostẽdit*, ∽. *si geminæ, quas nihil circũstat, lineæ ponũtur, binos obolos significant*, ∽∽. *qui grãma, hoc est scrupulũ faciũt, quod litera* γ *annexum habẽs* ϱ, *à recta quadã linea dissectũ, significat* γϱ. *Duæ autẽ lineæ copulatæ, atq; altera extremitate in angulum flexæ instar* K *duorum cornuum ad rectam lineam spectantium, drachmam, qui denarius est, ostendunt*, ∢, *cui cognominis est quam holcam indigitant.* Propriè autem holcam λ *cui in medio litera* o *adiecta est, protendit, hoc modo* λ. *At ubi ipsi* λ *appositum* ι *est, libram declarat*, λι. *Nonnulli uerò eadem litera ab altera literæ* λ *linea obliquè diuisa libram significant*, λ. *Porrò quum* γ *litera in ipso sui angulo* o *adijacentem habet, unciam indicat*, γο. μ *uerò ubi in uerticis medio* υ *superimpositum habet, minam* μ^{υ}. *Sin* υ *habeat, mystrum*, μ^{υ}. *Si* ε, *medimnum*, μ^{ϵ} *Si* ο, *modium denotat*, μ^{o}. *Cæterum* τ *cui* ϱ *cum* υ *apposita est, triblion significat*, $\tau\rho^{\upsilon}$. ξ *supra se* ε *positum habens, xestam, id est sextarium*, ξ^{ϵ}. *si* ° *suprapositum, oxybaphũ, id est acetabulũ* ξ^{o}. *Quidã uerò xestam per* ξ *literã recta linea sectã designant ad hunc modũ* ξ. *Si* η *incũbit literæ* μ, *heminã ostẽdit, sic*, μ^{η}. η *complectẽs* ϱ, *incũbẽte litera* μ, *ceramiũ significat, hoc modo* K^{m}.

De ponderibus.

Mina Attica & Aegyptia uncias continet		16
Mina Romana	Vncias habet	20
Libra	Vncias	12
Vncia	Drachmas, id est denarios	8
Drachma	Scrupulos	3
Scrupulus	Obolos	2
Obolus	Siliquas	2
Siliqua	Aereolos 2. duasq; tertij partes Ital.	
Obolus comprehendit Aereolos		8

De liquidis mensuris.

Ceramium Italicum complectitur congios	8
Congius, siue Chus, Sextarios	6
Sextarius Heminas, quæ & tryblia dicuntur,	2
Hemina, siue tryblium, magna Mystra 3. acetabula uerò	4
Magnum enim Mystrum habet acetabulum	1
Acetabulum continet Cyathum	1.5
Cyathus Chemas paruas, aut mystra parua	11

Quod si ponderum liquidarum rerum mensuram dijudicare laboras, permulta quidem in examine suo deprehēdes discrimina, quemadmodum in olei, uini, & mellis exemplo explanabimus. Mel igitur grauius quàm uinū quarta parte ac decima est, quo fit, ut pars ponderis tantum non tertia melli accedat: habet etenim eadem uini mellisq; mensura totum uini pondus, & insuper eius tertiam. Oleo uerò mel dimidia parte grauius est. complectitur enim totū olei pōdus, & eius præterea dimidium. Vinum uerò nona parte oleum grauitate excedit. totum nanq; ipsius pondus et nonam eius partem continet. Quæ res ut dilucidior reddatur, omnium mensurarū pondus, formula subiecta, tanquam in tabula depicta, sigillatim subiungemus, ut quid hæc communiter dißideant, liquidò constet, liquores hosce, oleum, uinum, & mel, ex ordine ob oculos constituentes.

Italicum

Italicum ceramium continet libras

Olei 72.	Vini 80.	Mellis 108.

Chus siue congius continet libras

Olei 9.	Vini 10.	Mellis 13.5.

Sextarius continet uncias

Olei 18.	Vini 20.	Mellis 17.

Cotyla seu hemina continet uncias

Olei 9.	Vini 10.	Mellis 13.5.

Magnum mystrum continet uncias

Olei 3.	Vini 3. scrup.8.	Mellis 4.5.

Acetabulum continet drachmas

Olei 17.	Vini unc.2.scrup.12.	Mellis drach.27.

Cyathus continet drachmas

Olei 12.	Vini 12.scrup.4.	Mellis unc.2.den.2.

Mystrum paruum continet drachmas

Olei 6.	Vini scrup.20.	Mellis denar.9.

Cæterùm Oribasius secundum Adamantium asserit, sextarium quidem Italicum, mensura uini habere uncias uigintiquatuor, pondere uerò libram uncias octo: sextarium autem mellis librarũ duarum cum dimidia pondus complecti.

De mensuris aridorum.

Aegyptia Artaba continet	Modios 5.
Modius Aegyptius & Italicus	Chœnices 8.
Chœnix complectitur	Sextarios 2.

Sextarius, semisextarios, quos & heminas nuncupant, 2.

Hemina comprehendit	Cyathos 8.

Atticus Medimnus hemiecta, id est semisextarios 12.

Hemiectum siue Semodius continet Chœnices 4.

Sic Medimnus continebit Minas 48. Sextarios 96.

Istiusmodi autem mensurarum pondus exprimere expeditum non est, quòd aridarum rerum discrimina iuxta lancis momentum infinita existant.

PONDERVM, QVIBVS VSVS *paßim interpres eſt, nomenclatura & expoſitio.*

Duodecima pars aßis	Vncia, græcè οὐγκία. 1.
Sextans	Vnciæ 2
Quadrans	Vnciæ 3
Triens	Vnciæ 4
Quincunx	Vnciæ 5
Semis uel ſemißis, & ſelibra, ſeunx	Vnciæ 6. uel lib. 5
Septunx	Vnciæ 7
Bes uel beßis	Vnciæ 8
Dodrans	Vnciæ 9
Dextans	Vnciæ 10
Deunx	Vnciæ 11
As, uel aßis, libra, pondo	Vnciæ 12
Dupondo	Libræ 2
Tripondo	Libræ 3
Seſcuncia	Vncia 1.5
Semuncia	Vncia 5
Denarius	Drachma 1

PAVLI ÆGINETÆ LIBRI SE- *ptimi & poſtremi finis,* Albano Torino Vito- *durenſi interprete..*

ERRATA.

Pag.10.uers.28.Inflammatoria 14.3.brumæ et 11.mer curiali 22.5.sed os 24.9.ipsius 29.6.noxiam 45.28.ab sorptos 46.16. obstructos 58.19.dura et 20.gammari et 24 terrestris 75.23.naturalis & 25. altitudine 76.15. differentijs 77.3.longum & 8.contractionis 79.26. au tem 85.26.corpus 86.7.quietis 107.17. moliendam 112.6.inunctiones 113 penult. esculenta 130.4.ceu 137. 8.elaterium 143.2.aliquot 147.4.ex 149.7.iecur 151. 4.adhibendæ & 19.tardam 153.21. fit 161.20 medicamenta 164.28. conuulsionib. 168.30. scarificato 169. 20. Attici 179.antepen.impositi 207.10.uelut obtorto 209.13.extrahatur 244.19.succus 245.18. refertur 250.ult.huc 363.7. non inquinet 269.23. immitte 247. 21. enneapharmacum & 22. Est autē 279.2. decocta 287.penult.narib. 290.16.horminum'ue 295.10.infans 302.20.humorib. 321.ult.cardamomum 333.25.pondere 345.22.Dioscorides 391.2. eis 396.9.Ab 418.12. celerem & 23.summatimq; 420.17.& susp. 430.17.Musculorumq; 435.18. palpebra 439.2.maiore 451. penult.sanguinis 461.28.interuallum 499.2.regioni et 26. denudatam 501.6.catus 511.ult.Tantum 523.28.ferulas 526.8.magnus 528.28.existit.

In cæteris æquus lector minus offendetur.

DE PAVLO AEGINETA, HIEronymi Gemusæi iudicium.

Paulus hic noster, ut propria quidem philosophiæ naturalis principia non attigit, quippe quæ ad superiorem artificem pertinent: ita quæcunq; ab hisce deinceps sequuntur, atq; artis medicæ peculiaria sunt problemata, ea uniuersa in hanc Epitomen digeßit. Eaq; propter, nostro seculo hic autor profectò longè est accommodatißimus. Siue enim hominem in Physicis quæstionibus exercitatum accipiat, ab illis ipsis quæ in naturali philosophia is postrema didicerit, exorsus, reliquam artem totam superstruit, & magno certè compendio omnibus modis absolutißimum artificem facit, dum ea quæ multi non sine magno negocio, & nonnunquam cum auditoris fastidio in medium adferunt, in iucundißimam & facillimam breuitatē redigit: siue is ignarum & philosophiæ rudem auditorem sit nactus, tum iubet ut subiectis problematibus, quæ apud Naturales postrema ostenduntur, tandiu fidem illis citra demonstrationem adhibeat, donec inde facto artis initio, compertum habuerit, quo pacto ex ijs problemata & præcepta medicinæ confirmentur, stabilianturq;. Quæ sanè sub conditione scientem eum efficient, quatenus uidelicet sint demonstrata. Quòd si postmodum ἀποδείξεις illorum audire cupiat, ad Naturalem artificem accedat oportet. Veluti post συμπέρασμα de elementis, de temperamentis, quot sint numero, & quæ sint: de proportione elementorum ad constitutionem mixtorum, de facultatibus consequentibus quamq; mixtionē: et post definitionē sanitatis, quòd sit symmetria calidi, frigidi, humidi, et sicci, aut omnino mediocritas cōpositionis. Et morbi, quòd huic sit cōtrarius. Sequitur problema artis, quibus nā sanitas cōseruetur. aut morbus quib. tollatur: et ostenditur illud similibus fieri, hoc cōtrarijs. Quo loco deinceps sequuntur quæstiones aliæ, quæ quibus sint similia,

milia, aut quæ quibus contraria sint. Calida frigidis sunt contraria, pleno uacuum est contrarium, salubria symmetris sunt similia. quæ sint salubria aut calida, aut frigida. Vbi mox diuiditur disciplina in partes duas, unam de tuenda sanitate, alteram de curandi ratione. Illam docuit Paulus libro primo, qui respondet sex libris Galeni de tuenda sanitate, & tribus de Alimentorum facultatibus. Hanc uerò in sex libris sequentibus, qui respondent reliquis operibus Galeni, quæ iuxta doctrinam compositiuam fuere conscripta, quibus docetur uniuersa medendi ratio. Atq; hæc omnia huius artis uidentur esse propria. Porrò ægritudinum aliæ in ambitu totius consistunt: ueluti sunt ex similarium partium ægritudinibus, febrium genera. Aliæ in una parte corporis figuntur, ac pro earum differentia uarias appellationes sortiuntur. Expositionem febrium habet liber secundus, in quo primum docetur, quomodo sit cognoscendum, utrum salubris an letalis, morbus sit futurus: & num breuis an diuturnus, & omnino quæ ad doctrinam iudiciorum & dierum iudicialium, eorumq; cognitionem & prænotionē pertinent. Quæ omnia respondent libris de diebus Criticis, & de Crisibus. Quæ deinceps sequuntur, aut expositionem habent ipsarum febrium, earumq; differentias & causas continent, & respondent libris Galeni de febrium differentijs: aut signa cuiusq; generis, & tum communem omnibus, tum propriam unicuiq; curationem, & respondent septem postremis de Methodo medendi, & libro ad Glauconem primo. Postrema pars habet doctrinam accidentium, quæ febres consequuntur. Tertius liber, morborum omnium, per singulas partes corporis grassantium expositionem continet, initio sumpto à capite. is respondet maximè tractationi de Locis affectis, & ijs quæ de Compositione medicamentorum iuxta locos inscribuntur. Liber quarus est de morbis, qui non in sola qualitatum intemperie, sed sub-

sed substantia aliqua ijs qualitatibus prædita ad partes fluẽte, consistunt, & proinde tumorẽ in corpore excitant, ac nullum medicorũ latere possunt. ut sunt Erisypelata, Phlegmone, Oedemata, Phymata, Phygetla, Strumæ, Elephantiasis, Psora, Lepra, Vitiligines, Tumores duri (scirros appellant) & quæ huius generis cum sint, referuntur ferè ad similarium partium uitia: uelut unitatis solutio. ex quo genere sunt quæ de uulneribus, de ulceribus, de sinibus, fistulis, neruorum uulneratione, de uenarum aut arteriarum profluuio, et omnino de ijs quæ extra corpus sunt, & sensum propius admittunt, ac proinde facilius cognoscuntur. E' quibus illa petuntur ex duobus postremis de morbis curandis, ac libro secundo ad Glauconem. hæc uerò respondẽt libris prioribus de curandi ratione, maximè autem tertio, quarto, et quinto. Item ijs de compositione iuxta genera, uelut quæ de neruorum uulneribus dicuntur, petita sunt è libro tertio. ulcerũ curatio, è libro sexto. Et differunt hæc inter se, quatenus in methodo medendi inuentionem cuiusq; magis prosecutus uidetur, & rationem præceptorum commonstrasse: in hoc autem cuiq; suam materiam accommodasse, & præceptorum usum frequentioribus exemplis patefecisse. Sequens liber, tum animaliũ uenenatorum, tum pharmacorum letaliũ noxas continet. hic ex magna parte desumptus est ex ijs, quæ Dioscorides de eadem parte tradidit tribus libris, septimo, octauo, et nono. Sextus ea habet, quæ instrumentis chirurgicis peragũtur, & maiorem apparatũ postulãt, uelut sunt luxata & fracta, & in uniuersum articulorum & ossium, & partium instrumentariarum uitia, quæ per chirurgiã emendantur. Hæc sanè sextum librum methodi maximè affinem habent: quanquam hanc partem post Hippocratem nullus, peculiares ad id libros instituens, ita absoluisse uidetur, ut fecit Paulus, ut etiam hoc nomine sit αὐταρκέστερα, tota hæc traditio. Galenus uidetur contentus fuisse editis commentarijs in

rijs in

rijs in libros Hippocratis, quibus hæc pars artis contineretur, ut sunt, κατὰ ἰατρεῖον liber unus, περὶ ἄρθρων libri tres, et totidem περὶ ἀγμῶν. quod maius esset operæprecium reliquam artem emendasse quæ rationem haberet difficiliorẽ, acproinde magis ambiguam, & improborum medicorum ludibrijs expositam. Libro septimo, qui postremus est, materiam exponit & instrumenta, per quæ fit curatio, ac primum simpliciũ medicamentorum naturam tradit, quæ pars respondet libris Galeni περὶ ἁπλῶν φαρμάκων. post deinde compositorum medicaminum expositionem facit, docens illorum & modum componendi, & facultatem atq; usum. Inprimis autem, quorum aut ipse libris præcedentibus mentionẽ fecerit, aut singulare quodpiam auxiliũ cognouerit. Et primum de purgantib. agit, ac simplicibus. quæ pars respondebit libris Galeni de purgantium medicamẽtorum facultatibus, de his quos purgare oporteat, quibusq; medicamentis, & quo tẽpore. Item locis alijs in quibus finitima his præcepta ab ipso tradita fuere: uelut libro sexto ὑγιεινῶν docet triplicẽ compositionẽ hieræ picræ, libro primo τῶν κατὰ τόπους, medicamẽti quod ex colocynthide et scammonio præparatur. Sequitur pars de Antidotis, ac respondet libro Galeni eodẽ titulo, necnõ ijs quæ de Theriaca ad Pãphilianũ, quæq; ad Pisonem scripta fuere. Post hæc sunt quæ foris adhibentur, ueluti smegmata, emplastra, unguenta, acopa, synchrismata. Horum omnium modi, præparamenta & usus, ἐκ τῶν κατὰ γένη ferẽ petuntur.

FINIS.

BASILEAE, SVMPTIbus Ioan. Oporini, 1551, Mense Martio.

Of Hentbell Hamilton
For a boye is Hamilton
and a Rasse

This is doctor Henryso[n]
book Edward [illegible]
Erskine and [illegible] mary
[illegible] in the yeare of
doctor and [illegible]
yeare [illegible] I pray
god sen him the same

god send doctor
and whosoever

[illegible]